TRACTATUS CANONICUS

DE

MATRIMONIO

AUCTORE

PETRO GASPARRI SACERD.

SS. D. N. Leonis PP. XIII cubiculario intimo,
in Instituto Catholico Parisiensi textus canonici professore,
olim Romae professore institutionum canonicarum in Collegio Urbano de Propaganda Fide,
et sacrae theologiae sacramentariae in scholis Pontificii Seminarii Romani ad S. Apollinarem

Christus... totam (matrimoniorum) disciplinam Ecclesiae credidit.
(LEO XIII, Encycl. *Arcanum*, 10 *Febr.* 1880).

VOLUMEN SECUNDUM

PARIS
AU SECRÉTARIAT DE L'INSTITUT CATHOLIQUE
74, RUE DE VAUGIRARD, 74

1891

Tous droits de propriété et de traduction réservés

Digitized by Google

Digitized by Google

J 208/4

Digitized by Google

BIB. DOM.
LAVAL. S. J.

Digitized by Google

TRACTATUS CANONICUS

DE MATRIMONIO

Digitized by Google

Digitized by Google

TRACTATUS CANONICUS

DE

MATRIMONIO

AUCTORE

PETRO GASPARRI SACERD.

SS. D. N. Leonis PP. XIII cubiculario intimo,
in Instituto Catholico Parisiensi textus canonici professore,
olim Romae professore institutionum canonicarum in Collegio Urbano de Propaganda Fide,
et sacrae theologiae sacramentariae in scholis Pontificii Seminarii Romani ad S. Apollinarem

Christus... totam (matrimoniorum) disciplinam Ecclesiae credidit.
(LEO XIII, Encycl. *Arcanum*, 10 *Febr.* 1880)

VOLUME SECUNDUM

BIBLIOTHÈQUE
Les Fontaines
60 - CHANTILLY

PARIS
AU SECRÉTARIAT DE L'INSTITUT CATHOLIQUE
74, RUE DE VAUGIRARD, 74

1891

Tous droits de propriété et de traduction réservés

Digitized by Google

Digitized by Google

ERRATA

Pag.	lin.		Corrige.
60	21	836.	839.
74	26	venera.	venena.
77	22	Greg.	Greg. IX.
85	26	tem.	item.
92	13	Si quis	Si qui.
98	6	illud.	illam.
109	1	perchà	perché.
	2	praesumere.	presumere.
121	27	antumant	autumant.
123	17	ex lex	exlex.
179	22	praecisianc.	praecisione.
191	1	necessarium	necessariam.
199	31	*Satis Nobis*	*Satis Vobis.*
224	19	Ab.	At.
258	27	proposint.	proposuit.
279	8	sensiant.	sentiant.
334	20	teneatur.	teneantur.

Digitized by Google

Digitized by Google

TRACTATUS CANONICUS

DE

MATRIMONIO

CAPUT V

DE CONSENSU MATRIMONIALI.

770. Personae habiles ad matrimonium ineundum, de quibus in longiori capite praecedenti, debent habere consensum internum, eumque sufficienter manifestare ut matrimonium esse possit; nam ex una parte matrimonium est contractus, et sine interno consensu contractus ne intelligi quidem potest, et ex alia parte « intentio mente retenta nihil in humanis contractibus operatur » *l.* 60 *ff. Locati.*

Adeo necessarius est consensus interior in utraque parte ad matrimonium, ut illius defectus nulla humana auctoritate suppleri possit. Ad rem Pius VI in epist. ad Episcopum Agriensem 11 *Julii* 1789: « Hic contractus (matrimonialis) etiam hoc insigni discrimine differt ab alio quocumque mere civili contractu, quod in eo genere civili consensus certis de causis interdum per leges suppleatur, in matrimonio vero nulla humana potestate suppleri consensus valeat » (1).

Jure nostro canonico consensus utriusque partis interior sufficienter et in debita forma manifestatus non solum ma-

(1) Sanchez *II*, *XXVI* agitat quaestionem utrum Deus sua potentia absoluta possit efficere, ut matrimonium sit sine partium consensu. Non dubitamus responsionem negativam veram esse, si de matrimonio proprie dicto sermo sit, cum Deus nequeat efficere ut res sit sine sua essentia, seu simul sit et non sit.

Digitized by Google

trimonio essentialis est, sed ipse solus matrimonium totaliter in suo esse constituit, ita ut nil aliud ad ejus essentiam requiratur (n. 206). Hinc in *cap.* 3, *De sponsa duorum* traditur matrimonium contrahi mutuo viri et mulieris consensu verbis consuetis expresso. Concinit *cap.* 14, *De sponsalibus..*: « Matrimonium autem solo consensu contrahitur », et *cap.* 23 *ejusd. tit.*: « Sufficiat ad matrimonium solus consensus illorum, de quorum quarumque conjunctionibus agitur », et *cap.* 25 : « Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri et mulieris consensum », et *can.* 1, *c.* 27, *q.* 1 in Decreto : « Matrimonium non facit coitus sed voluntas », et *can.* 2 *l. c.* : « Sufficiat secundum leges eorum consensus, de quorum conjunctionibus agitur. Qui consensus, si in nuptiis forte solus defuerit, caetera omnia etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur ». Unde contractus matrimonialis ab AA. communiter recenseri solet inter contractus consensuales, non reales, quia sufficit ea traditio quae habetur in expressione consensus, et non requiritur realis (1).

Jam vero ut hanc materiam amplam et implicatam, quae est de consensu matrimoniali, ordine exponamus, in distinctis articulis loquemur de notione consensus matrimonialis, deinde de iis quae eidem opponuntur, postea de ejusdem consensus expressione seu manifestatione, tandem de consensu praestito sub conditione, modo, causa, demonstratione.

Articulus I

De notione consensus matrimonialis.

771. Consensus in aliquo contractu in genere est actus voluntatis assentientis alteri personae circa obiectum ali-

(1) Quaestio est **utrum jure Romano matrimonium solo consensu consisteret legitime expresso, an requireretur insuper *deductio mulieris* in domum viri.** Haec quaestio antiqua est : communior sententia erat solum consensum sufficere. Altera sententia nostris diebus validiores nacta est defensores : nam Facultas Parisiensis, duce Ortolano, eam sustinet. Nos primam veriorem putamus. Cf. Voet *Comm. ad Pandect. tit.* 2 *De justis nuptiis.*

Digitized by Google

quod in omnibus quae ad ejus substantiam pertinent (1). Atqui objectum substantiale matrimonii est vitae consuetudo, et nominatim jus in corpus alterius in ordine ad prolem perpetuum, exclusivum et sacrum (n. 207). Ergo consensus matrimonialis erit actus voluntatis assentientis alteri parti circa jus in corpus in ordine ad prolem perpetuum, exclusivum et sacrum. Aliis verbis est actus voluntatis quo Titius tradit Sempronlae hoc jus in corpus suum et acceptat simile jus in corpus ipsius. *Perpetuum*, *exclusivum* et *sacrum* ob essentiales matrimonii proprietates indissolubilitatis et unitatis, quibus accedit ratio sacramenti (n. 209).

In nonnullorum opinione huic notioni consensus matrimonialis addi deberet : *liber* ; quia, ajunt, si actus ille voluntatis in Titio est coactus. jam est natura sua insufficiens ad matrimonium. Nos putamus etiam in metu haberi consensum matrimonialem, quia voluntas etiam sub metus influxu semper libera manet, nisi metus rationis usum omnino auferat, ideoque consensum licet metu extortum per se sufficere, citra jus positivum, ad validitatem matrimonii ; ac proinde τό *liber* omisimus. Caeterum hanc quaestionem utrum metus irritet matrimonium jure naturae vel jure ecclesiastico tantum, fuse n. 811 evolvimus.

Juxta aliorum opinionem definitioni consensus matrimonialis addendum foret:.. *sacrum et in vitae societatem* ; sed nos jam diximus n. 206, 207 communionem tori, mensae, habitationis potius ad integritatem quam ad essentiam matrimonii pertinere, ita ut matrimonium valeat, exclusa per pactum hac vita communi, salvo tamen jure in corpus in ordine ad prolem (n. 859).

772. Quamquam vero consensus matrimonialis sit actus voluntatis, quo pars tradit alteri ejusmodi jus et ab altera traditum acceptat, tamen non est necessarius duplex actus formaliter distinctus, alius scilicet quo jus alteri tradatur, et alius quo jus ab altera traditum acceptetur ; sed unus idemque actus traditionis virtualiter continet acceptationem, et unus idemque actus acceptationis traditionem. Id accidit

(1) D'Annibale *II*, § 430.

Digitized by Google

etiam in aliis contractibus bilateralibus (1) ; e. g. si Petrus ait Joanni : *Do tibi centum pro equo*, id significat : *Do tibi centum, et accepto equum a te tradendum*, et si Joannes respondet : *Accepto*, id significat : *Accepto tua centum, et do equum.* Ad rem De Lugo *Resp. Mor. I, XLII, n.* 2 : « Adverto conjuges iisdem omnino verbis, quibus proprium consensum exprimunt, significare etiam se acceptare obligationem et consensum ab altero conjuge expressum : neque enim alia verba proferunt praeter illa : *Accipio te in meam* vel *in meum*, quae verba utrumque significant, nempe et obligationem propriam et acceptationem obligationis alterius conjugis, nec possunt unum sine altero exprimere. Cum enim sit contractus constans essentialiter ex mutua utriusque obligatione, nec possit ex una parte claudicare, quin ex utraque deficiat, non potest vir v. g. dicere : *Volo esse tuus vir*, quin eo ipso dicat : *Volo habere te in uxorem*, ac per consequens habere te mihi obligatam, sine qua obligatione non esset uxor, nec vir esset ejus maritus. Debet ergo velle indivisibiliter utramque obligationem, et per consequens iisdem verbis exprimit et suam obligationem et quod vult seu acceptat obligationem alterius ; quae voluntas sufficit, ut, absolutis verbis secundi conjugis, censeatur perfectus undique contractus, nulla alia expectata morula temporis subsequentis : jam enim uterque expressit suum consensum et novit consensum alterius et illum acceptavit. Et quidem de consensus expressione constat : siquidem uterque supponitur protulisse verba necessaria ad exprimendum consensum ; rursus singuli ea verba audierunt, quilibet consensum alterius acceptavit et dixit se acceptare : nam dicendo se velle alterum in conjugem, dixit se velle alterum sibi obligatum, cum non possit esse conjux, nisi qui conjugi obligatus est, atque ideo dixit se velle acceptare alterius obligationem et consensum ».

773. Pariter nec refert an inter traditionem ac acceptationem unius, et acceptationem ac traditionem alterius sit aliquod temporis intervallum, dummodo accedente acce-

(1) D'Annibale *II*, § 430, *not.* 34.

Digitized by Google

ptatione et traditione alterius, primus suum consensum non revocaverit. Id commune est omnibus contractibus bilateralibus; e. g. si Petrus ait Joanni: *Do tibi centum pro equo*, et Joannes post diem respondet: *Accepto*, perfectus est contractus emptionis-venditionis, dummodo Petrus in sua voluntate persistat, quia voluntas Petri virtualiter perseverat, et voluntas virtualis sufficit ad constituendos actus humanos ideoque et contractus. Ita etiam in matrimonio: si Titius dicit Semproniae: *Contraho tecum*, Sempronia autem hic et nunc non respondet, sed deliberat et tandem ait: *Accepto*, stat matrimonium, nisi Titius interim consensum suum revocaverit: nam consensus a Titio non revocatus virtualiter perdurat ac proinde, accedente Semproniae consensu, efficaciter matrimonium perficit. Haec autem de rigore juris valere posse etiam post decretum *Tametsi* Conc. Trid. vide apud Sanchez *II*, *XXXII*, *n.* 16, 17. Diximus *nisi Titius...*; quia tunc haberetur solum Semproniae consensus, sicut ante consensum Semproniae et revocationem Titii habebatur solum Titii consensus, ideoque matrimonium non adesset.

Porro Titius consensum suum revocare potest tacite vel expresse, et in foro externo praesumitur revocavisse, si temporis intervallum fuerit satis longum judicio prudentis viri. Hinc si Sempronia statim non acceptavit, et postea, ipsa assentiente, Titius affirmet se consensum revocavisse, credendum ei est, quia in dubio praesumitur consensisse sub ea tacita conditione, si alter statim assensum praebeat (1), nisi forte illud tempus ad deliberandum ipse ei dederit.

774. Item etsi matrimonialis consensus sit actus voluntatis tradentis et acceptantis jus in corpus in ordine ad prolem perpetuum, exclusivum et sacrum, tamen non est necessarius actus voluntatis explicitus horum omnium, sed sufficit etiam implicitus. Ita e. g. si pars vult inire *verum matrimonium*, *sicut caeteri ineunt*, *prout a Deo institutum est* etc., habetur sufficiens matrimonialis consensus

(1) Pirhing *IV, I, n.* 82. Sanchez *II, XXXII* cum communi.

Digitized by Google

implicitus ; quia omnia vult implicite, quod satis est, dummodo positivo voluntatis actu aliquid essentiale non excluserit, quia hoc in casu consensum matrimonialem deficere palam est. Sed haec melius patebunt ex dicendis in art. sequ. Caeterum id verificatur etiam in omnibus aliis contractibus. « Ut enim contractus quivis validus sit (maxime si non unam tantum obligationem secumferat), non exigitur ut singula officia et obligationes cognoscant contrahentes, quae ex ipso contractu derivant, sed satis est ut voluntas contrahentium feratur in contractum universim sumptum, prout ab aliis frequentari consueverit » uti legitur in *Act. S. Sedis V, pag.* 555, et concinunt AA. communiter.

775. At ad valorem contractus bilateralis requiritur omnino ut traditio-acceptatio utrinque directe cognita sit, et tunc tantum contractus valet ; e. g. Petrus ait Joanni : *Do tibi centum pro equo,* contractus perfectus est quando acceptatio-traditio Joannis ad Petrum directe etsi mediate pervenerit, quia tunc tantum voluntates utriusque in unum conveniunt. « Unde si per litteras contractus fiat, non perficitur contractus donec mihi offerenti et obliganti me, tu respondeas obligando te vicissim et acceptando meam obligationem, et donec responsum hoc ad me perveniat ». De Lugo *De j. et j. XXII, n.* 27 sequ., ubi belle hanc rem declarat. Haec applica matrimonio : proinde posita traditione-acceptatione Titii directe significata Semproniae, matrimonium tunc exurget, cum vicissim directe Semproniae traditio-acceptatio significabitur Titio. Nec sufficit si notitia traditionis-acceptationis alterius alteri modis quibusvis indirectis communicetur, sed necesse est ut modis directis sive immediate sive mediate : scilicet vel immediate ab uno contrahente coram altero, vel mediate sive per epistolam, sive per nuntium qui ab altero contrahente missus ejus traditionem-acceptationem alteri contrahenti exprimat, sive per nuntium qui nomine et mandato alterius contrahentis excipiat traditionem-acceptationem ab altero expressam, sive per duos etiam nuntios missos a singulis contrahentibus (1).

(1) Sanchez *I, VII, n.* 35 *et VI, n.* 28. D'Annibale *II*, § 430.

Digitized by Google

Quod si Titius scribens ad Semproniam dicat : *Contraho tecum, et si tu acceptas, ex nunc ego accepto tuum consensum*, plerique putant matrimonium statim valere, si Sempronia suam acceptationem sufficienter manifestaverit, lecta epistola e. g. coram parocho et testibus, quin necesse sit acceptationem notam facere Titio. Ita Sanchez *II, XII, n.* 3, cui adhaeret S. Alph. *VI, n.* 886. Salm. *III, n.* 108 aliique. Haec doctrina non arridet De-Lugo *De sacram. in genere IX, n.* 135.

Articulus II

De iis quae matrimoniali consensui opponuntur.

776. Cum consensus matrimonialis, uti supra dictum est, sit actus voluntatis, qui supponit cognitionem intellectus, quia nil volitum quin praecognitum, sequitur deficere posse vel ex parte intellectus, vel ex parte voluntatis, quae, posita intellectus cognitione, consentire recusat. Ex primo capite consensui matrimoniali opponuntur *defectus discretionis* et *error*, ex altero *simulatio*, *vis metusve* et *conditio*. Nonnulli addunt et *raptum*, sed vide n. 541. De conditione sermo erit *art. IV*, ibique exponemus quaenam conditio consensum evertat. Modo de caeteris agendum est.

§ 1. — *Quae consensui matrimoniali opponuntur ex parte intellectus.*

I

Defectus debitae discretionis.

777. Ad consensum contractualem in genere et matrimonialem in specie necessarium esse usum rationis, qui septennio completo adesse solet, palam est. At non sufficit usus rationis simpliciter, sed requiritur discretio seu maturitas judicii contractui proportionata, ita ut contrahens naturam et vim contractus intelligere possit; secus in eumdem consentire nequit. Hinc DD. communiter admittunt im-

Digitized by Google

puberes infantiae proximos neque civiliter neque naturaliter contractu in genere obligari (n. 17). Proinde ut matrimonium valeat, utraque pars usu rationis pollere debet, ita ut quid sit matrimonium ejusdemque essentiales proprietates satis intelligere valeat, idest matrimonium consistere in jure in corpus in ordine ad prolem perpetuo, exclusivo, sacro; secus patet neque explicitum neque implicitum consensum habere posse (1). Haec certa sunt apud omnes; modo potius videamus in quibusnam personis haec judicii maturitas seu discretio ad matrimonium ineundum sufficiens et necessaria reperiatur.

778. In primis ante pubertatem haec matrimonialis mentis discretio non praesumitur, nisi probetur; e contrario post pubertatem praesumitur, nisi contrarium evincatur. Id tradit expresse Alex. III in *cap.* 8, *De desp. imp.*: « Ante nubiles annos conjugalem consensum non habent »; et concinunt DD. omnes. Unum Sanchez citamus, qui *l. c.* ait: « Ideo jus eam aetatem (pubertatis) praescribit, quod praesumat tunc pueros, et non antea, et judicio sufficienti ad matrimonium et potentia generandi praeditos esse (2) ». Hinc ante pubertatem ille qui affirmat prudentiam idest debitam mentis discretionem cum potentia generandi praevenisse aetatem, probare debet: de qua re vide quae diximus agentes de aetatis impedimento. E contrario post pubertatem ille qui negat debitam mentis discretionem adesse, probare debet.

Huc spectat responsio S. C. C. in *Ventimillien. Matrimonii* 19 *Maii* 1888. Catharina S. puella duodecim annorum et novem mensium, et Antoninus S. vir quintum lustrum attingens, qui e militia redux in familia S. receptus vivebat, nuptias inibant in parochiali ecclesia loci *Carpasio* dioecesis Ventimilliensis die 18 *Sept.* 1871. Parochus loci juxta fidem Archipresbyteri Montisalti nolebat eos in matrimo-

(1) Giovine *I*, § 291, *n.* 3. Pirhing *IV*, *I*, *n.* 85. Barbosa *in cap.* 3, *De desp. imp. n.* 3. Covarruvias *De matr. p.* 2, *c.* 5, *n.* 5. Gonzalez in *cap.* 2. *De desp. imp.* Sanchez *VII*, *CIV*, *n.* 21.

(2) Pirhing *IV*, *II*, *n.* 37. De Justis *II*, *VIII*, *n.* 44. Giovine *I*, § 291, *n.* 1. Instructio Austriaca § 17. S. Thomas 4, *dist.* 36, *q.* 1, *a.* 5.

Digitized by Google

nium conjungere ob aetatem ac parvam intelligentiam sponsae, et quia pejora quaedam suspicabatur, sed, re ad Vicarium Generalem deducta, hic, audita puella, matrimonium fieri praecepit. Sponsi per octo menses vitam communem duxerunt primum in paterna uxoris familia, dein in ipsa familia viri ; sed, gravioribus in dies exortis dissidiis, Antoninus Catharinam a se rejecit, quae paternos lares repetiit. Deinde cum in pagum *San Remo* venisset ut ex honesto famulatu viveret, cum quodam Carcioffi civile foedus contraxit. Res ut innotuit Episcopo in sacra visitatione, processum institui curavit, qui tamen cum aliqua irregularitate confectus fuit, forte ob adjunctorum loci et personarum difficultates. Ex triplici capite matrimonium nutabat : quia mater Catharinae cum Antonino pluries rem habuerat, ideoque obstabat affinitas ex copula illicita ; quia Catharina vi metuque coacta in matrimonium consenserat ; quia, licet pubertatem adepta, carebat debita ad matrimonium discretione ; tandem ferebatur matrimonium non fuisse consummatum. Propositis dubiis : « 1° An constet de matrimonii nullitate in casu, et quatenus negative. 2° An sit consulendum Ssmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu ? » S. C. *die* 13 *Junii* 1885 respondit : « Dilata et compleantur acta ». Praeclarissimus Antistes curavit acta compleri novum efficiendo processum, licet aliquis defectus substantialis irrepserit, praesertim in eo quod defensor matrimonii non astitit testium examini. Jam vero ex auditorum testium depositionibus nec affinitas nec vis et metus extra dubium ponebatur, sed satis eruebatur defectus discretionis requisitae in Catharina. Omnes enim unanimiter affirmabant Catharinam tempore matrimonii ad modum parvarum puellarum vestitam, puerilibus ludis deditam, ingenio tardam, ignoravisse quid *esset matrimonium*, *fuisse incapacem et inidoneam matrimonio, nullatenus intellexisse onera matrimonii*, et similia (1). Proinde iisdem dubiis positis S. C. cit. *die* 19 *Maii* 1888

(1) Haec omnia bene evolvit consultor theologus in suo voto jussu S. C. dato.

Digitized by Google

reposuit : « Ad 1um praevia sanatione actorum, affirmative. Ad 2um provisum in primo ».

779. *Mentecapti* sunt vel *amentes seu furiosi*, si insaniunt circa omnia, vel *dementes* (monomaniaci), si circa unam rem tantum vel alteram (1).

Amens per omnia et in omnibus est inhabilis ad matrimonium ex *cap.* 24, *De sponsalibus...*, sicuti ad quemlibet contractum et actum humanum ob defectum usus rationis. In lucido intervallo matrimonium valet : sed in genere est illicitum, quia amens ineptus est ad prolem educandam, nisi id muneris alii committere possit (2). In dubio an matrimonium initum sit tempore amentiae vel in lucido intervallo, censetur initum tempore amentiae, quia « cum amentiae vel furoris morbus suapte natura perpetuus, insanabilis ac desperatus sit, praesumitur durare omni tempore, et illa lucida intervalla sunt per accidens, ideoque minime praesumuntur » Sanchez *l. c. n.* 17. A fortiori, si amentia fuerit temporanea, valet matrimonium antea vel postea celebratum. Ita explicari debet *c.* 32, *q.* 7 in Decreto : « Neque furiosus, neque furiosa matrimonium contrahere possunt, sed si contractum fuerit, non separentur » ; nempe matrimonium antea contractum, superveniente amentia seu furore, subsistit.

Demens in his quae ad dementiam ipsius pertinent, aequiparatur amenti. Disputant DD. utrum demens, cum in aliis omnibus ratione polleat, capax sit contractus quoslibet et matrimonium celebrandi aliaque sacramenta recipiendi. Argumenta utriusque sententiae vide apud Sanchez *l. c. n.* 22 sequ. qui affirmativam veriorem putat. Certe nostris civilibus legislationibus contractus ab ipso initus habetur nullus, et ipse censetur irresponsabilis.

Tandem illi, quos *fatuos* vel *stupidos* appellamus, si sufficientem habeant discretionem, possunt utique matrimonium inire, sicuti alios contractus.

(1) D'Annibale *I*, § 30. Dari hos mentecaptos, qui in omnibus ratione pollent, excepta una vel altera re, factum est certissimum pluribus exemplis comprobatum.

(2) Schmalz. *IV, I, n.* 14. Pirhing *IV, I, n.* 10. Sanchez *I, VIII, n.* 18.

Digitized by Google

780. *Surdi-muti-caeci* simul a nativitate, quos *idiotas* vocant, accensentur infantibus, ideoque matrimonii sunt incapaces (1).

Surdi-muti simul a nativitate, si instituti sunt, et peccandi et delinquendi et contrahendi capaces habentur (2). Sin minus, quidam idiotis eos comparant, quidam ratione utentibus : quaestio valde obscura ac difficilis. Illud jam fere nemo in dubium revocat eos ne scire quidem posse, quae pertinent ad fidem : eaque ignorare, quae ad jus positivum pertinent. Quaestio igitur remanet utrum sciant quae sunt juris naturalis. Theologi et canonistae antiquiores fere omnes affirmant, qui proinde tenent eos peccare posse et contractus inire ; quae sententia congruit juri civili, eos aequiparans inhabilitatis. At exinde quaestio non dirimitur, quia plures recentiores, qui in surdis-mutis excolendis meliorem operam navarunt, contrarium tenent. Inn. III in *cap.* 23, et 25, *De sponsalibus...* tradit *surdos et mutos*, posse matrimonium contrahere, sed non probatur Innocentium loqui de surdis et mutis copulative et a nativitate. Vide D'Annibale *l. c.* qui more suo breviter et bene rem agit.

Qui autem sunt tantum vel *caeci* vel *muti* vel *surdi*, etsi a nativitate, ratione pollent sufficienti ad matrimonium.

781. *Ebrius*, cum ebrietas fuerit perfecta, usum rationis non habet, et acquiparatur amenti ; unde matrimonium invalide contrahit. Idem dicas de *dormiente*, licet somnambulus vel dum evigilat nuptias ineat. De Lugo *De sacram. in gen. VIII, n.* 100 *sequ.* subtiles quaestiones de utroque agit. Unus est casus quo ebrius aut dormiens conjugium valide init, nempe si procurator matrimonium contrahit, dum mandans in eo statu reperitur (n. 738).

II

Error.

782. Etiamsi in utroque contrahente adsit debita mentis discretio, consensus matrimonialis deficere ulterius potest

(1) Sanchez *I, VIII, n.* 13. S. Alph. *VI, n.* 303. D'Annibale *I,* § 31.
(2) Bargut. *Sullo stato fisico, intellettuale e morale de sordo-muti* apud D'Annibale *l. c.*

Digitized by Google

ex parte intellectus ob errorem, quia « nulla voluntas errantis est » *l.* 117, *De R. I.* Definitur autem error *falsa rei apprehensio*, cum opponatur veritati logicae quae consistit in conformitate intellectus cum re. Hinc differentia inter ignorantiam et errorem : in illa nulla idea est, in hac est idea, sed non conformis rei.

783. Ut vero determinetur quinam error consensum excludat ideoque matrimonium irritet, Gratianus in *c.* 29, *q.* 1 in Decreto haec habet : «... non omnis error consensum excludit, sed error alius est personae, alius fortunae, alius conditionis, alius qualitatis. Error personae est quando hic putatur esse Virgilius, et est Plato. Error fortunae quando hic putatur esse dives qui est pauper, vel e converso. Error conditionis quando putatur esse liber qui servus est. Error qualitatis quando putatur esse bonus qui malus est. Error fortunae et qualitatis conjugii consensum non excludit. Error vero personae et conditionis conjugii consensum non admittit... »

Haec meliori ordine exponentes, animadvertimus errorem in matrimonio posse esse *facti* vel *juris*. Error facti est vel *personae* vel *qualitatis* in sensu generico, prout complectitur etiam errorem fortunae vel conditionis. Error juris cadere potest vel *in ipsum jus* in corpus in ordine ad prolem, quod est matrimonii objectum, vel *in essentiales ejusdem proprietates* idest perpetuitatem, unitatem quae fidelitatem quoque complectitur, ac rationem sacramenti. His accedit alius error vel juris vel facti circa ipsius matrimonii *valorem*, si nempe contrahens putat matrimonium, quod init, nullum esse, quod tamen per se valet. In primis de errore facti, deinde de errore juris.

784. Error *facti* circa *personam* verificatur quando quis vult contrahere cum persona certa et determinata, e. g. Maria filia Maevii, qualem falso putat esse hanc praesentem cum qua contrahit. Exemplum prostat *Gen. XXIX* : siquidem Jacob intendens ducere Rachelem sibi ab ejusdem patre Labano desponsatam, transacta prima nocte, reperiit per fraudem sibi substitutam esse Liam. Quod si quis cognoscit hanc mulierem, quae se jactat esse Mariam filiam Maevii,

Digitized by Google

et ideo id credens eam ducit, non est error personae ex *cap.* 26, *De sponsalibus...*, quia mulier nubit in propria persona; sed est error in nomine, una cum errore qualitatis dante causam contractui. Proinde si praescindamus a matrimonio in tenebris inito, uti in exemplo scripturali, vel a matrimonio caeci, facile patet errorem personae tunc adesse, quando haec simul concurrunt: quod quis velit contrahere cum persona certa ac determinata, e. g. Maria filia Maevii, quae sit de facto absens et ignota; quod aliqua alia mulier praesens jactet se esse eam personam; quod ipse deceptus eam ducat in uxorem.

Jam vero certum est hunc errorem personae sive invincibilem, sive vincibilem crassum ac supinum irritare matrimonium defectu consensus; quia Titius revera non consentit in personam, cum qua contrahit, sed in aliam (1). Quod si Titius in casu adducto dum matrimonium contrahit, vult contrahere cum muliere praesente, quam putat esse suam Mariam, quaecumque tamen ea sit, ita ut dicat in corde suo: *Volo ducere hanc mulierem etiamsi non esset Maria*, matrimonium valet (2). At si praecesserunt tractatus de matrimonio ineundo cum absente et ignota Maria, haec mens non praesumitur, sed potius praesumitur Titius intendisse Mariam. E contrario matrimonium est aeque nullum, si Titius dicat intra se: VELLEM *ducere hanc mulierem, etiamsi non esset Maria*; nam illud *vellem* est voluntas interpretativa quae non existit, et Titius de facto non consentit in praesentem, sed in absentem (3).

Aliter se res habet in aliis sacramentis baptismi, confirmationis... quae ab errore personae non irritantur, e. g. si baptizas Cajum putans esse Maevium; quia personae praesenti, quaecumque ea sit, ea sacramenta conferuntur; irritarentur tamen, si ministri consensus (prouti fit in matrimonio) huic personae alligaretur, sed tunc minister peccaret.

Ex his sequitur quod inter patriarcham Jacob et Liam ve-

(1) De Lugo *De sacram. in genere, VII, n.* 116-117.
(2) Schmalz. *IV, I, n.* 444. Pirhing *IV, I, n.* 160. Scavini *III, n.* 842. Sanchez *VII, XVIII, n.* 6. D'Annibale *III,* § 314, *not.* 8.
(3) Schmalz. *l. c.* Sanchez *l. c.* D'Annibale *l. c.*

Digitized by Google

rum conjugium non fuisset, nisi, cognito errore, consensus fuisset subsecutus. Neque tamen propterea fornicarius patriarcha fuit, quia ipsum ignorantia excusavit. Liam quidem adulterii et incestus ream existimat Cornelius a Lapide in *Gen. n. XXIX*, 24, sed ab utroque peccato illam excusat S. Thomas 4 *dist.* 30, *q.* 1, *a.* 1, *ad* 4, quia lege primogenitarum et paternis imperiis se Jacob legitime copulatam existimavit. Ita etiam in *cit. caus.* 29, *q.* 1 in Decreto. Haec quidem plana sunt, sed non aeque plana erunt quae de errore qualitatis nunc dicenda sunt.

785. Error facti circa *qualitatem* e. g. si Titius putat suam Mariam, cum qua contrahit, esse divitem, bonam, nobilem etc., cum sit e converso pauper, perversa, ignobilis, irritat matrimonium in tribus sequentibus casibus :

a) Si agatur de *qualitate servili*, nempe si Titius duxit Mariam putans esse liberam, dum est serva servitute proprie dicta : de qua re egimus n. 635 sequ. ;

b) Si consensus datus fuit sub vera ac proprie dicta conditione illius qualitatis, quae deest, e. g. si Titius dixit : *Volo ducere Mariam, dummodo nobilis sit* ; de quo fusius agemus *art. IV* ;

c) Tandem si error qualitatis *redundat in errorem personae*. Id quidem omnes DD. admittunt, sed deinde minime conveniunt quandonam error qualitatis redundet in errorem personae. Quaestio *maximi momenti et difficillima*, ait Sanchez *VII, XVIII, n.* 25, quam DD. dum student extricare, implicant magis (1). Ut etiam nos eam extricare breviter conemur, dicimus, juxta traditam notionem erroris personae, *errorem qualitatis redundantem in errorem personae* tunc verificari, quando quis volens contrahere cum persona certa ac determinata per eam qualitatem, e. g. cum *primogenita Maevii* absente et ignota, deceptus ducit mulierem praesentem, quae fingit se esse illam personam. In hoc casu est *error qualitatis*, quia Titius putat hanc mulierem esse primogenitam Maevii, dum est alia mulier ; hic autem error qualitatis *includit errorem personae*,

(1) Clericatus *XIX, n.* 27, apud D'Annibale *III*, § 314, *not.* 13.

Digitized by Google

quia indifferens est personam determinari vel nomine vel qualitate individuali; et ita est *error qualitatis qui refunditur in errorem personae*. Quod si quis cognoscit hanc mulierem quae se jactat primogenitam Maevii, et id credens eam ducit, non est error qualitatis qui refunditur in errorem personae, quia error personae hinc abest (n. prace.); sed est simplex error qualitatis dans causam contractui qui non officit, ut mox dicemus, nisi qualitas apposita fuerit uti vera conditio *sine qua non*. Haec regula pro errore qualitatis redundante in errorem personae verissima est (1): alii alias addunt, sed tu, si vis errores evitare, eam tantum retine et secundum eam casus occurrentes resolve; ita enim se gerit S. C. C.

786. Praeter hos casus error qualitatis matrimonium non irritat: praesumitur enim consensum terminari in substantiam, qualitatem vero illum reddere promptiorem et pleniorem. Id quidem omnes uno ore fatentur tum de contractibus in genere, tum de matrimonio in specie, si error fuit mere concomitans; e. g. si Titius duxit Semproniam putans esse nobilem, dum est ignobilis, sed ita ut, cognita etiam veritate, illam duxisset. Quod si error dedit causam matrimonio ita ut nempe Titius, veritate cognita ante matrimonium, Semproniam non duxisset, casus est magis implexus. Pontius *IV, XXI, n.* 7, citans Arag. et Ledesma, imo et Sanchez sed immerito (2), sustinet matrimonium esse nullum, quia consensus est virtualiter conditionatus: *Si Sempronia est nobilis*. Communis et certa sententia tenet matrimonium valere, etsi error proveniat ex dolo malo alterius partis, quae tamen peccat et de damnis etiam tenetur. Probatur clare ex *cap.* 18, *De sponsalibus...*, ubi Hon. III validum dicit matrimonium dolo viri initum a muliere ex errore dante profecto causam. Revera Titius in casu ducit Semproniam pleno consensu, ideoque matrimonium valeat necesse est. Utique, cognita veritate, ipse Semproniam *ducturus non fuisset*; sed haec est voluntas interpretativa, quae in rerum natura

(1) Sanchez *l. c.* D'Annibale *l. c.* Lehmkuhl *II, n.* 734.
(2) S. Alph. *VI, n.* 1012.

Digitized by Google

non existit, ac proinde nil operatur (1). In aliis contractibus onerosis error hujusmodi, quando est ex dolo alterius partis, vitiat actum in favorem partis deceptae, sed *jure civili tantum* (2). Etiam Ecclesia de rigore juris potuisset lege positiva constituere dolum alterius partis irritare matrimonium non quidem pro parte decepta tantum, cum matrimonium claudicare non possit, sed pro utraque parte: sed hoc impedimentum non tulit, imo expresse declaravit matrimonium in casu valere, ut constat ex dictis, ne innumera conjugia evaderent dubia et litibus exposita (3).

Nonnulla exempla doctrinam hactenus traditam de errore qualitatis illustrabunt.

787. Casum practicum erroris qualitatis qui redundat in errorem personae, ita bene fingit Bangen *II*, § 18: « E. g. familia comitis A statutis utitur domesticis, quibus cautum est, ut comes haereditarius uxorem sibi adsciscat aequalis conditionis. Comes itaque A hac aperta intentione uxorem sibi quaerit. Audit tandem praenobilem Florentiae existere comitis B familiam et comitem B habere unicam filiam. Hinc comes A litteras, quibus eamdem filiam sibi uxorem petit, Florentiam mittit. Attamen mulier cubicularis ejusdem filiae, litteris fraudulenter suppressis, ad comitem A scribit, et, responso accepto, in Germaniam proficiscitur. Sub falso comitissae B nomine cum comite A matrimonium contrahit. Consummato jam matrimonio, fraudem aperit. Quaeritur an illud irritum sit ob errorem qualitatis in personam redundantis? Respondemus dubium non esse, quin in hoc casu error qualitatis in personam redundet ». Subjungit Bangen: « At vero res aliter se habet, si casum sequenti modo formamus. Cubicularis illa, accepto responso, Germaniam petit, et sub falso comitissae B nomine diutius ante nuptias cum comite A conversatur. Hic ob ejus pulchritudinem amore captus saepius asserit: *Te* DUCERE VELLEM,

(1) Sanchez *VII*, *XVII*, *n.* 18. D'Annibale *I*, § 136, *not.* 23; et *III*, § 314, *not.* 15.

(2) D'Annibale *II*, § 431, *not.* 23; et *III*, § 314, *not.* 11. De-Lugo *De j. et j. disp. XXII*, *sect. VI*, ubi solide, pro more, de errore in contractu loquitur.

(3) S. Alph. *VI*, *n.* 1012. Scavini *III*, *n.* 842.

Digitized by Google

etiamsi esses plebeia, vel similia. Hoc casu sane error qualitatis praefatae non irritat matrimonium : namque qualitas comitissae, circa quam versatur ille error, non constituit praecise motivum, quo ductus contrahit cum hac persona ». Nos vero putamus etiam in hoc casu matrimonium nullum esse eadem prorsus ratione (nisi forte comes A *velit* contrahere cum muliere praesente, quaecumque ea sit), nam de facto ipse consentit in aliam personam, idest filiam comitis B : illa autem voluntas *te ducere vellem*... est voluntas interpretativa, quae revera non existit (n. praec.).

788. Clericatus *Dec. XIX, n.* 31 alium casum refert, qui conflictus non est, sed revera accidit. Dalilam foeminam alto nomine praeditam reperiit Romae Sempronius, homo Germanus, dives, sed non nobilis. Dicebat Dalila se filiam comitis a Liebenstein fugisse parentum tyrannidem, et velle nubere. Cognoscebat Sempronius comitem, sciebat eumdem habere filiam, quae rigoris et domus patris pertaesa ad monialium asceterium confugerat. Credit hanc esse, et eam in uxorem ducit. Revertitur in patriam, opinione sua jam comes factus : at ibidem reperiit comitis filiam adhuc degere apud moniales, et mulierem a se ductam esse meretriculam quamdam, quae castae et nobilis virginis nomen usurpaverat. At juristae dixerunt tenere matrimonium ; et merito, cum error solum versaretur circa qualitatem, nec redundaret in personam.

789. Sanchez *l. c. n.* 35 alium casum enarrat : « Quidam enim duas filias habens juveni pulchritudine minoris capto eam sibi in matrimonio collocari postulanti denegavit, offerens primogenitam. Juvenis petiit eam ostendi cuidam amico, a quo de illius pulchritudine certior fieri volebat. Pater dolose filiam minorem ostendit amico, quod primogenita deformis esset. Juvenis ergo bene instructus de foeminae pulchritudine, eoque errore ductus contraxit (per procuratorem) cum primogenita, existimans esse eam quae amico exhibita fuerat. Dubitatum fuit num solus qualitatis error esset, ac proinde valeret matrimonium ». Jam vero Tabiena et Sanchez responsionem affirmativam amplexati sunt. Sed probabilius contradicunt Pontius *IV, XXI, n.* 3.

Digitized by Google

S. Alph. *VI*, *n.* 1016 aliique, quia juvenis volebat contrahere cum puella ostensa amico, quam falso putavit sibi in persona sui procuratoris esse oblatam a patre, et ita fuit error qualitatis redundans in errorem personae, atque irritans matrimonium.

790. S. C. C. in *Valachiensi Matrimonii* 20 *Dec.* 1862 respondit non constare de nullitate matrimonii in sequenti specie. Eugenia L. cum Alexandro G., quem a pluribus mensibus cognoscebat, matrimonium contraxit, putans eum esse divitem, nobilem ac bonis moribus praeditum. Consultor theologus P. Perrone S. J. in prima causae propositione putaverat matrimonium esse nullum ob errorem qualitatis redundantem in errorem personae : adeo haec materia salebrosa est! Sed ex dictis apparet adfuisse in casu simplicem errorem qualitatis dantem causam contractui. Aliunde ipsa Eugenia fassa est se, cum fraudem nullo modo suspicaretur, illas qualitates non apposuisse tamquam conditionem *sine qua non*.

Similem sententiam eadem S. C. tulerat die 19 *Aug.* 1817 et 27 *Maii* 1827 in *Romana Matrimonii*, in qua Cassandra Luci petebat declarationem nullitatis sui matrimonii cum Vincentio filio Stephani Venturini de Castro Novo Tarfensi ex capite vis et metus, defectus solemnitatum, et praesertim erroris, quia eidem nupserat eo quod ipse se jactasset esse Vincentium Bellonch, filium Stephani Bellonch de Valentia, nepotem sacerdotis Bellonch divitiis affluentis. In folio S. C. in utraque causae propositione theoria erroris simplicis, ac erroris redundantis in personam perbelle exponitur.

Vide etiam eamdem S. C. in *Compostellana* seu *Licen. Matrimonii* 21 *Aug.* 1744, et in *Romana Matrimonii* 22 *Sept.* 1708. Huc usque de errore *facti*.

791. Ad errorem *juris* quod attinet, error juris circa *ipsum jus* in corpus in ordine ad prolem tunc verificatur, quando contrahens putat e. g. matrimonium esse societatem non ad filios habendos, sed mere amicalem, in eamque consentit. Hoc in casu deficere matrimonialem consensum, et ideo matrimonium esse nullum per se patet, quia contrahens reipsa non consentit in matrimonium, sed in aliquid

Digitized by Google

toto cœlo diversum. Id verum est, etsi contrahens, veritate cognita, in matrimonium fuisset aeque consensurus, cum haec non sit nisi interpretativa voluntas. At ille error post pubertatem in foro externo profecto non praesumitur, et admodum difficilis probationis esset. Quod si puella nubens scit ex. gr. matrimonium esse societatem cum viro, qui ex uxore filios procreat, et in hanc societatem consentit, sed nescit filios haberi per carnalem copulam, imo hanc carnalem copulam prorsus ignorat, est casus ignorantiae, quae non excludit matrimonialem consensum et conjugii valorem, cum puella revera satis consenserit in jus in corpus in ordine ad prolem ; etiamsi, cognita veritate, nuptias initura non fuisset, et modo eas respuat, quia de facto voluit, et voluntas interpretativa in rerum natura non existens nihil operatur. Caeterum neque haec ignorantia in foro externo praesumitur, quia post pubertatem natura ipsa has res edocere solet. Haec confirmantur ex pluribus responsionibus S. C. C. declarantis validum matrimonium in praedicta facti specie (1), nisi has responsiones explicare velis ex praesumptione juris et de jure notitiae rei.

792. Error juris circa *essentialem matrimonii proprietatem* verificatur, si contrahens vel putat vinculum matrimoniale solvi posse saltem in aliqua circumstantia, uti tenent infideles, nec non Graeci schismatici, qui contra definitionem Conc. Trid. *sess.* ***XXIV***, *can.* 7 adhuc autumant adulterio induci divortium plenum, et nonnulli perversi ac ignorantes catholici praesertim post funestam divortii civilis legem ; vel putat se post illum maritum aut uxorem posse alium quoque vel aliam superaddere, uti rursus infideles ; vel tandem putat matrimonium non esse sacramentum, uti protestantes, quibus adhaerent plures perversi et ignorantes catholici.

Jam vero hoc in casu certum est haberi consensum matrimonialem ideoque matrimonium per se valere cum simplici errore juris etiam dante causam contractui, nempe si contrahens, qui in eo errore versatur, modo vult inire *verum*

(1) *Acta S. Sedis* **V**, *pag.* 551, *sequ.* ac alibi.

Digitized by Google

matrimonium, prout a Deo institutum est etc., et positivo voluntatis actu non excludit proprietatem matrimonio essentialem, licet excluderet, si de ea cogitaret. Nam si res bene perpendatur, in casu est unicus voluntatis actus in *matrimonium verum, juxta divinam institutionem* etc., qui sufficit pro consensu matrimoniali et matrimonii valore (n. 774). Equidem contrahens, si cogitaret, positive sua voluntate excluderet essentialem matrimonii proprietatem, sed haec est voluntas interpretativa, quae *existeret*, sed non existit. Quod si contrahens explicito voluntatis actu seu vera mentis conditione illam proprietatem revera excludit, matrimonium irritum est: de qua re infra redibit sermo. Juxta hanc doctrinam Inn. III in *cap.* 7, *De divortiis* declarat matrimonium inter Hebraeos qui admittunt libellum repudii, valere, et virum etiam ad Christi fidem conversum, vivente uxore, non posse, salvo fidei privilegio, aliam habere; item Ecclesia habet validum matrimonium aliorum infidelium, Graecorum, Calvinistarum....., qui retinent vinculum solvi per adulterium, nisi expressa conditio solubilitatis apposita fuerit, uti saepissime SS. CC. RR. reposuerunt (n. 861); item primum matrimonium infidelis polygami, nec non protestantium perversorumque catholicorum, qui censent matrimonium carere sacramentali ratione. De qua re vide egregie tractantem Pirhing *IV*, *I*, *n.* 74 cum communi.

Propter favorem matrimonii simplex error praesumitur, donec conditio proprie dicta non probetur; eo vel magis quod ille alter positivus voluntatis actus est factum, facta autem probanda sunt.

793. Tandem error circa *validitatem* matrimonii verificatur, si utraque vel alterutra pars putat obstare aliquod impedimentum dirimens et matrimonium esse irritum, dum nullum obstat impedimentum et matrimonium per se valet; e. g. putat adesse quartum consanguinitatis gradum, cum adsit quintus; aut scit esse quintum, sed putat et ipsum matrimonium dirimere; aut scit in Galliis matrimonium civile, ut ajunt, vim veri matrimonii non habere, et hac opinione illud init in Anglia.

Digitized by Google

Jam vero matrimonium valet, si contrahens, quantum in se est, intendit verum matrimonium, quia tunc adest consensus, et ex hypothesi aliud impedimentum non obstat: nulla enim est ratio, qua opinio impedimenti seu falsa seu vera per se excludat illum voluntatis actum, qui matrimonialem consensum constituit. Est nullum, si contrahens intendit concubinatum, vel simplicem caeremoniam civilem, sponsalia, etc. non autem verum matrimonium: tunc enim deest consensus (1). Praesumitur autem intendisse matrimonium, donec contrarium non evincatur, tum propter matrimonii favorem, tum quia verba sonant matrimonium, et intentio praesumitur semper verbis respondere (2).

Haec confirmantur ex sequenti instructione S. C. de Prop. Fide ad Vicarium Apost. Constantinopolitanum 1 *Oct.* 1785: « Per gli altri finalmente della terza classe, i quali hanno volontà di prendere una vera moglie, ma sono nell'errore, che non sia sufficiente al valore del matrimonio di presentarsi dinnanzi al giudice turco, ma se sapessero la sufficienza di questo loro atto a contrarre il matrimonio vero, intenderebbero senz'altro di contrarlo, la S. C. coerentemente a quel tanto, che a Lei fu scritto il 19 *Aprile* 1783 rapporto ad un matrimonio consimile di una donna Armena, ha deciso, che questi matrimonii siano validi, quando non vi intervenga qualche altro canonico impedimento. Imperocché secondo le circostanze del caso proposto, non puo dubitarsi del vero, legittimo, interno e reciproco consenso dei contraenti. Il loro errore di non potersi contrarre validamente il matrimonio avanti il giudice turco, non puo renderlo nullo. Imperocchè non concerne, nè appartiene alla sostanza del matrimonio, e non toglie la precedente volontà di chi voglia celebrarlo, ma cade solamente nella sua forma e solennità, e cosi non puo renderlo invalido; giacchè si nel matrimonio, che negli altri contratti, quando l'errore è concomitante, e non influisce sull'essenza della cosa, che si vuole, ma

(1) Feje *n.* 407. Gury *II, n.* 904. Sanchez *II, XXXIII.* Leuren. *De For. Ecc. IV, qu.* 90. Schmalz. *IV, I, n.* 455 *sequ.*

(2) Sanchez *l. c.* De-Lugo *De sacram. in gen. VIII, n.* 136.

Digitized by Google

sulle sue qualità accidentali, rimane il contratto... » (1).

Huc etiam fortasse spectat responsio S. C. C. in *Parisiensi Matrimonii* 12 *Aug.* 1882. Nobilis ac perdives puella Maria Magdalena d'I. Lutetiae Parisiorum nata tali aestuabat amore erga aeque nobilem virum Paulum M. religione schismaticum, natione Graecum, ut cum eo nuptias contrahere statueret, quibus tamen mater obstabat. Paulus tunc temporis Londini morabatur uti primus secretarius legationis Turcarum Imperii penes aulam Britannicam ; et cum matrimonium in Galliis sine matris assensu (mortuo patre) leges prohiberent, Maria *die* 10 *Oct.* 1879 comitante et adjuvante sua institutrice, Londinum petiit, ubi matrimonium civile celebratum fuit, et biduo post sponsi rei uxoriae operam dederunt, lubente ac excitante Maria, si Paulo credatur, Maria vero invita et coacta, si Mariae depositionibus fides adhibeatur. Ad matrem Maria reversa, aestu passionis pacato, petiit declarationem nullitatis sui matrimonii. Processus confectus fuit penes curiam Archiepiscopalem Parisiensem, et proposito dubio : ». An constet de matrimonii nullitate in casu » S. C. respondit : « Affirmative, constare de nullitate ». Porro petitio nullitatis pluribus innitebatur capitibus ; sed putamus rationem decidendi hanc fuisse. Maria scilicet coram magistratu civili, vulgo *Register*, non intendit verum matrimonium, sed sponsalia. Id suadebatur ex eo quod in Galliis ex consueta catholica educatione

(1) *Latine* : Tandem pro aliis tertiae classis, qui habent voluntatem ducendi veram uxorem, sed errant reputantes quod non sufficiat validitati matrimonii sistere se coram Turcico iudice, qui tamen si scirent sufficientiam huius sui actus ad effectum ineundi verum coniugium, omnino vellent hoc inire, S. C. conformiter ad ea quae tibi scripta sunt die XIX Aprilis anni MDCCLXXXIII relative ad simile coniugium mulieris Armenae, resolvit haec matrimonia esse valida, quando non occurrit aliud canonicum impedimentum. Etenim secundum adiuncta propositi casus nequit dubitari de vero, legitimo, interno ac mutuo contrahentium consensu. Error eorum, quod matrimonium scilicet nequeat coram Turcico iudice valide contrahi, non potest matrimonium ipsum reddere nullum. Non enim respicit et spectat substantiam matrimonii, neque aufert praeviam voluntatem ipsum celebrare volentis, sed cadit solum in ejus formam ac solemnitatem, atque ita nequit irritum ipsum reddere ; quia tum in matrimonio tum in aliis contractibus, quando error est concomitans neque influit in volitae rei essentiam, sed influit in ejus accidentales qualitates, manet contractus...

Digitized by Google

receptisque moribus omnes retinent civilem actum non esse verum matrimonium, uti judex Parisiensis testabatur; et praeterea id satis probabatur ex depositione tum Mariae, tum etiam Pauli, quam alii quoque testes confirmabant.

§ 2. — *Quae consensui matrimoniali opponuntur ex parte voluntatis.*

I

Fictio seu simulatio et jocus.

794. Fictio seu simulatio consensus matrimonialis tunc verificatur, quando contrahens externe quidem verba consensum exprimentia serio et rite profert, sed interne illum non habet. Jam vero animadvertimus hanc simulationem posse in matrimonio sicuti in quolibet contractu verificari tripliciter: sicut enim consensus plenus est intentio contrahendi, et sese obligandi, et tandem implendi, ita contrahens simulate, dum contrahit, vel non habet intentionem contrahendi; vel habet intentionem contrahendi, sed non sese obligandi; vel tandem habet intentionem contrahendi et sese obligandi, sed non implendi (1). In primo casu est simulatio in strictissimo sensu et totalis, in altero et tertio est simulatio in sensu minus proprio ac partialis.

795. 1° Ad *primum casum* quod attinet, quaeritur in primis utrum matrimonium simulans proprie dicti sacrilegii reus sit ob sacramenti simulationem. Plerique affirmant (2) quia ipse simulat matrimonium quod est sacramentum, ideoque simulat sacramentum: atqui simulatio sacramenti importat grave sacrilegii peccatum, a quo nec metus gravis excusat ex *prop.* 29 damnata ab Inn. XI: « Urgens metus gravis est causa sacramenti administrationem simulandi ». Alii negant (3), et fortasse probabilius. Nam proprie dicta sacramenti simulatio, quae sacrilegium secumfert,

(1) D'Annibale *II*, § 430.
(2) Scavini *III*, *n.* 735. Pirhing *IV*, *I*, *n.* 97. Schmalz. *IV*, *I*, *n.* 230.
(3) Sanchez *I*, *XI*, *n.* 2, et melius *IV*, *XVI*, *n.* 2 *sequ.* S. Alph. *VI*, *n.* 62. D'Annibale *III*, § 295.

Digitized by Google

tunc verificatur, quando quis ponit materiam et formam sacramenti sine intentione (1): atqui id in casu nostro non accidit, quia contrahens sua simulatione reddit nullum contractum (n. 697), ideoque non ponit materiam et formam sacramenti sine intentione, cum forma et materia sacramenti matrimonii sit in contractu valido (n. 227), sed potius sacramentum non existit defectu intentionis, materiae et formae, licet ex culpa contrahentis. « Quod si sacrum ritum adhibuit (simulans), nisi fecerit ex metu gravi, alicujus sacrilegii quoque tenebitur Laym. *p. IV, c. I, n.* 5 ». D'Annibale *l. c.*

796. At, si sacrilegium abest, omnes admittunt simulate contrahentem ex dolo, idest cum deceptione alterius, per se graviter peccare. Mentitur enim, ac simul notabilem injuriam infert in re gravi alteri parti, ideoque graviter delinquit contra veracitatem et contra justitiam, et, si coeundi animum habet, quoque contra puritatem. DD. communiter ipsum excusant a peccato saltem gravi (excluso semper coeundi animo), si ex una parte sit aliquod impedimentum dirimens matrimonium, et ex altera gravis causa illud celebrandi urgeat. Nam cum adsit impedimentum dirimens, ipse sua simulatione non infert gravem injuriam alteri contrahenti, quia matrimonium esset aeque nullum sine simulatione; et cum gravis causa ipsum urgeat, uti potest aequivocatione, seu restrictione mentali, quae mendacium removet, e. g.: *Contraho tecum*, interius intelligendo: *Si non esset impedimentum* (2). Hinc non peccat qui, metu gravi coactus ad matrimonium, pronuntiat verba absque ullo interno consensu, animo omnino reluctante. Item si contrahens scit aliquod adesse impedimentum, et sine magno scandalo ac admiratione ab altari recedere non potest (3).

Quod si haec simulatio fiat sine alterius partis deceptione, quae de hac simulatione certior facta est, contrahentes non peccant, nisi quatenus ritu sacro adhibito abutuntur, a quo peccato minor ratio ac bona fides excusare potest.

(1) S. Alph. *VI, n.* 59.
(2) Sanchez *locis citatis.*
(3) S. Alph. *VI, n.* 62; *Hom. Apost. XVIII, n.* 29; *Exam. Ord. n.* 17, cum communi contra Milante.

Digitized by Google

797. Ulterius haec simulatio sive dolosa, sive non, cum consensum excludat, matrimonium reddit prorsus nullum (n. 770). Huc spectat *cap.* 26, *De sponsalibus*... cujus verba habes n. 699. At vero hujusmodi fictio seu simulatio in foro externo non praesumitur, sed probanda est certis argumentis, quia « nemo existimandus est dixisse quod non mente agitaverit » *l.* 7 *ff. De suppell. leg.*, et in dubio standum est pro valore matrimonii etiam in foro interno. Quod si simulatio revera adfuit, sed in foro externo non probatur, matrimonium erit reipsa nullum in foro interno; sed in foro externo habebitur validum, et judex potest putativos conjuges cogere ad vitam conjugalem, qui tamen deberent quamcumque poenam etiam excommunicationis patienter tolerare, potiusquam commercium inter se habere *ex cap.* 44, *De sentent. excommun.* Nempe est conflictus inter forum internum et forum externum. Et si ille qui simulato animo matrimonium inivit, deinde vero consensu aliud celebravit, hic conflictus gravior est. Nam in foro interno primum est nullum, alterum est validum, nisi aliquod obsit impedimentum; dum e converso in foro externo primum habetur validum, et consequenter alterum nullum, donec fictio non probetur. Proinde judex potest et debet eidem praecipere ut alteram mulierem deserat, et pro circumstantiis ad primam redeat: quo posito judicis praecepto, ipse potest ac debet sese separare ab altera muliere ad scandalum vitandum, sed non potest ullo pacto, quacumque non obstante poena, officia maritalia a prima petere aut ei reddere contra conscientiam. Hinc nullo matrimonio uti potest: non primo, quia nullum est, nec revalidabile, vivente altera conjuge; non altero, quia judicis praecepto prohibetur ab ejus usu, et a cohabitatione cum vera uxore. Quam miserrimam conditionem, quae forte ipsum nolentem ad servandam continentiam damnaret, non alii, sed uni sibi simulator imputet. Quod si, remoto scandalo, commercium cum vera uxore haberet, non esset inquietandus.

798. Porro probatio simulationis in foro externo facilis non est. Certe non sufficit affirmatio etiam jurata simulantis, quia « nimis indignum videtur quod sua quisque voce

Digitized by Google

dilucide protestatus est, in eumdem casum infirmare, proprioque testimonio resistere » *l.* 13 *C. De non numer. pec.* Secus apage matrimonia. Item nec sufficit assertio jurata utriusque partis, quia cum simulatio alteram partem lateat, rursus unica simulantis affirmatione simulatio probaretur. Necesse igitur est in primis probare causam simulationis, curnam scilicet Titius ficte contraxerit, ac deinde ipsa simulatio evinci debet conjecturis seu circumstantiis antecedentibus, concomitantibus, subsequentibus, quae adeo praecisae ac urgentes sint ut certum moraliter reddant judicem hujus ficti consensus. Quando autem id verificetur, prudens judex in singulis casibus videbit (1).

Folium S. C. C. in *Chiensi Matrimonii* 12 *Mart.* 1729 in subjecta materia docet: « Inter caeteras conjecturas et circumstantias hunc simulatum consensum efficaciter demonstrantes, ea ad nostrum propositum recensetur a praedictis theologis, quando scilicet vir illico et incontinenti post contractum matrimonium animum suum aperit se ficte consensisse vel factis statim nempe fugiendo, vel verbis id expresse fatendo, et insimul aliud matrimonium ineat, aut ad Religionem transeat, aut ad ordines sacros se promoveri faciat. Ista enim consensus ficti citissima manifestatio, et insimul si audeat aliam uxorem ducere, aut ad alium statum incompatibilem transire, demonstrare videntur suum fictum consensum, cum praesumendum non sit, si vere consensisset, tam cito se poenitere, et tam immemorem suae salutis esse, ut alias nuptias contrahere auderet..... Imo post istos et alios theologos subjungit idem Sanchez *n.* 5 jam dicta procedere etiamsi post aliquod temporis intervallum hic fictus consensus detegeretur a viro, quoties id juramento firmaret, ac ex ejus vitae qualitate probabile fieret eum non pejerare, quia nempe solitus esset sacramenta recipere et frequentare, bonorumque familiaritate uti, et insimul aliam uxorem duceret. Quia in his circumstantiis verosimile non esset eum velle in re tam gravi sibi et uxori adeo perniciose mentiri ».

(1) Consulat prae caeteris Sanchez *II, XLV, n.* 1 *sequ.*

Digitized by Google

Praeterea glossa in cit *cap.* 26 *De sponsalibus...* v. *mulierem* haec habet: « Sed pone quod aliquis protestetur coram pluribus, quod omnia quae dicet vel faciet, non faciet animo contrahendi matrimonium, et postea publice dicat: *Consentio in te*, numquid est hic matrimonium, vel non? In casu isto dico quod Ecclesia judicare debet pro matrimonio: quia recurrendum est ad communem verborum intelligentiam... Talia enim verba non possunt servire suae intentioni: praeterea si probet, quod illa verba protestatus fuit primo, potuit postea recedere ab illa voluntate, et consentire in illam, et hoc videtur per illud quod postea publice fecit: et si dicat quod adhuc tempore contractus erat in eadem voluntate, non creditur ei, quia contra eum fieri debet interpretatio, qui dolum adhibet... ».

Haec Glossa, si omnibus casibus applicari velit, rigida est: et melius Sanchez *l. c. n.* 17 *sequ.* inter varias sententias ita distinguit: « Caeterum distinguendum est sic: si ea protestatio fiat, altero conjuge sciente et consentiente, valet, et per eam recessum videtur a consensu sequenti, nec praesumetur matrimonium: si vero fiat, altero ignorante, vel si scivit, dissensit protestationi, nihil prodest, sed per sequentem consensum videtur ab ea recessum. Probatur prior pars, quia cum alter consensit, videtur cedere juri suo, et nolle contrahere matrimonium; posterior vero pars probatur: 1° quia matrimonium est contractus ex duorum voluntate pendens: id autem generale est in omni contractu hujusmodi, ut protestatio alterius nihil juvet, nisi, altero sciente et consentiente, facta sit.....; 2° quia protestans faciendo actum contrarium protestationi videtur ab ea recedere et simpliciter consentire..... ». Deinde vero merito docet requiri consensum expressum et non sufficere tacitum, si nempe protestatio facta sit altero sciente et tacente: et insuper, si copula accedat, praesumptione juris et de jure praesumi recessum a protestatione, et matrimonium valere in locis ubi decretum *Tametsi* non viget, et etiam ubi viget, si illa protestatio fuit occulta. Sed jam nonnulla exempla afferamus.

799. In cit. *cap.* 26, *De sponsalibus...* de hac specie

Digitized by Google

agitur. Titius cum non posset puellam ad turpia inducere, nisi desponsasset eamdem, nulla solemnitate adhibita, vel alicujus praesentiâ, contraxit simulato animo cum ea matrimonium dicens: *Te Joannes desponsat*, cum ipse Joannes non vocaretur, sed finxit se vocari Joannem non credens esse conjugium eo quod ipse non vocaretur hoc nomine, nec haberet propositum contrahendi, sed copulam tantum exequendi carnalem. Interrogatus Inn. III de valore hujus matrimonii respondet: «.... Quum praefatus vir praedictam desponsaverit mulierem in propria persona, et sub nomine alieno, quo tunc vocari se finxit, et inter eos sit carnalis copula subsequuta, videtur forte pro conjugio praesumendum, nisi tu Nobis expresse scripsisses, quod ille nec proposuit, nec consensit illam ducere in uxorem, quod qualiter tibi constiterit, non videmus. Nos autem quid juris sit respondentes, dicimus quod si res ita se habuerit, videlicet quod ille eam non proposuit ducere in uxorem, nec umquam consensit in praedictam personam, non debet ex illo facto conjugium judicari, cum in eo nec substantia conjugalis contractus nec forma contrahendi conjugium valeat inveniri; quoniam ex altera parte dolus solummodo affuit, et defuit omnino consensus, sine quo caetera nequeunt foedus perficere conjugale ». Proinde contrahere matrimonium sub ementito nomine, per se non est argumentum sufficiens pro simulatione consensus in foro externo.

800. S. C. C. in *Mutinensi Matrimonii* 9 *Jul.* 1725 declaravit matrimonium esse nullum ob simulatum consensum ex sequentibus circumstantiis. Anna de A. in arce Mutinae detinebatur a quatuor mensibus, ne matrimonium contraheret cum quodam juvene, qui ejus amore captus erat. Bene ipsa intelligebat se numquam esse consecuturam egressum e praedicta arce, nisi matrimonium contraheret cum alio viro non disparis, sed aequalis conditionis, vel professionem religiosam emitteret. Tunc in animum induxit matrimonium simulare cum aliquo. Plures epistolas dedit ad quemdam Abbatem M., quibus eum exorabat ut virum callidum inveniret, qui aptus esset ad simulationem, eidemque subinde notificavit quod Hannibalem T. invenerat, cum quo erat matri-

Digitized by Google

monium simulatura ; quod consilium fuit a dicto Abbate approbatum. Ante matrimonium concordata fuerunt capitula matrimonialia, in quibus conventum fuerat, quod futuri conjuges deberent in separatis domibus permanere, unusquisque propriis expensis usque ad proximum futurum mensem Maii. Igitur *die* 4 *Febr.* 1720 Anna inivit matrimonium cum Hannibale in cappella privata domus comitis Gubernatoris ejusdem arcis. Sponsi in eadem domo non cohabitaverunt. *Die* 23 *Februarii* stipulati sunt dotale instrumentum, ad quam tamen stipulationem Anna devenire noluit nisi postquam certiorata est ab Abbate instrumentum sibi praejudicium allaturum non esse, eo quod causa simulandi adhuc perduraret. Tandem *die* 25 *Februarii* sub praetextu cujusdam necessitatis Anna et Hannibal Mantuam petierunt, ubi Anna protestationem emisit de nullitate matrimonii ; et tandem causa delata est ad S. C. C. Exhibita fuerunt capitula matrimonialia, instrumentum dotale, epistolae Abbatis ad Annam, et Annae ad Abbatem, qui insuper sua depositione totam simulationis telam in aperto posuit. Hannibal quoque ingenue fassus est, enarrans omnes circumstantias, sibi revera ab Anna dictum fuisse, quod ipsa intenderet matrimonium simulate contrahere, sed se sperasse eam tractu temporis a simulatione esse recessuram. Proposito dubio : « An matrimonium sit nullum in casu ». S. C. *die* 19 *Aug.* 1724 reposuit : « Dilata, et examinentur testes formiter, et coadjuventur probationes juxta instructionem. Tandem rursus eodem dubio proposito cit. *die* 9 *Jul.* 1725 responsum prodiit : « Affirmative et amplius ».

801. Pariter in *Parisiensi Matrimonii* 7 *Mart.* 1885 eadem S. C. probationem simulationis admisit. Augustus Americanus Parisiis degens cum suis parentibus vehementer amabat Mariam, cui matrimonium promiserat. Obstitere Augusti parentes, qui eidem proposuerunt matrimonium cum Magdalena ejus consanguinea in quarto gradu. Parentes Augusti filio assignabant 250.000 libellas, parentes Magdalenae filiae constituebant 60.000 libellas in dotem. Obtenta dispensatione, matrimonium civile, et matrimonium religiosum celebratum fuit. Post mensem Augustus aufugit

Digitized by Google

in Americam cum Maria. Magdalena petiit ab Ecclesia declarationem nullitatis matrimonii ob simulatum consensum ex parte viri. Revera plura documenta aut indicia suadebant Augustum noluisse contrahere matrimonium cum Magdalena, sed tantum materialem actum ponere ad pecuniam a parentibus assignatam habendam, qua deinde una cum Maria Americam peteret. In pluribus epistolis ante et post matrimonium ad Mariam datis Augustus id clare affirmabat. Idem et Maria repetebat, quae huic matrimonio Augusti cum Magdalena hac de causa minime obstabat. Die matrimonii civilis et religiosi Augustus prorsus indifferens erat, imo in ecclesia circumspiciebat sperans videre Mariam. Post matrimonium neglexit Magdalenam, voluit statim pecuniam habere, et cum id non posset, vivente Magdalena, eam veneno de medio tollere tentavit. Effectu non sequuto, in Americam abiit cum Maria. Haec omnia certa erant, et insuper plures testes, nemine contradicente, id confirmabant. Quaestio erat utrum haec omnia simul sumpta plene probarent in foro externo simulationem. Curia Archiepiscopalis Parisiensis sententiam tulerat affirmativam. S. C. C. post duas dilationes proposito dubio : « An sententia Curiae Archiepiscopalis Parisiensis sit confirmanda vel infirmanda in casu », reposuit : Sententiam esse confirmandam.

Vide etiam cit. *Chiensem Matrimonii*, et *Patavinam Matrimonii* 2 *Maii* 1868.

802. 2° Modo de *altero casu*, nempe si contrahens habet quidem intentionem contrahendi matrimonium, sed simul habet intentionem explicitam ac positivam sese non obligandi aliquo modo, scilicet aut ad tradendum alteri jus conjugale traditumque acceptandi, aut ad tradendum et acceptandum tamquam perpetuum, exclusivum et sacrum. Ut patet hic contrahens ponit in contrahendo veram ac proprie dictam mentalem conditionem contra matrimonii substantiam. De hac conditione exterius apposita rursus redibit sermo n. 854 sequ. : sed modo de mentali dicimus hunc contrahentem in genere peccare (n. 795), et insuper matrimonium esse prorsus irritum ex defectu consensus. Sane in casu sunt duo voluntatis actus positivi et contrarii ; con-

Digitized by Google

trahens enim vult matrimonium, quia vult contrahere, et simul non vult, excludens illud jus ejusdemve essentialem proprietatem. Hic posterior voluntatis actus priorem destruit, vel, si mavis, ii duo contrarii positivi voluntatis actus mutuo se elidunt; et ita ipse nil vult, ideoque plane deest matrimonialis consensus. Lege quae de duobus hisce contrariis voluntatis actibus docte pro more suo disputat De Lugo *De sacram. in gen. VIII, VIII.* Exinde patet curnam simplex error contra substantiam non irritat (n. 792), dum conditio, etiam mentalis tantum, irritat: quia scilicet in casu simplicis erroris habetur unicus ac sufficiens voluntatis actus, in casu autem conditionis habentur duo actus voluntatis se mutuo destruentes; unde illic adest consensus matrimonialis, hic non adest.

Ben. XIV, *De Syn. XIII, XII, n.* 8, DD. explicationem his verbis reassumit: « Quicumque contractum vult, necesse est ut ejusdem substantiam velit; ideoque si contrahentes in matrimonii foedere ineundo conditionem apponunt illius substantiae contrariam, certissimum est argumentum nequaquam eos in veri matrimonii contractum consentire: sine contrahentium autem consensu matrimonium esse non potest. Quod si expressa illa conditio de matrimonio ob adulterium dissolvendo minime apposita fuerit, quamtumvis contrahentes in eo fuerint errore ut matrimonii vinculum per adulterium dissolvi possit, nihilominus locus est praesumptioni ut, dum matrimonium, prout a Christo institutum fuit, inire voluerunt, illud omnino perpetuum ac, interveniente etiam adulterio, insolubile contrahere voluerint; praevalente nimirum generali, quam diximus, voluntate de matrimonio juxta Christi institutionem ineundo, eaque privatum illum errorem quodammodo absorbente; quo fit ut matrimonium ita contractum validum firmumque maneat. At ubi contrahentes in ipso voluntatis contractu expressam apposuerunt conditionem de dissolvendo quoad vinculum matrimonio in casu adulterii, jam fieri nequit ut error particularis absorptus maneat a generali voluntate contrahendi matrimonium, prouti a Christo D. institutum fuit; sed potius voluntas generalis hujusmodi extinguitur ab errore

Digitized by Google

particulari, qui manifeste praevalet ac dominatur; atque hinc oritur nullitas matrimonii, in quo contrahendo apposita fuit conditio ipsius substantiae contraria ».

Caeterum haec intentio excludendi substantiam seu jus in corpus ad prolem habendam, aut essentialem ejusdem proprietatem, non praesumitur, nisi luculenter probetur.

Pro aliis contractibus in genere cum intentione contrahendi, non vero sese obligandi, notum est pulchram adesse quaestionem inter DD. an valeant necne, aliis affirmantibus, quia cum obligatio sit contractui intrinseca, volens contrahere eo ipso vult obligari ; aliis negantibus, quia cum obligatio sit contractui intrinseca, nolens obligari eo ipso non vult contrahere (1). Haec altera sententia est verior, et prima ex responsione S. C. C. 8 *Julii* 1724 (n. 857) grave vulnus videtur accepisse.

803. 3° Tandem in *tertio casu*, nimirum si contrahens habet intentionem contrahendi et sese obligandi, sed non implendi, seu jura matrimonialia servandi, intendens e. g. abusum matrimonii, adulteria, procurationem abortus futurae prolis etc, ipse peccat quidem, sed matrimonium valet (2). Nam intentio contrahendi et sese obligandi stare utique potest cum firmo proposito obligationem violandi ; illa autem intentio constituit consensum et satis est pro validitate contractus, ac proinde hoc pravum propositum non est contra conjugii substantiam. Propter favorem juris, quo matrimonium gaudet, in dubio praesumitur contrahentem habuisse hanc intentionem peccandi, salvo jure matrimoniali. Huc usque de fictione, seu simulatione.

804. De joco brevis est sermo. Nempe matrimonium joco initum irritum est defectu consensus : et aliquando ex circumstantiis culpa mortali vacare etiam potest ob levitatem taliter contrahentium.

Huc spectat responsio S. C. C. in *Asculana Matrimonii die* 14 *Dec.* 1889. *An.* 1865 Angelus Bordoni ex oppido

(1) S. Alph. *VI*, *n.* 832 plures AA. pro una aliaque sententia refert. D'Annibale *II*, § 430.

(2) Sanchez *V*, *IX*, *n.* 2, et *II*, *XXIV*, *n.* 12. D'Annibale *III*, § 318, *not.* 7, *II*, § 430. Lehmkuhl *II*, *n.* 688 cum communi.

Digitized by Google

Castel di Lama Asculanae dioecesis aetatis suae annum XL attingens, ingenio et usu nugator, uti oppidanis illis notum erat omnibus, otio tabescens prope ecclesiam et domum parochi insidebat muro. De more suo cum quadam Livia conquerebatur se non posse ducere uxorem, quod nulli mulierum esset gratus ob tetrum olei odorem, quem spirabat : munus enim suum erat oleum vendendi vel transferendi. Interea Anna Campitelli annorum circiter 20 casu viam pertransibat cum infantula super brachia, et Livia ex Annae Campitelli transitu arrepta occasione dixit Angelo : *En ista, duc eam.* Angelus, laudata puellae pulchritudine, ipsam interrogavit, utrum secum vellet matrimonium contrahere. Puella respondit : *Utinam.* Angelus de more suo hilariter et jocose ipsam deprecatus est ut secum domum parochi peteret ad matrimonium illico contrahendum. Ambo domum parochi ingressi, coram eo et duabus foeminis ibi commorantibus matrimonii formulam protulisse visi sunt, sed semper jocose et hilariter. Parochus ipsos reprehendit ; verum ipsi ridentes abierunt et, ut antea, nullam inter se societatem habuerunt, ita ut matrimonium, si unquam initum fuit, inconsummatum remanserit. Parochus tale matrimonium in librum non retulit, quia rem habuit tamquam irrisoriam et ludicram, sed tamen dubius rem detulit curiae episcopali. Cum vero deinde Anna Campitelli vellet serium inire conjugium cum alio viro, dubitatum fuit de validitate sui cum Angelo matrimonii, et factus processus ad juris tramites omnia, prouti supra relata sunt, in aperto posuit. Propositis dubiis : « 1° An constet de matrimonii nullitate in casu : Et quatenus negative ; 2° An consulendum sit Ssmo super dispensatione a matrimonio rato, et non consummato in casu » ? S. C. respondit : Constare de nullitate matrimonii.

II

Vis et metus.

805. Vis, quatenus a metu distinguitur, est violentia physica ac definitur : *majoris rei impetus, cui resisti non potest* ex *l.* 2 *D. Quod metus causa.* Afficere non potest

Digitized by Google

nisi actum externum, et verificatur, quando hic actus ponitur sub coactione physica cui resistere non possumus, animo prorsus reluctante. Jam vero talis actus nullum habet moralem ac juridicum valorem « quum (agens) magis pati quam agere convincatur » *cap.* 5, *De iis quae vi metusque causa fiunt.* Proinde matrimonium sub vi initum est nullum defectu consensus, e. g. si signum capitis exprimens consensum matrimonialem a Titio physice extorqueatur, animo ipsius renuente. Imo est nullum, etsi per hypothesim Titius intus in corde suo consentiret. Nam signum illud exprimit consensum quando est ab agente sponte positum, non vero quando est vi physica extortum, ac proinde in hypothesi consensus interior non esset externe manifestatus. Haec de vi : fusius de metu agendum est.

806. Metus dici etiam solet *vis* seu *coactio moralis*, ita ut vis seu coactio dispescatur in *physicam*, de qua supra, et *moralem*, de qua modo. Prout est vis moralis, metus ex *l.* 1 *D. Quod metus causa* definitur : *instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio.* Nempe nos naturâ malum aversamur, ab eoque refugimus. Hinc quando illud videmus instans vel futurum, animus noster trepidat : en timor. Et eodem naturae instinctu, quo refugimus a malo, nos inclinamur ad id quo malum evitatur. Quandoque trepidatio mentis talis est ac tanta ut illud medium evitandi malum amplectamur motu, ut ajunt, primo-primo absque ulla deliberatione et electione. In hoc casu deest prorsus consensus, quia voluntas in illud non assentitur, et quidquid nos facimus, est involuntarium simpliciter. Proinde matrimonium hoc modo initum esset manifeste nullum pleno consensus defectu ; e. g. si Titius arma gestans mortem minitatur Semproniae nisi hic et nunc ei nubat, et puella *complètement affolée*, ut dicitur lingua gallica, verba consensus profert. Saepius vero trepidatio mentis admittit deliberationem et electionem, dum aliquid facimus ad fugiendum malum instans vel futurum. In hoc casu consensus adest, quia voluntas assentitur in illud ; hinc adagium : *coacta voluntas est semper voluntas* ; sed tamen consensus procedit ex metu ad malum evitandum, et quod agimus, est

Digitized by Google

voluntarium simpliciter mixtum aliquo involuntario imperfecto. Hinc differentia quod defectus discretionis, error, simulatio, de quibus supra, aut conditio, de qua infra, auferunt prorsus consensum, dum metus minuit tantum. Quaeritur utrum matrimonium ex tali metu initum validum sit.

807. Equidem si pars, metum passa in antecedens, nunc plenum ac directum praebeat consensum, matrimonium certe valet; e. g. Sempronia ab initio vere coacta fuit, sed nunc Titii amabilitate seducta toto animo ipsi nubit. Hanc vero mutationem voluntatis confessarius ex confessione partis desumit; judex ex indiciis et circumstantiis.

Pariter si pars metum passa, videns matrimonii consummationem vitari non posse, malit contrahere matrimonium quam Deum offendi, atque ita plene, licet reflexe, in illud consentiat, matrimonium valet, quia ille consensus plenus, etsi reflexus, satis est; secus ipsi necessario aut peccandum foret, aut matrimonii usu abstinendum, nec posset quod minus malum sibi videtur, eligere (1).

E contrario matrimonium est certe nullum, si pars metum passa in ipso matrimonii actu simulat consensum; imo ipsa excusatur quoque a peccato, dummodo firmum propositum habeat omnes actus conjugatis licitos ac solutis prohibitos vitandi (n. 796).

Quaestio igitur respicit casum quo pars jugum matrimoniale acceptat consensu diminuto ex metu ad malum evitandum.

808. Jam vero indubium est metum, si requisitas conditiones habet quas infra exponimus, irritare matrimonium. Id aperte tradit Alex. III *cap.* 14, *De sponsalibus...*: « Cum locum non habeat consensus, ubi metus vel coactio intercedit, necesse est ut, ubi assensus cujusdam requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem solo consensu contrahitur, et, ubi de ipso quaeritur, plena debet securitate ille gaudere, cujus est animus indagandus, ne per timorem dicat sibi placere quod odit, et sequatur effectus qui de invitis solet nuptiis provenire. Quocirca mandamus quate-

(1) D'Annibale *III*, § 315. Lehmkuhl *II*, *n.* 738.

Digitized by Google

nus puellam, de cujus matrimonio quaestio ventilatur, in domo in qua nihil eam timere oportet, facias honeste teneri donec praedicta causa terminata fuerit, et sententia sine contradictione cujusquam valeat executioni mandari ». Confirmatur ex *cap.* 15 *ejusd. tit.*, de quo infra redibit sermo, et ex *cap.* 28 *ejusd. tit.*, ex quo eruitur matrimonium esse nullum, si mulier verba consensus protulit metu illato qui cadere potuit in constantem virum ; et tandem, aliis juribus omissis, ex *cap.* 2, *De eo qui duxit...*

Nullitas matrimonii in casu est in favorem partis metum passae, et per accidens tantum alteri prodesse potest : unde in dubio juris non satis constat utri favendum sit, an matrimonio, an parti metum passae (n. 219).

809. Nonnulli putant hunc metum matrimonio non officere, si pars cogatur ad personam incertam inter certas ducendam, e. g. unum ex filiis Petri ; sicuti electio valida est, si electores coacti ad eligendum unum ex tribus, unum libere eligunt. At communius et verius DD. tradunt etiam in hoc casu metum irritare conjugium (1) ; quia minuit consensum, sicuti si pars cogeretur ad determinatam personam, et infelices exitus eodem modo timendi sunt, et injuria aeque infertur, ideoque canones citati etiam hunc casum comprehendunt. Haec probant matrimonium esse nullum, etsi pars cogatur ad matrimonium in genere : nam sunt eaedem rationes. Pro matrimonio igitur consensus mere electivus non sufficit, si in electionem ipsam quis coacte consentit (2), dum sufficit juxta sacros canones in aliis electionibus ecclesiasticis.

810. Cum matrimonium ex metu nullum sit, manifeste patet omnes actus qui solutis prohibentur, etiam iis supposititiis conjugibus prohiberi. Praescindimus modo a bona fide vel ignorantia invincibili, qua pars metum passa facilius excusatur, difficilius alia, si ipsa metum incussit, aut metus incussi conscia erat. Sed si res objective spectetur,

(1) Schmalz. *IV, I, n.* 395. Pirhing *IV, I, n.* 103. Sanchez *IV, XII, n.* 20.

(2) Sanchez *l. c.* Pontius *IV, n.* 14. Salm. *IX, IX, n.* 39 *sequ.* Cleric. *XXVIII, n.* 35.

Digitized by Google

nisi prius matrimonium revalidetur, de qua re alias, pars metum passa debet potius mortem subire, quam in actum, qui fornicatio est, consentire. « Potest etiam, si per id ex conscientiae angustiis libera evasura est, atque id sibi possibile judicat, in sui violatione passive se habere ». Lehmkuhl *II*, *n.* 738; quod tamen de facto vix possibile erit.

811. Quaeritur utrum matrimonium tali metu initum sit nullum jure naturae, an solo jure positivo Ecclesiae. Magna est DD. dissentio.

Plures censent esse nullum jure ipso naturali; inter quos pauci id retinent pro omnibus actibus in genere, ideoque et pro matrimonio, quod tamen minus probabile est; alii pro matrimonio in specie. Nam 1° rel. *cap.* 14, *De sponsalibus*... Alex. III docet sub tali metu deesse consensum: atqui matrimonium, deficiente consensu, jure naturae non intelligitur; 2° matrimonium est vinculum perpetuum mutui amoris inter conjuges, quod in tali metu non habetur; 3° jus naturae alios actus reddit rescindibiles ad petitionem partis metum passae; cum vero id matrimonio applicari nequeat, debuit illud irritum reddere, secus innocenti non consuluisset (1).

Plerique putant esse nullum solo jure ecclesiastico (2). Nam consensus sub tali metu adest (n. 806), et sicut est sufficiens ad validitatem aliorum contractuum, ita et matrimonii: Ecclesia autem merito illum insufficientem declaravit, quia alias parti metum passae succurri non poterat. In prima sententia sunt inextricabiles difficultates: nam sequeretur e. g. etiam metum gravem supernaturalem, aut metum gravem naturalem ex causa necessaria, aut metum gravem naturalem ex causa libera juste incussum, vel etiam injuste sed non directe, irritare matrimonium, quia diminutio voluntarii eadem potest esse, imo et major. In altera vero sententia facile patet cur nam ii metus matrimonium

(1) S. Thomas *supp. q.* 47, *a.* 3. Pontius *IV, XIV, n.* 4. S. Alph. *VI, n.* 1054, cum pluribus aliis, qui hanc sententiam appellat *non minus probabilem* et *forte probabiliorem*.

(2) Sanchez *IV, XIV, n.* 2. De Lugo *De j. et j. XXII, n.* 120. Schmalz. *IV, I, n.* 406. Pirhing *IV, I, n.* 10 5. De Angelis *I, XL, n.* 8. Santi *IV, I, n.* 149.

Digitized by Google

non irritent; nempe quia Ecclesia pro eis id non statuit, et pro nonnullis nec statuere poterat (1). Nec rationes in contrarium allatae pro prima sententia aliquid evincunt: nam in rel. *cap.* 14, *De sponsalibus....* dicitur sub tali metu deesse consensum ad matrimonium requisitum a jure in genere (2); mutuus autem conjugum amor necessarius quidem est ut matrimonium felicem exitum sortiatur, non vero ad illius valorem; et tandem juri naturae supplevit Ecclesia hoc ferens impedimentum.

Hanc alteram sententiam veriorem putamus, eaque in sequentibus utimur.

812. Ex his facile intelligitur:

1° Quid dicendum de matrimonio infidelium. Nempe si auctoritas civilis tulit impedimentum dirimens metus, matrimonium nullum est (n. 281 sequ.); secus in prima sententia est nullum, in altera veriori, quam secuti sumus, est validum: in quo dubio cui favendum sit, vide n. 219. Cum autem una pars est Christiana, altera infidelis, tunc, supposita dispensatione in impedimento dirimenti disparitatis cultus, si pars metum passa est Christiana, matrimonium est certe irritum, quia ejus consensus est certe insufficiens; si infidelis, in prima sententia matrimonium viribus caret, in altera valet.

2° Curnam Ecclesia numquam in hoc impedimento dispenset. Nam dubium est an sit juris naturalis, quo in casu Ecclesia dispensare non posset; ac insuper, admissa quoque uti certa altera sententia, numquam removenda foret nullitas, quae est in favorem partis metum passae, ne haec matrimonio invita ligetur, et metum incutiens ex sua iniquitate commodum reportet, nam « metum comprobare contra bonos mores est » *l.* 117 *De regulis juris.*

813. His positis de metu in genere, quoniam inter vim et vim (moralem seu metum) est differentia, ut ait Alex. III *cap.* 6, *De sponsalibus....*, modo videndum est quinam metus juxta sacros canones irritet matrimonium. Principium generale continens responsionem hoc est: ille metus irritat

(1) De Lugo *l. c. n.* 115, et *n.* 120.
(2) Lessius *II, XVII, n.* 48.

Digitized by Google

matrimonium, qui caeteros contractus facit rescissioni obnoxios (1). Sed ad majorem declarationem distinguendae sunt variae species metus, quae fere omnes ex malo, quod est causa metus, desumuntur.

814. 1° In primis est vulgaris distinctio metus in *gravem* et *levem*. Metus gravis erit gravis trepidatio mentis; metus levis erit levis trepidatio mentis, uti ex metus definitione apparet. Porro metus gravis, seu gravis mentis trepidatio de facto verificatur, quando malum instans vel futurum grave est pro illa persona, quae nempe illud facile sustinere non posset, et simul persuasum habeat illud revera sibi imminere; secus metus est levis, seu levis trepidatio mentis (2). Sanchez *IV, I, n.* 10 quinque conditiones, ut metus gravis dici possit, ponit et explicat, quae tamen ad illas duas optime revocantur. Metus gravis dici quoque solet in jure *metus cadens in virum constantem* cit. *cap.* 15, 28, *De sponsalibus...* et *cap.* 6, *De iis quae vi metusque causa fiunt,* ita ut haec expressio, proverbii loco posita (3), nihil aliud significet nisi metum gravem. In. *l.* 2 *ff. De eo quod metus causa* dicitur *cadens in virum constantissimum*, ubi superlativum est pro positivo. Et aliquando appellatur quoque *metus justus*, licet injustissimus sit. Praestat illas duas conditiones breviter declarare: nam in causis de nullitate matrimonii ex capite metus quaestio plerumque versatur circa metus gravitatem.

815. Ad *primam* quod attinet malum instans vel futurum debet esse grave *pro illa persona*. Sunt nonnulla mala, quae gravia ab ipso jure habentur absolute seu pro omnibus hominibus, scilicet mors, mutilatio, cruciatus corporis, exilium, amissio libertatis, status, omnium bonorum, aut majoris vel magnae partis eorumdem, et etiam instrumentorum, quibus haec bona vindicantur; ita quoque amissio magni lucri, si ad illud jus aliquod habes e. g. haereditatem paternam, aut saltem jus ne ab illo injuste impediaris, comminatio stupri, infamia juris aut facti cui non facile oc-

(1) Schmalz. *IV, I, n.* 390 ac alias cum communi.
(2) Reiff. *I, XL, n.* 18 sequ. cum Scoto ac pluribus aliis.
(3) Sanchez *IV, III, n.* 3.

Digitized by Google

curri potest, excommunicatio injusta quae facile removeri nequit, et similia ; et haec omnia sive quatenus nobis ipsis impendent, sive quatenus nostris parentibus, liberis, uxori, fratribus, imo etiam aliis consanguineis et affinibus ac domesticis (1). Proinde haec mala praesumuntur gravia etiam *pro illa persona*, nisi attenta ejus qualitate aliud prudenti judici constet ; e. g. carcer aliquorum dierum aut mensium pro homine perditissimo, qui pluries jam carcere detentus fuit, nihil fortasse erit ; item monasterium pro puella, quae solitudinem amat et vitae interiori studet etc. In his casibus ea mala sunt gravia absolute seu pro omnibus in genere, sed levia relative, ideoque illi personae metum gravem non gignunt. Alia mala minoris momenti pro aliquibus personis gravia possunt esse, pro aliis levia ; e. g. idem malum potest esse leve pro viro, grave pro muliere aut puero propter naturalem eorum fragilitatem, et idem malum potest esse grave pro hac puella, leve pro aliis mulieribus, grave pro hoc juvene vel viro, leve pro aliis. Prudens judex in singulis casibus videbit, attentis omnibus circumstantiis, utrum illud malum pro illa persona grave sit vel leve. Tandem aliquando plura sunt mala instantia vel futura, singula fortasse levia, sed quae simul sumpta quid grave, judicio prudentis, pro illa persona constituunt. Blanditiae pro nemine important malum grave : item nec preces importunae, nisi importunitas tanta esset ut contineret injuriam gravem (2).

Si autem quaeras utrum indignatio illius, cui reverentiam debemus, grave malum censeatur, ita ut metus exinde ortus, qui *reverentialis* appellatur, gravis per se sit, responsionem desumimus ex D'Annibale *I*, § 138, *not.* 14 : « Est et metus reverentialis. Et ille dicitur quem auctoritate sui facit is in cujus potestate sumus, et quem reverentia et honore prosequimur, puta praelatus, dominus, pater, maritus (Ex *l.* 22 *De ritu nupt.* S. Alph. *VI, n.* 1036). Hunc nonnulli esse putant ejus qui solam domini, patris etc. offensam

(1) Sanchez *IV, V.* Reiff. *I, XL, n.* 19. S. Alph. *VI, n.* 1047 cum communi. De singulis vide fuse Sanchez *IV, V*; S. Alph. *VI, n.* 1048; Pontium aliosque.

(2) De Lugo *De j. et j. XXII, n.* 146. Sanchez *IV, VII.*

Digitized by Google

veretur ; alii contra ejus qui ab eo metuit aliquid grave, e. g. exhaeredationem, expulsionem etc. Neutrum plane : non primum, quia metus sine periculo alicujus damni non intelligitur ; non alterum, quia ubi tam grave damnum impendet, gravis *simpliciter* dicendus est. Itaque timor reverentialis dicitur, cum aliquis patris, domini etc. indignationem, quae profecto malum est, metuit, licet absint verbera aut minae. Quae si gravis et diuturna futura sit, malum grave adeoque et metus gravis non immerito existimabitur. Sanchez *IV*, *XIV*, *n.* 17, 26 ; Pontius *IV*, *n.* 57 ; Salm. 8, 9, 33 ». Ita quidem, sed in foro externo non praesumitur ejusmodi indignatio esse malum grave neque pro puella, nisi forte accesserit aliquod aliud malum, licet per se solum insufficiens, e. g. jurgia, minae, aliqua forte verbera etc.; vel saltem preces importunae et instantissimae ; et hanc doctrinam in praxi sequitur S. C. C. (1).

816. Quoad *alteram* conditionem pro metu gravi habendo, persona metum patiens persuasum habere debet illud malum sibi imminere. Hinc licet malum instans vel futurum sit grave, tamen metus est levis ; *a*) si persona scit eum, qui malum minitatur, non posse aut non solere minas executioni mandare ; e. g. parentes dicunt Semproniae : *Aut monasterium aut matrimonium cum Titio*, sed Sempronia scit, etiam recusato matrimonio, parentes nolle, aut non posse eam in monasterium detrudere ; *b*) si persona potest sine magna difficultate illi malo occurrere, e. g. implorando superioris aut amicorum auxilium, vel declinando a potestate illius qui metum incutit. Hinc si malum est remotum, plerumque metus non est gravis. Addit tamen Sanchez *IV*, *I*, *n.* 16 : « Imo crediderim, quamvis regulariter ad metum justum (idest gravem) exigatur malum, quod timetur, esse jam jam impendens, quia multis viis occurri potest periculis futuris longe distantibus ; si certum esset illi malo gravi, multo post tempore probabiliter eventuro, non posse subve-

(1) Santi *IV*, *I*, *n.* 144. Reiff. *I*, *XL*, *n.* 95. Engel. *IV*, *I*, § *V*, *n.* 4. Pignatelli tom. *IX*, *cons.* 130, *n.* 19. Clericatus *Dec.* 37, *n.* 24. Lege votum canonistae (praeclarissimi Santi) in *Tolentinatensi Matrimonii* 17 *Apr.* 1869, qui de metu reverentiali perbelle disserit.

Digitized by Google

niri, nisi praesentem contractum ineundo, judicandum esse metum gravem ».

Haec de metus distinctione in gravem et levem : in dubio praesumitur levis propter matrimonii favorem.

817. Jam vero omnes uno ore fatentur matrimonium metu levi initum validum esse, si metus fuit mere concomitans, aut ex parte tantum concurrit ita ut matrimonium, etiam sine metu, contractum fuisset. Si vero metus levis dedit causam contractui, nonnulli censent matrimonium esse nullum in foro interno, validum in foro externo ; quia Ecclesia, ubi metus est levis, non praesumit coactum, sed spontaneum consensum (1). Alii communissime docent metum levem, etiam dantem causam contractui, non importare nullitatem matrimonii; quae sententia vera et certa est ita ut alia nulla probabilitate gaudere videatur (2). Nam 1° hic metus non reddit alios contractus rescissioni obnoxios (3); unde principium generale applicari potest (n. 813). 2° Revera matrimonium tali metu initum non est invalidum *jure naturae*, quia non apparet curnam hoc parvum involuntarium matrimonium evacuare debeat. Quod quidem evidens est in altera sententia, quam amplexati sumus, scilicet metum gravem irritare conjugium solo jure positivo, quia si magna diminutio voluntarii ex metu gravi non reddit jure naturae consensum insufficientem ad matrimonium, multo minus parva diminutio ex metu levi. Sed licet admittas cum prima sententia metum gravem ipso jure naturae irritare matrimonium, non exinde sequitur idem affirmandum esse de metu levi. Nec invalidum est *jure ecclesiastico*, quia nusquam legitur Ecclesiam tale matrimonium nullum renuntiavisse. 3° Exinde aliud argumentum non levis pon-

(1) Ita Navarrus, Veracruz, Manuel Rodriquez aliique apud Sanchez *IV, XVII, n.* 2. De Lugo *De j. et j. XXII, n.* 141. Sanchez *l. c. n.* 5 hanc sententiam dicit satis probabilem, et sustinenti matrimonium metu contractum esse jure naturae irritum habere longe majorem probabilitatem, licet ipse eam non sequatur.

(2) Sanchez *l. c.* qui tamen hanc sententiam habet tantum *probabiliorem*. Pontius *III, XVIII, n.* 3. S. Alph. *VI, n.* 1055, qui eam appellat *communissimam*. S. Thomas *sup. q.* 47, *a.* 3. Schmalz. *IV, I, n.* 387. Pirhing *IV, I, n.* 117. Reiff. *I, XL, n.* 25, et *IV, I, n.* 330.

(3) Sanchez *IV, IX.*

Digitized by Google

deris, licet negativum, eruitur : nam si revera hic metus matrimonium in foro interno irritaret, non explicatur curnam Ecclesia in foro externo nullam hujus metus rationem habeat in ordine ad validitatem matrimonii. 4° Imo canones, dum declarant metum gravem irritare matrimonium, implicite argumento ducto a contrario sensu id negant de metu levi, quicumque ipse sit etiam dans causam contractui ; quod bene explicat Pirhinghius *l. c.* Ex his omnibus satis apparet metum levem qualemcumque non secumferre matrimonii nullitatem.

818. 2° Ulterius metus gravis potest esse vel *supernaturalis*, si malum quod timetur fide apprehensum est boni supernaturalis privativum, e. g. gehenna, amissio gloriae aeternae etc., hoc enim malum est gravissimum, ac proinde si apprehenditur uti certo imminens, constituet metum gravem ; vel *naturalis*, si malum est naturale e. g. mors, cruciatus etc. Jam vero matrimonium metu supernaturali, utcumque gravi, initum, e. g. ut quis consulat conscientiae suae, est validum. In genere actus sub tali metu positus nec irritus nec rescindibilis est, et affirmare actum positum in remedium conscientiae esse hoc ipso nullum est plane absurdum.

819. 3° Metus gravis naturalis est vel *a causa libera* idest ab homine ; vel *a causa necessaria* sive intrinseca sive extrinseca e. g. metus mortis ex morbo, naufragio, peste grassante... Omnes admittunt matrimonium initum metu gravi naturali ex causa necessaria seu metu *ab intrinseco*, ut alii loquuntur, valere, e. g. si Titius nuptias contrahit, quia medicus ipsi dixit matrimonium ejusque usum esse ei quantocius necessarium ad sanitatem conservandam (1). Etiam alii actus positi sub tali metu validi sunt nec rescindibiles, e. g. *cap.* 17, *De regularibus*... declaratur validum servarique jubetur votum religionis emissum ad sanitatem recuperandam ab eo qui in lethali infirmitate constitutus erat.

820. 4° Metus gravis naturalis ex causa libera potest esse vel *justus*, vel *injustus*. Est justus, quando malum, quod

(1) Sanchez *IV*, *XII*, *n.* 4. Reiff. *I*, *XL*, *n.* 26, et *IV*, *I*, *n.* 335. De Lugo *l. c. n.* 113, S. Alph. *VI*, *n.* 1049 cum communi.

Digitized by Google

timetur, est undequaque justum tum *quoad substantiam* tum *quoad modum*, e. g. si agatur de poena justa ob delictum vere patratum inflicta a judice competente, servato ordine juris. Est injustus, quando malum, quod timetur, est aliqua ratione injustum ; sive *quoad substantiam*, si nullo pacto debetur, e. g. si agatur de poena ex delicto, quod commissum non est, licet judex sit competens, et servaverit ordinem juris ; sive *quoad modum*, si malum quidem debetur, sed non ab ea persona, aut non eo modo, e. g. si agatur de poena inflicta a judice incompetenti, aut non servato ordine juris, licet delictum sit admissum, et poena per se justa ; sive quoad *substantiam simul et modum*, quod ex dictis intelligitur. Jam vero quinam metus irritet matrimonium vel non, quaestio est difficillima ob confusionem et brevitatem, qua a DD. tractatur.

Satis convenitur valere matrimonium initum ex metu *justo* (1). Nam alios contractus hic metus nullatenus impetit. Accedit impedimentum metus inductum esse in favorem partis injuriam passae ob metum incussum : atqui si metus est justus, nulla ei fit injuria ratione cujus succurri eidem debeat. Rationem a priori dat *l.* 21 *ff. De eo quod metus causa,* quia qui metum justum patitur « ipse sibi metum infert » ; sed ratio clarior est, quia Ecclesia nec statuit nec statuere poterat hunc metum irritare nuptias.

Hac posita doctrina, merito Schmalz. *l. c. n.* 391 docet cum communi validum esse matrimonium « in sequentibus casibus : 1° Si reus in aerumnoso carcere juste detentus, ut libertatem consequatur, se ad nuptias cum filia detinentis ineundas offert, vel a detinente oblatas sub ea conditione acceptat, et actu contrahit ; 2° Si bello justo sibi illato ad angustias redactus, vel in arce obsessus, sub conditione pacis obtinendae, vel obsidionis solvendae, duxit filiam hostis, a quo bello impetitus vel obsessus est ; 3° Si reus ad mortem vel triremes damnatus, ut vitam vel libertatem servet, matrimonium init cum uxore, filia, vel consanguinea occisi, vel

(1) De-Lugo *De j. et j. XXII, n.* 158. D'Annibale *III*, § 315, Sanchez *IV, XIII, n.* 3. S. Alph. *VI, n.* 1049. Pirhing *IV, I, n.* 104. Schmalz. *IV, I, n.* 389. Santi *IV, I, n.* 147.

Digitized by Google

etiam cum meretrice ; 4° Si qui sponsalia cum aliqua puella rite contraxit, vel eamdem sub spe et promissione nuptiarum decepit et corrupit, eam excommunicationis vel alterius gravis poenae a judice ecclesiastico intentatae metu cogitur ducere ; 5° Si juvenis, quem pater in flagitio cum filia deprehendit et accusationem sceleris apud judicem comminatur, ut hanc evitet, vitiatam ducit..... »

His nos addimus casum, qui revera existit in foederatis Americae Septemtrionalis provinciis. Lex enim est ut vir qui mulierem vi cognovit, eam consentientem ducat ; secus detrudatur in carcerem non antea, quam eam duxerit, dimittendus. Putamus matrimonium esse validum (1), quia metus est justus : nam hoc delictum est mixti fori, atque ideo, supposita veritate delicti, ea poena non videtur injusta, licet alia sit a canonica.

Nec metus *injustus quoad modum tantum* probabilius matrimonium irritat ; quia secundum rei veritatem, quam canones spectant, justus est (2). Revera alii contractus, hoc metu initi, in foro interno et coram Deo validi sunt, nec rescissioni obnoxii ; etiam in hoc casu valet illud *l.* 21 *De eo quod metus causa* : « Ipse sibi metum infert » ponens causam, qua sciebat malum illud deberi ; et tandem injuria potius legi fit, quam personae metum passae.

Proinde standum est pro matrimonio in sequentibus casibus : 1° Si pater ipse dicat stupratori filiae suae : aut duc, aut dota, aut ibis in carcerem, et stuprator eam ducit ; 2° Si incompetens judex secundum acta et probata ipsum cogat mulierem ducere aut dotare ; 3° Si ille, quem judex competens cogit, secundum acta et probata innocens appareat, quum revera reus sit. Sanchez quidem *IV*, *XIII*, *n.* 8 in fine contradicit ; sed plures alii affirmant, quia secundum rei veritatem metus justus est, et rei veritas in hac materia spectanda est, potius quam juridicae modalitates (3).

821. 5° Tandem metus gravis naturalis ex causa libera injustus quoad substantiam potest esse vel *directus ad ex-*

(1) D'Annibale *III*, § 315, *not.* 19.
(2) D'Annibale *l. c.*, De Lugo *l. c.*, *n.* 157 *sequ.*
(3) Pontius *IV*, *XIX*, *n.* 11. D'Annibale *l. c.*

Digitized by Google

torquendum consensum matrimonialem, e. g. si pater stupratorem filiae suae vult interficere, nisi eam ducat ; vel *non directus ad hoc*, e. g. si pater vult stupratorem necare ad vindictam criminis et offensae. Jam vero juxta communiorem sententiam matrimonium valet si metus non est directus ad extorquendum consensum matrimonialem (1). DD. magnae auctoritatis contradicunt inter quos eminet Schmalz. *IV, I, n.* 398 *sequ.*, et De Lugo *l. c. n.* 175 *sequ.*, nec eorum rationes facile solvi queunt, praesertim si dicas metum irritare matrimonium jure naturae. Etiam de valore aliorum contractuum tali metu initorum DD. minime conveniunt. Si ad canones attendamus, qui impedimentum metus continent, omnes alii loquuntur de metu directo, sed rel. *cap.* 14, *De sponsalibus....* generale est. Stante hac controversia, si agatur de matrimonio ineundo, numquam permittatur, ut clarum est ; si de matrimonio contracto, interim stetur pro illius validitate, donec S. Sedes aliud non declaraverit (n. 219).

Exinde sequitur dubium esse valorem matrimonii in sequentibus casibus : 1° Quum innocens, a judice alias condemnandus, contraxit cum filia judicis ut sententiae injustae metu se liberaret, licet judex eum condemnare intenderit alio fine quam ad extorquendum matrimonium ; 2° Si contractum est metu sententiae, secundum allegata quidem et probata, in innocentem tamen ferendae a judice ; 3° Si initum est metu cujuscumque gravis mali et vexationis injustae illato ob quemcumque finem etiam sine ejus mali inferendi animo ; 4° Si contractum est a juvene qui in flagranti flagitio deprehensus a patre cum filia, ut mortis vel mutilationis in flagitii ultionem inferendae discrimen effugeret, parenti nuptias cum eadem obtulit, aut ab illo oblatas acceptavit ; 5° Si contractum est a muliere infirma cum medico aut filio medici, qui curationem ex officio debitam denegaverit ex odio, ignavia, aliave causa, ut sic ad praestandam

(1) Sanchez *IV, XII, n.* 3. Pirhing *IV. I, n.* 100. D'Annibale *III*, § 315. Gury *n.* 832. Santi *IV, I, n.* 148. De Angelis *IV, I, n.* 19. S. Alph. *VI, n.* 1049 qui eam dicit *communem*.

Digitized by Google

curationem inducatur : et ita porro in similibus casibus (1).

822. Igitur matrimonium certo irritat *metus gravis, naturalis, ex causa libera, injustus quoad substantiam, ac directus ad extorquendum consensum matrimonialem* : et haec est regula canonica certissima et ab omnibus admissa in hac materia. Hinc nullum est matrimonium : 1° Contractum a juvene, quem aliquis in flagranti deprehendens cum sua filia, cogit eam ducere. Haec est species cit. *cap.* 15 *De sponsalibus*... Nam Titius in domo sua mulierem quamdam recepit, de qua prolem habuit, et cui fidem coram pluribus praestitit, quod eam ducturus esset in uxorem. Interim cum apud domum vicini sui pernoctasset, ejus filia nocte illa secum concubuit, quos pater puellae simul in uno lecto inveniens, matrimonium per verba de praesenti inire coegit. Alex. III praecipit Titium debere remanere cum prima muliere, si post fidem praestitam idest post sponsalia eamdem cognoverit (n. 36 sequ.) ; secus cum secunda « nisi metu coactus, qui posset in virum constantem cadere, eam desponsaverit ». 2° Contractum a juvene, quem judex competens secundum acta et probata cogit, cum revera innocens sit. Contradicit Sanchez *IV, XIII, n.* 8 cum aliis : « Non enim credendum est jus canonicum, quod in hoc casu compelli praescribit, velle ut ea compulsione matrimonium irritetur ». Sed immerito ; quia est metus gravis etc. injustus secundum rei veritatem, licet justus secundum juridicas formas, et credendum est canones potius illam quam has respicere (n. 820) (2). 3° Contractum a juvene, quem judex cogit reum quidem, sed qui nunc ab omni obligatione erga mulierem vi cognitam liberatus est e. g. ob ejus fornicationem, quae tamen probari nequit. Nam eodem modo hic metus est injustus secundum rei veritatem, et habet omnes alias conditiones. 4° Contractum a juvene quem judex ecclesiasticus cogit ad ducendam mulierem ita ut secus luat in corpore. Nam jus canonicum dat ei optionem ut aut nup-

(1) Ex Schmalz. *l. c., n.* 400, qui tamen cohaerenter ad suam doctrinam docet hisce in casibus matrimonium nullum esse.

(2) S. Alph. *VI, n.* 1052 qui nostram sententiam dicit, *probabilem, et forte probabiliorem*. Pontius *IV, XIX, n.* 11. D'Annibale *l. c.*

Digitized by Google

tias ineat, aut dotem solvat, aut secus luat in corpore ; ideoque illa poena injusta est injustusque metus quoad modum et substantiam (1) ; e contrario valeret matrimonium si juvenis praecise ad nuptias teneretur. 5° Contractum a juvene, quem medicus, nisi cum filia sua contrahat, curare recusat, etsi curare teneatur ex justitia (2). Nam metus est injustus, nec aliis conditionibus caret requisitis ad matrimonium irritandum. Sanchez *IV, XII, n.* 15 affirmat matrimonium valere, quia metus est a morbo. Respondemus metum mediate esse a morbo, sed immediate esse a curationis negatione, quae est vere damnum grave. Sententia Sanchesii vera est, si medicus ad curationem non tenebatur, quia tunc metus non est injustus. Quid si non tenebatur ex justitia, sed tenebatur ex charitate, quia necessitas urgebat, nec alius erat? Salm. cum aliis apud S. Alph. *l. c.* censent matrimonium adhuc nullum esse : obstat vero doctrina De Lugo *l. c. n.* 152, nempe non irritare matrimonium metum incussum contra alias virtutes, sed solum contra justitiam. 6° Contractum a juvene ex metu carceris, privationis officii, gravis damni in rebus, vel alterius vexationis injustae ad nuptialem consensum extorquendum incusso etc.

823. Metus matrimonium irritans, de quo huc usque, non praesumitur, sed ab allegante probandus est, *l. Cum te non solum ff. De iis quae vis metusque causa.* Haec probatio difficilis est « tam ex parte illum patientis, cum in ejus animo sit reconditus, tam ex parte inferentis, cum secreto et clam inferatur..... praesertim quando infertur a patre filiae secum habitanti, et propterea in ea leviores probationes sufficiunt..... » Rota *dec.* 326 *coram Ludovisio.* At non est impossibilis : et tunc habetur quando tales conjecturae et adminicula simul juncta concurrunt, ut moralem certitudinem in judice pariant. Quare nil mirum si admittantur testes, qui alias non admitterentur, et si idonei vocantur, uti in *cap. fin. De testibus* notat Glossa. Hinc admit-

(1) Sanchez *IV, XIII, n.* 7. Schmalz. *IV, I, n.* 393. Pontius *IV, XVIII, n.* 13.

(2) S. Alph. *VI, n.* 1053. Pontius *IV, XIX. n.* 15. Salm. *IX, n.* 54. Schmalz. *IV, I, n.* 393. De Lugo *l. c. n.* 183.

Digitized by Google

tuntur etiam domestici ipsique consanguinei et parentes illius, qui metum passus est. Ita folium S. C. C. in *Lucerina Restit. in integr.* 26 *Mart.* 1768, § *Clare*. Imo ut adminicula probationis cumulentur, et inde moralis in animo judicis exurgat persuasio de metus existentia cum omnibus conditionibus ad matrimonium irritandum, plurimum deferendum est juratae depositioni illius qui metum passus est, praesertim si aliae praesumptiones concurrant, quae eidem faveant (1). Tandem in quaestione de metus valore probando ipsi etiam audiri solent, qui metum incusserunt, uti tradit Rota in *decis.* 373, *n.* 13 et 14, *part.* 18, *t.* 1 *Recent.* Plures hujusmodi metus praesumptiones recenset Bossius *De matr. XII*, *n.* 369 *sequ.* et lege votum canonistae in cit. *Tolentinatensi Matrimonii* 17 *Apr.* 1869.

824. Expositas doctrinas facile possemus pluribus exemplis, praesertim ex thesauro S. C. C. desumptis, confirmare. Unam referimus responsionem in *Parisiensi Matrimonii diei* 26 *Julii* 1879. Baro Petrus de B., licet Gallus, per plures annos vixerat in Germania, ubi amore captus est cujusdam puellae, cui promisit matrimonium. *An.* 1862 in Galliam rediit cum hac puella, ut matrimonium celebraret; sed familia, praesertim mater, amita Eulasia, et avus Abel nuptiis obstiterunt, eo quod puella nec nobilis nec dives esset: et potius Petro proposuerunt matrimonium cum puella divite ac nobili ex Galliis. Petrus recusavit, et tunc parentes eidem indicaverunt aliam puellam aeque nobilem ac divitem, et amita Eulasia, quae pingue patrimonium habebat et Petrum jam scripserat haeredem, hoc matrimonium vehementer suasit. Petrus ob timorem amittendi haereditatem tandem consensum dedit, et matrimonium celebratum fuit *die* 25 *Nov.* 1862. Felices exitus non habuit: *an.* 1864 conjuges separationem quoad torum et cohabitationem a tribunali civili petierunt et obtinuerunt, ac postea Petrus apud S. C. C. institit ut matrimonium nullum declararetur ob metum incussum a sua familia, praesertim ab amita Eulasia, quae alium scripsisset haeredem, si ipse ab ea com-

(1) Pignatel. *tom.* 1, *Cons.* 4, *n.* 9. S. C. C. in *Valentina Professionis* 1773.

Digitized by Google

mendatum matrimonium recusasset. Cardo igitur quaestionis in eo fuit, an amita Eulasia illas minas revera serio protulisset, et quatenus affirmative, an timor amittendi alienam haereditatem matrimonium irritet. Defensor Petri utrumque affirmabat: defensor matrimonii utrumque negabat, exponens in puncto juris receptam doctrinam (n. 815), nempe timorem amittendi magnum lucrum non irritare matrimonium, nisi aliquod jus ad illud sit, aut saltem jus sit, ne ab illo quis impediatur (1); quia secus matrimonium iniretur non timore, sed potius concupiscentia boni illius, aut clarius quia sacri canones non statuunt hunc timorem nuptias irritare, quod ex ipsa communi sententia deducitur. Proposito dubio, « An constet de nullitate matrimonii in casu »? S.C. reposuit negative: et rursus eodem dubio proposito *die* 16 *Dec.* 1882, stetit in decisis.

825. Clericatus *De sacram. Matr. XXII, n.* 34 narrat juvenem cum virgine turpia agentem repertum fuisse a virginis parentibus, qui statim gravi iracundia perciti eumdem armis aggressi sunt, mortem ipsi illaturi, nisi statim matrimonium cum eadem virgine iniret. Ad hunc effectum parochum et testes statim vocaverunt coram quibus contractum fuit matrimonium per verba de praesenti. Sed inito conjugio, depositis armis a parentibus, sponsus ex illa domo aufugit, et statim de matrimonii nullitate protestatus est. Et revera nullum fuit matrimonium ob metum gravem a privatis incussum, et hic casus recidit in speciem cit. *cap.* 15, *De sponsalibus...*

Matrimonium e contrario validum fuisset, si juveni parentes, armis arreptis, dixissent: *Aut duc, aut dota, aut ibis in carcerem*; vel si juvenis promissione matrimonii rem obtinuisset, et parentes ei dixissent: *Aut duc, aut ibis in carcerem*, quia metus fuisset injustus per accidens quoad modum tantum.

Sed matrimonium fuisset aeque nullum si puella sponte blanditiis, osculis etc. consensisset, et parentes juvenem coe-

(1) Sanchez *VI, V, n.* 27 *sequ.* S. Alph. *VI, n.* 1019, S. C. C. in *Urbinatensi Matrimonii* 10 *Maii* 1732. Pontius *IV, V, n.* 10. De Lugo *De j. et j., XXII, n.* 144.

Digitized by Google

gissent ad eam ducendam vel dotandam, quia juvenis tunc ad nihil obligatus fuisset, et ita metus fuisset injustus etiam quoad substantiam.

826. Hanc materiam concludimus recolentes decretum Conc. Trid. *sess. XXIV, cap. IX, de ref. matr.*, ubi ad consulendum libertati conjugiorum decernit excommunicationem latae sententiae contra illos dominos et magistratus, qui quovis modo directe vel indirecte subditos impediunt quominus libere matrimonia contrahant. Haec, cum strictae sint interpretationis, non respiciunt parentes, aliasque personas privatas, prout decisit S. C. C. apud Fagn. in *cap. 7, n. 4, Qui cler. vel vov.*, sed tantum dominos et magistratus; et quidem probabilius non dominos et magistratus subditos impedientes a nuptiis, sed subditos cogentes ad nuptias (1). Attamen parentes, aliique cogentes filios vel filias ad matrimonium graviter peccant et puniri possunt, uti respondit S. C. C. in *Romana Matrimonii* 20 *Oct.* 1721.

Articulus III

De expressione consensus matrimonialis.

827. Diximus n. 770 internum consensum, ut matrimonium habeatur, debere esse exterius manifestatum sufficienter ita scilicet ut traditio-acceptatio alterius ab altera parte satis intelligatur. Modo videamus *quibus modis* matrimonialis consensus, de quo huc usque loquuti sumus, sit manifestandus, ut matrimonium valeat. Principium generale est consensum matrimonialem iisdem modis exprimi posse, quibus significatur consensus in aliis omnibus contractibus, nempe *verbis, signis, factis, per epistolam, per procuratorem, per interpretem.* Conc. Trid. *sess. XXIV, cap. I de ref. mat.* statuit consensum matrimonialem pandi debere coram proprio parocho aut alio sacerdote de proprii parochi seu Ordinarii licentia, et duobus saltem testibus in forma liturgica, sed de hac re in capite sequenti; nunc singula illa declaramus.

(1) S. Alph. *VI, n.* 849. Barbosa in *cit. loc.* Conc. Trid. cum aliis.

Digitized by Google

828. *Verbis,* quae juxta receptam significationem exprimant consensum maritalem de praesenti. Quaenam verba importent hunc consensum, vide fuse apud Sanchez *I, XVIII, et sequ. Accipio te in uxorem, accipio te in maritum* ; *consentio ut sis mea uxor, ut sis meus maritus* ; *tu es mea uxor, meus maritus* ; *contraho tecum matrimonium*, aliaque similia manifeste exprimunt consensum matrimonialem. Aliquando etiamsi verba quoad sonum sint de futuro, tamen indicant consensum de praesenti. In *cap.* 9, *De sponsalibus...* refertur casus sequens : « Andreas juramento praestitit quod eam (mulierem C.) *ab eo tempore pro conjuge teneret et ei sicuti uxori suae fidem servaret* : ipsa quoque eidem Andreae juravit *se illum pro marito habituram* et *fidem ei tamquam viro proprio servaturam* ». Alex. III resolvit adesse matrimonium seu ea verba satis exprimere consensum de praesenti. Idem repetas de verbis : *Ex nunc*, vel *ab hoc tempore*, vel *deinceps habebo te pro uxore,* vel *tractabo te semper ut uxorem*, « quia verba haec, etsi sint futuri temporis quoad sonum, tamen reipsa important consensum de praesenti : si enim quis promittat quod *ex nunc et deinceps* semper hanc foeminam habebit pro uxore, seu tractabit ut uxorem : ergo est uxor ipsius (Sanchez *I, XVIII, n.* 14). Quamvis vero in cit. *cap.* 9, *De spons.* in responsione mulieris non apponantur ea verba : *Ab hoc tempore,* quae faciunt ut consensus de futuro importet consensum de praesenti, tacite tamen subintelliguntur, cum respondeat juxta praecedentia verba viri ». Pirhing *IV, I, n.* 87. E contrario verba : *Habebo te in uxorem*, vel *promitto quod ducam te in uxorem,* continent sponsalia, non matrimonium (1). At si quis per haec verba de futuro intendit matrimonium, nec matrimonium haberi, nec sponsalia diximus n. 28 ; sicuti si per verba de praesenti intendit sponsalia.

Quod si verba ambigua sint, in foro interno quisque suipsius judex est ; in externo interpretanda sunt juxta ea quae cit. n. 28 tradidimus, et secundum hanc interpretatio-

(1) Pirhing *l. c. n.* 88.

Digitized by Google

nem judicandum, uti expresse statuitur in cit. *cap.* 7, *De sponsalibus*..... In dubio autem standum est pro valore matrimonii etiam in foro interno.

829. Quaeritur utrum nupturientes teneantur in conscientia consensum exprimere verbis, si loqui possunt. Inn. III interrogatus an solis verbis matrimonium contrahatur, respondet *cap.* 25, *De sponsalibus*..... : « Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri et mulieris consensum, sed *necessaria sunt quantum ad Ecclesiam verba consensum exprimentia de praesenti* : nam surdi et muti possunt contrahere matrimonium per consensum sine verbis ». Exinde deducunt nonnulli verba, si sponsi valent eadem proferre, esse praecepta sub gravi, non autem pro validitate matrimonii ; alii putant verba nullo modo praecepta esse, et liberum esse conjugibus consensum aliis signis promere ; illud autem *necessaria sunt quantum ad Ecclesiam verba* intelligunt quoad faciliorem matrimonii probationem ; alii tandem probabilius dicunt verba requiri, sed tantum sub levi culpa, a qua excusaret verecundia, aut alia rationabilis causa (1). Parochus igitur exigat omnino ut nupturientes, si possunt, exprimant consensum verbis, et quidem clare : ita enim pluribus occurretur possibilibus molestiis et cavillationibus, nedum satisfiet obligationi, quae saltem sub levi urgere videtur.

830. Caeterum parochus in excipiendo consensu eam adhibeat verborum formulam, quam cujusque dioeceseos praxis aut statuta praecipiunt, et sponsi juxta eam respondeant. Cum enim Conc. Trid. *sess. XXIV, cap. I, de ref. mat.* ita loquatur : « Parochus, viro et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat : *Ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque provinciae ritum », innuit quidem per interrogationes exquirendum esse sponsorum consensum ; ast modum et formam, quibus hujusmodi consensus exquiritur, et a contrahentibus declaratur, non praecise definire, sed ma-

(1) S. Alph. *VI, n.* 888.

Digitized by Google

gis cujusque dioeceseos praxi relinquere voluit. Verum ejusmodi forma per praxim et ritualia semel inducta, parochus sine peccato eam mutare, vel aliam adhibere non potest (1).

831. *Signis aut factis.* Hinc Inn. III in *cap.* 23 *et* 25, *De sponsalibus...* declarat mutum et surdum posse matrimonium inire « quum quod verbis non potest, signis valeat declarare ». Et Rituale Rom. *Ritus celebr. matr. sacram.*: « Nec sufficit consensus unius, sed debet esse amborum, et expressus *aliquo signo sensibili*, sive fiat per se, sive per procuratorem ».

Quaenam signa aut facta consensum satis exprimant, non potest regula generali indicari. Copulam carnalem, in nonnullis circumstantiis habitam, satis exprimere maritalem consensum, et importare matrimonium praesumptum alias declaravimus n. 36 sequ. Pariter capitis inclinatio ad alterius propositionem in communi usu assensum significat. Hinc e. g. si, parocho interrogante, mulier caput inclinat, jam maritalis consensus satis expressus est. Idem dicas, si mulier, quae prae nimia commotione nec verba protulerat nec caput inclinaverat, *ultro* porrigit manum ut vir annulum immittat; aut si, viro exprimente consensum, mulier pro responsione *ultro* dexteram praesentat et viri dexteram stringit. Si post matrimonium peractum sponsi cum testibus ad sacristiam accedunt ut ibi a parocho conscribantur in libro matrimoniorum simul cum testium nominibus, id quoque, ni fallimur, continet sufficientem consensus expressionem. At satis non est si, muliere neque respondente, neque inclinante caput, neque dexteram porrigente, vir apprehendit ejus dexteram ut annulum immittat, et mulier tantum se non retrahit. Pariter si decretum *Tametsi* partes non obligat, quaeri potest utrum sufficiat silentium filiorumfamilias, dum parentes eorum nomine sed sine eorum mandato matrimonium ineunt, ipsis praesentibus et tacentibus, vel ipsis absentibus et non contradicentibus, re cognita. Quaestio huc redit, utrum dispositio Bonif. VIII in *cap. un. De desp.*

(1) S. Alph. *VI, n.* 888. Bangen *III, pag.* 34.

Digitized by Google

imp. in. 6° non solum sponsalia de futuro (n. 31) sed etiam sponsalia de praesenti comprehendat. Plerique affirmant (1); alii negant (2): unde judex videat, omnibus inspectis circumstantiis, utrum in casu silentium significet consensum vel potius dissensum (3): plerumque significabit dissensum.

832. *Per epistolam.* Alios contractus per epistolam iniri posse certum est ex *l. mulierem ff. De ritu nuptiarum* cum epistola scribentem repraesentet. Omnes admittunt et matrimonium potuisse per epistolam valide celebrari ante Conc. Trid., et etiam hodie posse si non urget decretum *Tametsi*. Hoc in casu matrimonium subsistit, si epistola Titii scribentis Semproniae : *Contraho tecum*, perveniat ad Semproniam, et haec directe rescribat Titio, ejusque responsio acceptans perveniat ad Titium. Subsistit, inquam, ab hoc ultimo instanti, et si medio tempore alteruter resilit, nihil est actum (n. 773). Quod si Titius dixerat in epistola se illi in virum tradere, et *ex nunc* acceptare illius consensum, plerique putant matrimonium constare statim ac Sempronia sufficienter manifestavit suam acceptationem, etsi Titius eam adhuc ignoret (n. 775).

Promulgato decreto *Tametsi*, nonnulli ab initio dubitaverunt matrimonium per epistolam posse adhuc fieri, quia non facile intelligitur quomodonam verificari possit utriusque conjugis praesentia coram eodem parocho iisdemque testibus. Sed communis et certa sententia affirmat, quia non probatur Conc. Trid. tale matrimonium per epistolam suo decreto sustulisse (4). Coram parocho et testibus sistit una pars, et alia pars repraesentatur per epistolam quae pro ea loquitur ; sicuti in matrimonio per procuratorem coram parocho et testibus sistit una pars, et alia repraesentatur per procuratorem. Sanchez *II, XII, n.* 3 id explicat afferens duos casus : « Primus casus est..., si epistolam mittens scribat se non solum facere sui corporis traditionem, sed *ex*

(1) Sanchez *I, XXIII, n.* 3. Covar. *part.* 2, *De spons. cap.* 4, *n.* 7.
(2) Schmalz. *IV, I, n.* 247. Pontius *II, XIV.*
(3) D'Annibale *III*, § 313, *not.* 4.
(4) Praeter AA. qui citari possent, vide Card. Caprara in instructione 26 *Maii* 1803 (n. 1139).

Digitized by Google

tunc traditionem per alterum sibi faciendam acceptare: Tunc enim si, epistola lecta coram parocho et testibus, alter consentiat, jam utriusque traditio et acceptatio fit coram eodem parocho et testibus. Secundus casus est, quem ita nemine inveni, si recipiens epistolam rescribat mittenti se accepisse litteras in quibus vult ipsum in conjugem, et similiter se ipsum velle. Tunc enim si, hac epistola rescripta lecta coram parocho et testibus, recipiens coram illis consentiat, jam mutua acceptatio et traditio constat parocho et testibus, quia illa epistola continet traditionem rescribentis et acceptationem traditionis factae a primo mittente, et prior mittens se tradit et acceptat coram parocho et testibus ».

Sed quamquam haec ad apicem juris vera sint, tamen etiam, decreto Conc. Trid. non urgente, matrimonium per epistolam non licet sine gravi causa; si vero hoc decretum obligat partes, parochus numquam eidem assistat, inconsulto Ordinario; qui illud non permittet sine urgentissima causa (1).

833. S. C. C. prima vice quaestionem de validitate matrimonii per epistolam post inductam a Conc. Trid. substantialem matrimonii formam ad examen revocavit *die* 30 *sept.* 1673. Nam, uti narrat Card. de Luca *De matr. disc. XVI*, B. ex antiqua illustri familia immeritos habens natales, arcto diuturnoque carcere ex causa uxoricidii inclusus, cum populari muliercula absente per hujus epistolam in ipso carcere coram parocho et testibus matrimonium contraxit. Epistola directa erat ad parochum, et in ea mulier declarabat se nubere B. Re delata ad S. C. C., duae fuerunt quaestiones ad trutinam deductae: 1° An ista contrahendi per litteras forma in genere sive in abstracto hodie post Conc. Trid. decreta valeat? 2° Quatenus valeat, an in casu bene servata esset? Card. de Luca, qui in hac causa scripsit, negativam responsionem sustinuit ad utramque quaestionem. E contrario S. C. affirmativam tenuit, et matrimonium declaravit validum (2).

(1) Feje *n.* 300. Bangen *III*, *pag.* 32.

(2) Vide etiam folium ejusdem S. C. in *Januensi Matrimonii* 10 *Julii* 1728; sed solutio hujus causae deest.

Digitized by Google

834. *Per procuratorem* matrimonium ad instar aliorum contractum iniri potuisse ante Conc. Trid (et per consequens etiam hodie posse quoties non urget decretum *Tametsi*), tradit expresse Bonif. VIII in *cap. ult. De procuratoribus in* 6° quod totam doctrinam hac de re continet: « Procurator non aliter censetur idoneus ad matrimonium contrahendum, quam si ad hoc mandatum habuerit speciale. Et quamvis alias is, qui constituitur ad negotia procurator, alium dare possit, in hoc tamen casu (propter magnum quod ex facto tam arduo posset periculum imminere) non poterit deputare alium, nisi hoc eidem specialiter sit concessum. Sane si procurator antequam contraxerit a domino fuerit revocatus, contractum postmodum matrimonium ab eodem (licet tam ipse quam ea cum qua contraxit, revocationem hujusmodi penitus ignorarent), nullius momenti existit, cum illius consensus defecerit, sine quo firmitatem habere nequivit ».

Communis sententia est hoc jus adhuc vigere, et matrimonium per procuratorem, servatis hisce conditionibus, contrahi posse etiam Tridentino vigente decreto, quia Conc. Trid. nihil in hac re immutavit. Haec doctrina confirmatur ex praxi Ecclesiae, quae haec matrimonia in forma Tridentina aliquando permittit. Nonnulli tantum prudenter consulunt, ut qui matrimonio per procuratorem juncti sunt, vel iterum ipsimet coram parocho et testibus consensum renovent, vel saltem coram Ecclesia se ratum habere matrimonium declarent: quae tamen necessaria non sunt, sed majoris dumtaxat cautelae gratia suadentur (1). At ob incommoda quibus locum dare potest, hoc matrimonium non facile permittendum est. Parochus numquam, inconsulto suo Ordinario, illi assistat, et Ordinarius nonnisi ex causa valde gravi, omnibus rite perpensis, illud permittat pro sua prudentia (2). Modo decretalis Bonif. VIII breviter declaranda est.

835. Requiritur in primis mandatum speciale ad matrimonium contrahendum. Et quidem fieri debet certae ac determinatae personae, atque ad effectum illud contrahendi

(1) Ben. XIV *De Syn. XIII, XXIII, n.* 9.
(2) Bangen *l. c.* Instructio Austriaca § 50. Card. Caprara *in cit. n.* 1129.

Digitized by Google

cum certa et determinata persona ex *cit. cap. ult. De procurat. in* 6° (1). Confirmatur ex responsione S. C. C. in *Neapolitana Matrimonii* 7 *Julii* 1736. Nam Joannes Baptista Bassand, chirurgus cujusdam legionis Gallorum militum, Neapoli morabatur *an.* 1706 : et cum Dux quidam minis ipsum continuo compelleret ad matrimonium contrahendum cum Genovefa, ad eas declinandas folium nudum a se tantum subscriptum in manibus praefati Ducis relinquens Taurinum primum petiit, deinde Viennam, ubi matrimonium cum Maria rite inivit *an.* 1715, ex qua prolem habuit. Dux post ipsius discessum curavit in enunciato folio sibi tradito scribi mandatum procurae in personam Joannis Antonii sui familiaris ad matrimonium contrahendum nomine dicti Joannis Baptistae cum Genovefa ; quod revera *die* 9 *Maii* 1706 coram parocho et testibus initum fuit. Post plures annos, mortua ipsa Genovefa, Joannes Baptista expostulavit nullum declarari matrimonium cum Genovefa suo nomine initum, legitimam vero prolem a se ex altero matrimonio susceptam. Propositis dubiis : « 1° An constet de nullitate matrimonii. Et quatenus negative ; 2° An saltem reputari debeat ad omnes juris effectus legitima proles suscepta ab altero matrimonio contracto *an.* 1715 in casu », S. C. reposuit : « Ad 1um affirmative. Ad 2um provisum in primo ».

Caeterum de rigore juris hoc mandatum dari potest scripto vel viva voce, licet scripturam consultius requiri nemo non videat : secus Ordinarius numquam permittat matrimonium. Necesse non est ut detur coram parocho et testibus. In procuratore autem nulla qualitas exigitur pro matrimonii validitate, nec certa aetas, nec sexus diversitas.

836. Procurator debet mandatum ipse per se exequi, et nequit alium subdelegare, nisi haec subdelegandi facultas expresse ei data sit. Quando matrimonium celebratur in forma Tridentina, procurator in actu matrimonii exhibet mandatum, et parochus interrogat : *Vis in uxorem Sempronium nomine Titii ? Vis in maritum Titium, mediante*

(1) Sanchez *II, XI, n.* 4. Pontius *II, XV, n.* 3.

Digitized by Google

praesenti suo procuratore? Si vero matrimonium contrahitur non in forma Tridentina, procurator hac vel simili forma utitur: *Titius* (*vel Sempronia*) *te accipit in uxorem* (*vel maritum*), *me mediante* (1).

837. Mandatum revocari potest tacite vel expresse. Si mandans, quando procurator matrimonium iniit, consensum etiam mentaliter tantum revocaverat, matrimonium est nullum defectu consensus ex cit. *cap. ult. De procuratoribus in* 6°; sed si revocatio probari nequit, matrimonium in foro externo valeret. Id est speciale in matrimonio: in genere enim est juris regula: *Actus valet, nisi procurator certior fiat de revocato mandato* juxta textum *in cap.* 33, *De rescriptis*, et *Clem. un. De renuntiatione*. Ratio differentiae est, quia in aliis actibus lex consensum supplet; sed consensus matrimonialis nulla auctoritate suppleri potest (2). Huc spectat responsio S. C. C. in *Engubina* seu *Perusina Matrimonii* 5 *Julii* 1727. Nam Elisabeth de Ghirlardis procuratorem constituerat ad matrimonium ineundum cum Hieronymo de Raphaelibus. Inito matrimonio, Elisabeth egit pro declaratione nullitatis, affirmans se mandatum revocavisse, licet revocatio ad notitiam procuratoris deducta non fuisset. Tota quaestio fuit an revera Elisabeth mandatum libere revocavisset ante matrimonii celebrationem. Instrumentum quidem revocationis a notario confectum fuit ipsa matrimonii die, nempe die 29 *Martii* 1724; sed cum constaret ipsam aperuisse suam mentem hac super re *die* 27, et 28 pluribus personis, S. C. C. proposito dubio: « An constet de matrimonii nullitate in casu » respondit affirmative. Quod si mandans ex animo mandatum dedit ab initio, deinde consensum mentaliter revocavit, et tandem rursus consensit ante executionem mandati, matrimonium valet. Idem repetas probabilius, si ab initio ficte mandatum dedit, sed postea ante matrimonii celebrationem revera consentit (3). Si mandans, concesso mandato, amplius de eo non cogitavit, et interim matrimonium celebratur, utique

(1) S. Alph. *VI*, *n.* 886.
(2) Sanchez *II*, *XI*, *n.* 6.
(3) S. Alph. *l. c.*

Digitized by Google

valet, etsi tempore celebrationis mandans dormierit vel sit ebrius, quia consensus virtualiter perseverat. Exinde deducit Sanchez *l. c. n.* 12 valere quoque matrimonium etsi mandans tempore celebrationis in amentiam inciderit (1). Quod ne admittas ; nam hoc in casu consensus in mandante prorsus deficit, sicuti si supremum diem obiisset, ideoque contractus in genere ex *l.* 47 *et* 48 *ff. De acquirenda haereditate*, et matrimonium in specie non intelligitur (2).

838. Si in mandato addita fuit aliqua vera conditio, e. g. quod matrimonium fiat sed cum tali dote, haec conditio servari sedulo debet ; secus nihil est actum, deficiente consensu. *Vera conditio*, quia si id quod in mandato indicatur est simplex desiderium, aut jam requiritur a jure non sub poena nullitatis, e. g. quod matrimonium fiat praemissis publicationibus, censetur appositum ad meram instructionem pro actu rite faciendo, non uti vera conditio *sine qua non* ; ac proinde matrimonium est validum, dispensationibus e. g. neglectis, est quoque licitum, illis dispensatis (n. 364 et n. 948) (3).

836. *Per interpretem* omnes admittunt matrimonium contrahi ubique terrarum potuisse ante Conc. Trid., et etiam hodie posse si decretum *Tametsi* non urget, sicuti caeteros omnes contractus ex *l.* 2 *D. De V. O.* : « Omnis sermo contineat verborum obligationem, ita tamen ut alter alterius linguam intelligat sive per se sive per verum interpretem ». At tali matrimonio parochus numquam assistat, inconsulto Ordinario, qui ex urgentissima tantum causâ illud permittat.

Sed valetne matrimonium hujusmodi in locis quoque in quibus viget cit. decretum ? Nonnulli negant (4), quia parochus et testes tunc nequeunt attestari de consensu a partibus praestito. Alii affirmant (5), quia parochus et testes attestantur de consensu per interpretem expresso, quod ad

(1) Ita etiam Billuart *De matr. V, I* aliique.
(2) Pontius *II, XV, n.* 14. De Lugo *De sacram. in gen. VIII, n.* 108. D'Annibale *I,* § 32.
(3) S. Alph. *VI, n.* 885, Sanchez *II, XI, n.* 17 *sequ.* cum communi.
(4) Pontius *V, XXI, n.* 9 *sequ.*
(5) Feije *n.* 300. Sanchez *II, XXXIX, n.* 3.

Digitized by Google

matrimonium satis est, sicuti notarius et testes in contractu civili per interpretem inito. Haec altera sententia videtur probabilior. Ben. XIV *De Syn. XIII, XXIII, n.* 9 hanc quaestionem innuens suam sententiam non pandit. Qua stante controversia, si agatur de matrimonio contrahendo. Episcopus illud non permittat ; si de contracto, interim standum est pro ejus valore, donec S. Sedes aliud non declaraverit.

740. Concludimus hac animadversione. Matrimonium per epistolam, procuratorem, interpretem est verum sacramentum, quando validum est, cujus minister sunt scribens, mandans, ipse contrahens per interpretem, ac alia pars. Procurator et interpres nec ministri sunt sacramenti, nec aliquam cognationem, aut affinitatem contrahunt: nam repraesentant principalem contrahentem, et in illius persona agunt. Hinc non peccant, si matrimonium celebrant in statu peccati mortalis. At pars principalis ipsa quidem debet esse in statu gratiae, quando fit matrimonium (1).

Articulus IV.

De consensu matrimoniali praestito sub conditione, modo, causa, demonstratione.

841. Quoniam « *Deus ab initio constituit hominem et reliquit illum in manu consilii sui* « *Ecc. XV*, 14, hinc homo potest in matrimonium consentire vel pure ac simpliciter ; vel nonnisi sub tali conditione ; vel tandem addito modo, causa, demonstratione. Equidem matrimonium propter reverentiam sacramenti, et plurium incommodorum pericula contrahi debet pure et simpliciter, nec parochus sinat unquam in expressione consensus aliquid hujusmodi addi. Sed nunc exponendum est quid juris, si vel in ipso matrimonii actu additum fuit, vel antea nec revocatum (2).

De matrimonio inito sub modo, causa, demonstratione expe-

(1) Sanchez *II, XI, n.* 29 *sequ.*

(2) Quid sit conditio, modus, causa demonstratio vide *cap. I, art. III,* § 2.

Digitized by Google

dita res est, scilicet matrimonium valet, etsi modus sit contra conjugii substantiam ; e. g. *Contraho tecum, tu vero generationem prolis evites* : nam haec omnia actum, cui adjiciuntur, minime suspendunt. Circa matrimonium sub conditione fusius insistendum est.

842. Theoria generalis de matrimonio inito sub conditione traditur (praetermissis conditionibus necessariis, et conditionibus possibilibus ac licitis) a Greg. IX *cap. ult. De conditionibus.....* his verbis : « Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur, puta si alter dicat alteri : *Contraho tecum, si generationem prolis evites*, vel : *Donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem*, aut : *Si pro quaestu adulterandam te tradas*, matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu, licet aliae conditiones in matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi ».

Greg. IX hanc constitutionem edidit non interrogatus ab aliquo, « sed ut instrueret judices ecclesiasticos quomodo de matrimoniis, in quibus conditiones impossibiles et turpes seu contra substantiam appositae adjiciuntur, pronuntiare debeant ». Gonzalez in *cit. cap.*

Haec autem decretalis indiget declaratione, quia quam certa est disciplina ibidem constituta, tam difficilis visa est cultoribus canonum ejusdem expositio et ratio (1). In primis loquemur de conditionibus de futuro ; deinde de conditionibus de praeterito vel de praesenti.

§ 1. — *De consensu matrimoniali praestito sub conditione de futuro.*

843. Conditio de eventu futuro *necessario*, e. g. : *Contraho tecum, si crastina die sol orietur*, non suspendit consensum, sed matrimonium statim censetur purum (2). Sane « qui sub conditione stipulatur, quae omnino exstitura est,

(1) Berardi *Jus Ecc. tom. III, diss. II, cap. I.*
(2) Sanchez *V, II, n.* 2 cum communi.

Digitized by Google

pure videtur stipulari » *l.* 9 *ff. De notat.* Hinc haec conditio vitiatur, ut ajunt, et non vitiat contractum.

Addit tamen sapienter De Lugo *De j. et j. XXII*, *n.* 336 : « Quod quidem verum est regulariter : nam secundum se non repugnat quod illa conditio ex intentione contrahentium suspensiva sit, nec velint obligare se ad aliquid, donec conditio reipsa ponatur, ut fatetur etiam Turrianus *disp. LV*, *dub.* 9, *n.* 6 : quod facilius praesumitur, quando contrahentes ignorabant conditionem esse necessariam ; tunc enim praesumuntur illam eodem modo ponere sicut alias futuras contingentes. Idemque est quando licet conditio sit in se necessaria, nec sit in materia contingenti, contrahentibus tamen est incerta, ut si, dubitantes de eclipsi futura tali die, aliquid sub ea conditione promittant, ut pro utroque casu fatetur Sanchez cum aliis supra *n.* 3 et 4. Aliquando etiam non apponitur per modum conditionis, sed tamquam terminus vel dies praefinita, e. g.: *Do tibi equum, si pater meus moriatur*, hoc est quando morietur ; nam licet necessario moriturus sit, non tamen vult promittens obligare se ad dandum equum ante mortem patris ».

Notentur cit. *l.* 9 *ff. De notat.* verba : *Quae certo extitura est.* Proinde contrahens pure videtur stipulari, et contractus in genere, matrimonium in specie statim valet, etsi eventus futurus non sit naturà necessarius, sed tamen sit certo extiturus, e. g. : *Contraho, si Antichristus venerit.* Sensus enim praesumitur esse : contraho, si certum est Antichristum esse venturum, quae conditio de praesenti existit, donec non probetur contrahentem eam conditionem suspensive apposuisse.

844. Conditio de eventu futuro *impossibili*, e. g. : *Contraho, si digito caelum tetigeris*, pariter consensum non suspendit, habetur pro non adjecta et matrimonium statim valet, ut aperte tradit Greg. IX *l. c.* Ita etiam de testamentis statuit jus civile Romanum *l.* 3 *et* 6 *ff. De condit. et demonstr.* Hinc rursus haec conditio in matrimonio et in testamento vitiatur et non vitiat. Contractus vero inter vivos irritantur conditione de futuro impossibili, ut omnes fatentur ex § 11 *Inst. De inut. stipul.* : « Si impossibilis conditio obligatio-

Digitized by Google

nibus adjiciatur, nihil valet stipulatio » ; unde haec conditio eos vitiat, et non vitiatur. Ratio ob quam matrimonium ac testamentum sub conditione impossibili valent, est favor juris, quo gaudent, ut de matrimonio docet Greg. IX *l. c.*

De Lugo *l. c. n.* 343 id explicat quoad testamentum his verbis : « In re tanti momenti et adeo homini expetibili, qualis est non decedere intestatum, non praesumitur testator ludere voluisse et per jocum actum derisorium facere, sed potius addidisse illam conditionem ex errore putando rem esse possibilem, eoque fuisse animo, ut si impossibilem esse sciret, eam non apponeret, nec vellet haeredem suum ad impossibile obligare. Quare ita lex interpretatur voluntatem defuncti, qui suum affectum erga haeredem vel legatarium ostendit, ut nolit ei illudere, sed potius conditionem pro non adjecta haberi ; et ex hac praesumptione, nisi aliunde mens contraria testatoris constet per conjecturas verisimiles, rationabiliter interpretatur lex magis esse juxta defuncti voluntatem quod conditio auferatur, quam quod actus irritus et invalidus existimetur. Quod in aliis contractibus inter vivos non procedit, in quibus et facilius solent homines jocari et illudere quam in testamento, et non est illa praesumptio, qua testator praesumitur velle valide testari et de rebus suis disponere, praesertim cum contrahens adhuc superstes possit voluntatem suam interpretari et iterum, ablata conditione, valide contrahere, si velit ». Concinit Berardi *t. III, d. II, c. I.*

At pro matrimonio explicatio est longe difficilior : nam, ut ait De Lugo *l. c. n.* 348 : « In matrimonio nec potest lex ecclesiastica supplere consensum contrahentium, vel facere quod sine tali consensu matrimonium sit validum, nec ibi locum habere potest illa praesumptio voluntatis interpretativae, ob quam in ultimis voluntatibus diximus conditiones impossibiles haberi pro non adjectis, eo quod lex praesumat testatorem, qui ex ignorantia petiit conditionem impossibilem, malle quod conditio deleatur, quam quod dispositio nullo modo possit observari : quia ad valorem matrimonii haec voluntas interpretativa non sufficit, sed requiritur contrahentes sufficienter explicare sensibiliter suum consensum,

Digitized by Google

quem certe non explicuit sensibiliter, qui solum dixit se consentire sub conditione impossibili ; sicuti neque etiam testator suam voluntatem sufficienter explicuit, sed in bonorum temporalium dispositione lex potest ex interpretativa voluntate defuncti, et aequitate id suadente, decernere quod bona habeantur, ablata illa conditione ; quam potestatem non habet lex in ordine ad matrimonium, ad quod requiritur essentialiter consensus formalis ipsorum contrahentium, et non sufficit ille, quem haberent, si interrogarentur ». Deinde idem Auctor refert et rejicit plures DD. sententias.

Dici potest propter favorem juris praesumi contrahentem serio matrimonium inivisse et conditionem impossibilem per jocum addidisse : proinde juxta hanc praesumptionem matrimonium valere et conditionem haberi pro non adjecta. At si de facto (quod plerumque erit) contrahens jocatus est, dum protulit verba matrimonialia, aut consensum alligavit verificationi illius conditionis, quia e. g. putabat esse possibilem, matrimonium est prorsus nullum ex defectu consensus. In foro interno id constabit ex confessione partis, in externo ex conjecturis et circumstantiis, quae facile aderunt. Sanchez *V*, *III*, *n.* 8 *sequ.*, quem sequitur Schmalz. *IV*, *V*, *n.* 60 aliique, docet illam juris praesumptionem locum non habere, ideoque matrimonium sub ea conditione, ad instar aliorum contractuum, habendum esse nullum, nisi validum probetur, si una pars ignorabat relatam decretalem Greg. IX. Id reprehendit De-Lugo *l. c. n.* 356 ; sed salva principis moralistarum auctoritate, aliquo sensu verum esse videtur. Nam si contrahens sub illa conditione sciebat jure canonico matrimonium censeri validum et illam conditionem haberi pro non adjecta, multo magis praesumitur eam joco addidisse, et consensum matrimonialem serio expressisse (1).

845. Conditio de eventu futuro *contingenti honesta*, e. g. : *Contraho tecum, si sententia judicis erit mihi favorabilis, si pater meus consenserit...*, suspendit consensum usque ad verificationem eventus. Id tradit Hon. III in *cap.* 5, *De conditionibus...* Nam Titius matrimonium con-

(1) Lehmkuhl *II*, *n.* 687. An Greg. IX *l. c.* condiderit jus novum, vide apud Schmalz. *IV*, *V*, *n.* 66 *sequ.*

Digitized by Google

traxerat sub conditione: *Si pater ejus suum praestaret assensum*, et quaerebatur an esset ad consummandum matrimonium compellendus. Pontifex respondet : « Nisi voluntas patris postmodum intercedat, nequaquam cogendus est ad matrimonium contrahendum » (1). Nil refert quod conditio apposita fuerit sive antea, dum sit moraliter certum non fuisse revocatam, sive in ipso matrimonii actu coram parocho et testibus.

Igitur matrimonium sub tali conditione contractum interim non valet, et est veluti in suspenso, cum consensus, alligatus illi conditioni, nondum habeatur, et in suspenso sit. Hinc contrahentes non peccant, si, dum contrahunt, non sunt in statu gratiae ; ac quia vere nondum sunt conjuges, omnes actus conjugatis liciti solutisque prohibiti ipsis vetantur, et praesertim copula, nisi haec matrimonium praesumptum constituat, de quo mox. Utraque pars tenetur expectare, quia haec obligatio est implicita, ideoque peccat aliud matrimonium pure contrahens ; sed hoc matrimonium forte initum valeret. Imo utraque pars tenetur curare verificationem conditionis (2), aut certe eam non impedire. « In jure civili, ait Ulpianus *l.* 161 *ff. De regulis juris*, receptum est, quoties per eum cujus interest conditionem non impleri, fiat quominus impleatur, perinde haberi ac si impleta conditio fuisset ». Sed hoc principium matrimonio applicari nequit, quod, conditione quacumque tandem de causa non verificata, evanescit ex defectu consensus, uti patet ; verificata autem, valet a momento verificationis, et tunc fit sacramentum, licet deinde fictione juris retrotrahatur ad momentum celebrationis. Excipe, si interim res in eum statum inciderit, a quo incipere non poterat : nempe si una pars consensum revocaverit explicite vel implicite, e. g. contrahens sponsalia cum tertia persona ; aut si supervenerit impedimentum dirimens, e. g. ex copula habita cum sorore

(1) *Contrahendum* idest *consummandum*, prouti juxta contextum interpretantur Sanchez *VI, VIII, n.* 5. Schmalz. *IV, V, n.* 38. De Lugo *De j. et j. XXII, n.* 393 hanc interpretationem appellat *duriusculam*, aliamque proponit, quae eamdem thesim confirmat. Vide etiam Fagn. *in comm. cit. cap.*

(2) Sanchez *V, V, n.* 36. De-Lugo *De j. et j. XXII, n.* 388.

Digitized by Google

sponsae (1) vel ex matrimonio contracto cum tertia persona.

Ex his patet matrimonium et in genere contractum sub hac conditione nec omnino nullum esse, nec omnino completum : unde haec conditio nec vitiatur, nec vitiat.

846. Fieri potest ut qui contraxerunt sub hujusmodi conditione, jam velint matrimonium purum inire, quin expectent verificationem eventus. Quaeritur utrum hoc matrimonium debeant rursus in forma publica celebrare ? Distinguendum est inter conjuges, qui decreto *Tametsi* tenentur, et conjuges qui hoc decreto non adstringuntur.

847. Si conjuges, a Tridentino decreto exempti, pure contrahunt sine forma liturgica, matrimonium certe valet. At valde expedit ut formam liturgicam servent, tum quia est novus contractus, tum quia, si conditio deinde deficiet, primum matrimonium sub conditione initum in forma publica erit nullum, et alterum purum ac validum remanebit forte occultum. Imo in iis locis, si conjuges libere copulam habent, praesumptione juris et de jure contra quam non admittitur probatio, praesumitur haec copula posita animo maritali, ipsos a conditione recessisse et pure contraxisse. Est igitur alius casus matrimonii *praesumpti*. Haec desumuntur ex *cap.* 3, 5 et praesertim 6, *De conditionibus..*, ubi Inn. III haec habet : « Cum liquido constet, quod post contracta sponsalia (de praesenti) carnalis est inter eos copula subsequuta, pro matrimonio est praesumendum, quia videntur a conditione apposita recessisse ». Sane si jus praesumit matrimonium ex copula inter sponsos de futuro, a fortiori praesumere illud debet ex copula inter sponsos de praesenti sub conditione. Caeterum omnia ea quae diximus de matrimonio praesumpto inter sponsos de futuro, qui copulam libere habuerunt (n. 36 sequ.) etiam casui nostro applicare debes.

848. Si vero conjuges decreto Tridentino subsunt, rursus videndum utrum conditio apposita fuerit in ipso matrimonii actu coram parocho et testibus, an potius apposita fuerit antea nec revocata, et matrimonium in forma Tridentina fuerit purum. Si primum ; videtur conjuges, qui modo pu-

(1) D'Annibale *III*, § 318, *not.* 12.

Digitized by Google

ras volunt nuptias inire, debere contrahere in forma Tridentina, quia revera est novus contractus a primo conditionali distinctus. Si alterum ; vel conditio fuit occulta ita ut in foro externo probari non possit, et tunc putamus eos posse pure contrahere etiam privatim, et censeri recessisse a conditione et pure contraxisse, si copulam libere habeant, quia in casu forma Tridentina non videtur urgere, sicuti in revalidatione matrimonii invalidi ob impedimentum occultum ; vel conditio fuit publica ita ut probari queat in foro externo, et tunc censemus matrimonium esse denuo contrahendum coram parocho et testibus.

849. Adveniente conditione, matrimonium ipso jure perficitur et valet absque ulla consensus renovatione, etsi conjuges verificationem conditionis ignorent. Haec est communis canonistarum sententia contra non paucos theologos. Sane consensus, ab initio datus sub conditione, virtualiter perseverat, et modo, impleta conditione, est purus : ideoque ex parte consensus non est cur matrimonium non valeat. Ad rem De Lugo *De j. et j. n.* 387 : « Prior consensus solum virtualiter perseverans quamdiu non revocatur, sufficit ad valorem matrimonii, adveniente conditione, quae sola desiderabatur ». De Lugo *l. c.* hanc sententiam appellat *veriorem*, et S. Alph. *VI, n.* 895 *probabiliorem*, sed ex dicendis apparebit esse certam. Nonnulli putant post Conc. Trid., urgente decreto *Tametsi*, requiri ad valorem matrimonii ut parochus et testes intersint conditionis implemento, vel saltem ut contrahentes coram iisdem postea asserant conditionem esse impletam (nisi purificatio conditionis sit aliunde notoria) ; et non sufficere, quod interfuerint contractui matrimonii sub hac conditione celebrati (1). Id sustineri amplius non potest post ea quae habet Fagnanus.

850. Nam Fagnanus in *comm. cap.* 5, *De conditionibus*..... hanc materiam rite evolvens haec habet : « Dispositio conditionalis, adveniente conditione, purificatur et ex eo tempore perficitur perinde ac si ab initio pure fuisset facta, ut *leg. Potior in princ.* ibi : *Cum enim conditio*

(1) Pirhing *IV, V, n.* 25. Laymam *lib. V, tr. X, p.* 2, *c.* 7, *n.* 3 aliique apud Schmalz. *IV, V, n.* 43.

Digitized by Google

semel extitit, perinde habetur, ac si illo tempore, quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset, ff. Qui potior. in pign. habeant. cum concordant. de quibus ibi per glossam *in verb. Melius est.* Et matrimonium, quamvis post legem evangelicam sit elevatum in sacramentum, habet tamen rationem contractus : unde per adventum conditionis perficitur, sicut caeteri contractus conditionales, *leg. Haec venditio*, ibi : *conditionales venditiones tunc perficiuntur, cum impleta fuerit conditio, ff. De contract. emph.....*

« Quare matrimonium conditionale, purificata conditione, statim esse perfectum absque novo consensu receptissima est canonistarum sententia.... Et quamvis plerique ex theologis oppositum sentiant existimantes non esse matrimonium, adveniente conditione, nisi novus consensus accedat, inter quos praecipue est S. Thomas in *4 dist.* 29, *q. un.*, *a.* 3, *q.* 3.... ; tamen primam opinionem canonistarum servat curia etiam post Conc. Trid., ut mox patebit, et ideo ab illa in consulendo et judicando non est ullatenus recedendum : nam in S. C. C. alias fuit propositum infrascriptum dubium :

» Cum quidam contraxissent coram parocho et testibus per verba de praesenti sub conditione licita, quae postea fuit purificata, si reputantes se pro legitimis conjugibus sine alia solemnitate matrimonium consummaverint, an validum sit ipsum matrimonium, vel conjuges cogendi sint, ut denuo, quia purificata est conditio, coram parocho legitime contrahant :

« In Cong. Generali ..... solus Alciatus tenuit cum communi canonistarum, quod, conditione purificata, non sit opus alia iteratione contractus matrimonii coram parocho.... ; reliqui omnes tenuerunt opus esse iterum contrahere coram parocho, et ita respondendum, non quia contra dictam communem canonistarum praevaleat opinio theologorum....., sed quia Concilium videtur intellexisse de matrimonio perfecto pure per verba de praesenti ibi : *Vos conjungo* ; sed quando contrahitur per verba conditionata, non videtur matrimonium sed sponsalia de futuro : item tutius videtur ut fiat coram parocho pro securitate conscientiae :

Digitized by Google

tamen dictum fuit agendum cum Ssmo, cum imo ex opinione canonistarum non sint sponsalia de futuro, sed matrimonium... Ssmus, nempe S. Pius V, probavit sententiam canonistarum, quod, purificata conditione per consensum patris, matrimonium sit perfectum, nec opus esse alia iteratione contractus coram parocho, sicque praevalere et in decidendo attendendam esse opinionem canonistarum; Conc. autem Trid. nihil ad hanc rem facere.

« Haec eadem quaestio proposita fuit in alia Cong., ... et omnes praeter unum... tenuerunt matrimonium valere, nec requiri ut de novo coram parocho et testibus contrahatur. Qua decisione Ssmo relata, scilicet Clem. VIII, Ssmus visus est dubitare, quia licet de jure veteri matrimonium valeret per textum in *cap.* 5, *De condit. app.*, tamen hodie post Concilium, quo solemnitas parochi et testium introducta est, secus esse videtur, quia cum contrahitur sub conditione, solemnitatem adhibendo, non satisfit Concilio ; quando autem a conditione receditur, solemnitates non adhibentur. Ideoque mandavit hoc dubium seu difficultatem in Cong. considerari. Qua difficultate proposita, Cong. ei respondit, Concilium non requirere solemnitatem parochi et testium quando receditur a conditione, sed quando, mutuo consensu habito, vir et mulier contrahunt: hoc autem casu, quando contractum fuit, adhibitae sunt solemnitates. Iterum hac difficultatis solutione Ssmo relata, Sanctitas Sua probavit decisionem Cong., et ita in hac causa responderi mandavit. Verum noluit hanc decisionem omnibus casibus inservire, sed omnes, qui acciderint in futurum, cum suis circumstantiis esse specialiter considerandos ».

851. Huic doctrinae est una exceptio. Nempe si Titius et Sempronia, obstricti aliquo impedimento dirimenti, matrimonium contraxerunt sub conditione : *Si Papa dispensaverit,* etiam obtenta dispensatione, matrimonium non valet, nisi consensus in forma legitima renovetur. Rationem hujus exceptionis ita sapienter exponit De Lugo *De sacram. in genere, VIII, n.* 98 : «... Quia in hoc casu voluntas hodierna non solum non est efficax, sed neque est valida in ratione

Digitized by Google

voluntatis propter incapacitatem subjecti, quod jura reddunt incapax ad habendam illam voluntatem, atque adeo perinde existimatur ac si hodie nullam prorsus haberet voluntatem, eo quod jura positive irritam ac nullam eam reddunt. Unde cras, posita conditione, non subsistit matrimonium absque nova voluntate, quia ad hoc ut cras esset consensus absolutus ex positione conditionis, debet considerari consensus hodiernus hodie praestitus et nondum cras retractatus, et conditio posita, ex quibus tribus resultat cras consensus absolutus praesens habitualiter existens. Primum autem horum deest in casu, scilicet consensus hodiernus, quia propter hodiernam incapacitatem positivam subjecti, voluntas hodierna est omnino nulla in se, atque ideo censetur ac si hodie nullam prorsus habuisset voluntatem ».

852. Antequam manum a conditione de futuro contingenti licita amoveamus, quaeritur quandonam conditio : *Si parentes consenserint*, impleta dici debeat ita ut matrimonium jam valeat. Respondemus valere matrimonium, si parentes, certiores facti, consenserint, licet postea dissenserint; non valere, si dissenserint, licet postea consenserint, ut verius docet Sanchez *V, VII, n.* 8 *sequ.* Uno consentiente et alio dissentiente, conditionem deficere, et ideo matrimonium non intelligi palam est. Si parentes neque consenserint, neque dissenserint, conditio habetur pro impleta, quia sensus illius conditionis praesumitur et solet esse negativus : *Nisi parentes dissenserint* (1) : sed si contrahentes illa conditione intenderunt positivum parentum beneplacitum, conditio impleta non esset. Quod si parentes mortem jam obierint, « nostri diversi, sed verius videtur conditionem vitiari, sive contrahentes ignoraverint illos diem suum obiisse, quia mens eorum fuit non copulari, invitis parentibus, sive sciverint, quia conditio haec joco adjecta intelligitur » D'Annibale *l. c.*

Ex his obiter colligitur quid dicendum si illa conditio sit de consensu praeterito, e. g. : *Contraho tecum, si parentes revera consensum dederunt* ; scilicet valet matrimo-

(1) Sanchez *V, VII, n.* 11. Schmalz. *IV, V, n.* 50. D'Annibale *III*, § 372, *not.* 32.

Digitized by Google

nium, si dederunt, aut si neque dederunt neque negaverunt; non valet, si negaverunt; tandem si aliquando dederunt, aliquando negaverunt, attenditur ultima voluntas, quia haec derogat anteriori, ut notat Sanchez *V, VII, n.* 6.

853. Conditio de eventu futuro *contingenti turpis, non tamen contra conjugii substantiam*, e. g.: *Contraho, si fratrem tuum occides*, vel: *Si sorori tuae dederis venena sterilitatis*, vitiatur et non vitiat matrimonium, sicuti conditio impossibilis (n. 844), cum Greg. IX *l. c.* eodem tenore de utraque loquatur, et in jure turpis conditio aequiparetur impossibili, quia « id possumus quod jure possumus » *l.* 125 *ff. De verb. signif.* Nimirum propter favorem juris praesumitur contrahentem nuptias serio fecisse, illam autem conditionem joco (equidem non probando) posuisse, ne dicamus aliam partem ad peccatum invitare; vel, si mavis, eam posuisse non uti veram conditionem, sed uti modum ita ut sensus sit: *Contraho tecum; tu vero deinde fratrem tuum occides;* idque eo magis praesumitur si contrahens citatam decretalem Greg. IX cognoscebat (cit. n. 844).

At haec non est nisi praesumptio juris: unde si contrahens consensum suum illi turpi conditioni revera alligavit, matrimonium non valet et alia pars certe nec debet nec potest conditionem implere; sed, ea impleta, jam est matrimonium; ea non impleta, matrimonium non intelligitur, sicuti in casu conditionis honestae. Utrum vero contrahens voluerit necne consensum illi conditioni adnexum, in foro interno ipse suipsius judex est, in externo probari debet ex circumstantiis, quae probatio plerumque facilis erit; et si conditionem honestam putavit, grave indicium est, eidem suum consensum alligavisse.

Praeterea illa praesumptio non est nisi pro conditionibus turpibus, quae ad peccandum invitant; unde alia turpis conditio, e. g.: *Contraho tecum, si ab hostibus injuste vulnereris*, non habetur pro non adjecta, sed matrimonium suspendit (1).

Haec conditio: *Contraho tecum, si te virginem invenero*,

(1) De-Lugo *De j. et j. XXII, n.* 372. Schmalz. *IV, V, n.* 97. Sanchez *V, XV, n.* 5 cum communi.

Digitized by Google

est turpis, si intelligatur per concubitum ; est honesta, si intelligatur per alium modum licitum.

Etiam in testamentis conditio turpis habetur pro non apposita, quod bene declarat De Lugo *l. c. n.* 369 *sequ.* In aliis autem contractibus ante impletam conditionem quilibet contrahentium resilire tenetur ; sed, conditione impleta, res promissa praestari debet juxta probabiliorem sententiam.

854. Tandem de conditione de eventu futuro *contingenti contra substantiam* agendum est. Haec est illa quae excludit vel *ipsum jus* in corpus alterius in ordine ad prolem ; vel *aliquam ejusdem essentialem proprietatem*, perpetuitatem nempe, vel unitatem quae et fidelitatem comprehendit, vel rationem sacramenti. Greg. IX *l. c.* tres enumerat : *Si generationem prolis evites* (contra bonum prolis) ; *Donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem* (contra bonum sacramenti) ; *Si pro quaestu adulterandam te tradas* (contra bonum fidei). At passim AA. advertunt Greg. IX has tres conditiones recensere indicative potius, quam taxative, quia aliae quoque excogitari possunt (1).

Jam vero certum est hanc conditionem irritare matrimonium ex cit. *cap. ult. De conditionibus...*, quia conditio externe apposita manifeste indicat mentalem conditionem, quae consensum matrimonialem excludit (n. 702). Imo matrimonium hac conditione redditur in utroque foro nullum, etsi consensus internus esset forte legitimus, quia non esset sufficienter manifestatus ; nisi forte apponens conditionem declares te, ea non obstante, velle verum matrimonium, quia tunc hac declaratione revera conditionem removes et pure contrahis (2).

Huc spectat responsio S. C. S. Officii 22 *Maii* 1840 : « Definitum fuit in Cong. Generali S. Officii *die* 20 *Maii* 1754 invalidum esse matrimonium coram ministro Calvinista initum, eo quod soleat uti formula perpetuitati matrimonii contraria. Quaeritur : 1° Quid sentiendum de matrimonio catholicorum sic celebrato, si, non obstante formula ista, intendant bona fide contrahere in sensu Ecclesiae ? 2° Quid

(1) Ben. XIV *De Syn. XIII, XXII, n.* 6 ; *Quaest. Can.* 386.
(2) De-Lugo *De sacram. in genere, VIII, n.* 128.

Digitized by Google

de matrimonio mixto, cum pars catholica intendit, ut supra, contrahere in sensu Ecclesiae »? S. C. reposuit: « Ad 1um, in casu prout exponitur affirmative, seu matrimonium inter duos catholicos, qui in sensu Ecclesiae contrahunt, *interveniente declaratione contrahentium*, esse validum et indissolubile. Ad 2um matrimonium mixtum esse nullum, scilicet parte catholica expresse declarante se contrahere matrimonium de praesenti juxta formulam perpetuitati matrimonii contrariam. Quod si pars catholica expresse declaret se intendere contrahere in sensu Ecclesiae, et pars haeretica ei assentiatur, adhuc validum haberi debet ».

Quod si conditionem contra substantiam posuit una pars, alia contradixit, et ita ad matrimonium ventum est, praesumitur illa recessisse a conditione, et ideo matrimonium habendum est validum, donec contrarium non probetur (1). Nonnulli idem affirmant casu quo post appositam talem conditionem ab uno alter tacet: tunc enim propter favorem matrimonii censetur contradicere, et idem erit ac si conditio non esset apposita.

Praestat de singulis conditionibus contra substantiam pauca verba facere.

855. Conditio contra *ipsum jus* in corpus alterius in ordine ad prolem, quam ponit Greg. IX *l. c.*: *Si generationem prolis evites*, sumi potest vel *sensu turpi*, idest si generationem prolis evites per abortum, onanismum, sumens venera sterilitatis etc.; vel *sensu honesto*, nempe per non usum matrimonii, servando castitatem.

856. In *sensu turpi* est proprie dicta conditio contra substantiam irritans matrimonium, si contrahens ea intendit excludere ipsum jus et relativam obligationem, admittens tantum tactus aliosque illicitos actus. Si vero contrahens intendit sese obligare, verum matrimonium inire, et ea conditione vult tantum sibi fieri ab altera parte promissionem de abusu juris matrimonialis, non est conditio contra substantiam, matrimonium valet (n. 803) et conditio vitiatur. Qualis de facto fuerit intentio contrahentis, in foro interno

(1) Schmalz. *IV, V, n.* 116. Pirhing *IV, V, n.* 14. Fagn. in *comm. cit. cap. ult. De conditionibus... n.* 4.

Google

ex ejus confessione constabit, in foro externo ex circumstantiis judex desumet. Apposita simpliciter haec conditio excludit ipsum jus ex cit. *cap. ult. De conditionibus..*, nisi aliud probetur. Apposita vero cum aliqua limitatione, e. g.: *Dummodo post primum vel alterum filium prolem evitemus de caetero abusuri matrimonio*, vel : *Dummodo interim omnem prolem excludamus, donec melior fortuna arrideat*, indicat contrahentem voluisse verum inire matrimonium, sed simul jure matrimoniali abuti, nisi aliud constet. Ad rem Lehmkuhl *II*, *n.* 689 de duobus mox allatis exemplis: « In *priori* conventione, si revera jus ad ulteriorem rectum usum matrimonii plane excludere volebant, matrimonium nullum est: nam voluntas sive utriusque sive alterutrius contrahentium non ferebatur in jus matrimoniale perpetuo concedendum : atqui id tamen ad essentiam matrimonii requiritur. Verum plerumque aderit praevalens intentio veri matrimonii, atque solum adjungitur secundarie voluntas jure matrimoniali abutendi, non jus ipsum excludendi. — De *altera* conventione idem fere dici debet. Nimirum praesumptio facilis erit, contrahentes voluisse praevalenti voluntate verum matrimonium, neque turpem illam conventionem eos aliter considerasse nisi tamquam propositum peccandi, vel tamquam tentamen adventitiae obligationis ad peccatum inducendae. At si demum de isto matrimonii abusu tamquam de vera conditione *sine qua non*, seu de conditione mutua jura restringente convenerunt, matrimonium nullum est: imo etsi pro futuro tempore (melioris fortunae) jam nunc ad jura matrimonialia sese mutuo obligare intenderunt, matrimonii valor saltem suspenditur ad modum contractus sub conditione de futuro, donec post mutatam fortunam aut criminis poenitentiam rectus matrimonii consensus evadat. Practice ergo facile ratio est, cur ad cautelam de novo rectus consensus poni debeat».

857. Si in *sensu honesto* illa conditio posita fuit, de servanda scilicet castitate in statu matrimoniali, eadem in primis fieri debet distinctio.

Nam matrimonium irritum est, si contrahens ea condi-

Digitized by Google

tione intendit nullum tradere-acceptare jus (n. 802). Confirmatur ex responsione S. C. C. 8 *Julii* 1724. Nam Joanna et Ludovicus convenerant de matrimonio ineundo ea conditione ut, inito matrimonio, Joanna infra quindecim dies monasterium monialium ingrederetur, et, elapso novitiatus anno, emitteret professionem; interim non uteretur matrimonio nec illud consummaret; pro quo effectu renuntiabat *omni juri* quod sibi competere posset in personam Ludovici cum ulteriori declaratione, quod in hypothesi in qua aliqua ex hisce conditionibus non adimpleretur, matrimonium perinde se haberet, ac si numquam contractum fuisset. Haec mutua intelligentia fuit in scriptis redacta et parocho ac testibus communicata. Paulo post ad matrimonii celebrationem deventum fuit ita ut moraliter certum esset hanc conventionem non fuisse revocatam. Proposito dubio: « An matrimonium sit nullum in casu » S. C. reposuit: « Ex hactenus deductis matrimonium esse nullum in casu » (1).

Hinc si contrahens animo excludendi ipsum jus nuptias inivit sub conditione: *Dummodo perpetuam servemus castitatem*, vel: *Dummodo servemus castitatem post alterum filium*, vel: *Dummodo servemus castitatem feria sexta singulis hebdomadis*, vel: *Dummodo servemus castitatem per tres annos...*, in primis tribus exemplis matrimonium est nullum, in ultimo ejusdem valor saltem suspenditur ad instar contractus sub conditione de futuro.

858. Si vero contrahens ea conditione intendit exercitium tantum juris matrimonialis, salvo ipso jure, excludere, subdistinguendum est. Nam si conditio est de servanda castitate ad tempus e. g.: *Dummodo castitatem servemus per tres annos*, vel *post alterum filium*, vel *feria sexta singulis hebdomadis....*, omnes admittunt matrimonium valere, quia jus potest utique temporanee ab ejus exercitio separari, et matrimonium in jure consistit. Si e contrario conditio est de servanda castitate in perpetuum, non levis est DD. controversia, an matrimonium valeat necne. Quae-

(1) Vide Ben. XIV qui munere secretarii S. C. C. tunc fungebatur in *Quaest. Can.* 383, in qua praecise refert hanc causam et erudite admodum discutit, nec non *De Syn. XIII, XXII, n.* 10 *sequ.*

Digitized by Google

stio huc redire debet : an ea conditione reipsa ipsum jus excludatur. Si affirmative, matrimonium est nullum ; si negative, matrimonium valet.

Jam vero plures, praesertim inter recentiores, negant (1) ; quia exercitium juris ab ipso jure distinguitur, ideoque nil vetat quominus, sicut ad tempus, ita et in perpetuum tum statim post matrimonium, quod omnes admittunt, tum ante matrimonium separentur ; quod fit ea conditione. Revera plures sanctae foeminae matrimonium contraxere ligatae voto castitatis, e. g. S. Pulcheria, quae « salva, quam Deo voverat, virginitate, conjugem (Marcianum Augustum) sibi delegit » ut legimus in Breviario ; et ipsa B. V. (2), et etiam S. Joseph, ut pie creditur. Debuerunt igitur pactum de servanda castitate addere, ne sese exponerent periculo violandi votum ; imo citata verba lectionis S. Pulcheriae hoc pactum expresse indicare videntur : et tamen eorum matrimonium validum fuit.

Plerique affirmant (3) ; quia alia pars ea conditione numquam habet potestatem utendi corpore alterius : atqui jus est potestas utendi. Ad rem Ben. XIV *l. c.* : « Matrimonii substantiae non repugnat matrimonio non uti, sed uti non posse ». Hinc Greg. *l. c.* tradit esse contra substantiam conditionem : *Si generationem prolis evites*, in genere ideoque et in sensu honesto. S. Pulcheria, si revera illud pactum addidit, nulliter contraxit : B. V. autem et S. Joseph, licet ligati voto castitatis, hanc conditionem, ineuntes matrimonium, non apposuerunt, quin tamen sese exponerent periculo violandi votum : quod ita explicat S. Thomas *l. c.* : « B. V. antequam contraheret cum Joseph, fuit certificata divinitus quod Joseph in simili proposito erat, et ideo non se commisit periculo nubens, nec tamen propter hoc aliquid veritati deperiit, quia illud propositum non fuit conditionaliter in consensu appositum : talis enim conditio, cum sit

(1) Palmieri *De matr. pag.* 17. Ballerini ad Gury *II, n.* 752. Lehmkuhl *II, n.* 690.

(2) Ben. XIV *De festis B. M. V.*

(3) Ben. XIV *De Syn. XIII, XXII, n.* 10 *sequ.* Schmalz. *IV, V, n.* 119 *sequ.* S. Thomas 4 *dist.* 30, *q.* 2, *a.* 1, *et q. ad* 2um Sanchez *V, X, n.* 1 *sequ.* D'Annibale *III,* § 313, *not.* 3.

Digitized by Google

contra matrimonii bonum, scilicet prolem procreandam, matrimonium tolleret » (1).

Nobis magis arridet prima sententia. Conjux enim hac conventione utique amittit jus morale utendi corpore alterius, non autem jus juridicum, radicale, ut ajunt, in quo proprie matrimoniale vinculum consistit (n. 957). Neque dicas hoc jus esse inutile et iners, si conjux eodem numquam uti potest; nam id falsum esse sequentes animadversiones ostendunt. In primis hoc jure caeteri omnes excluduntur; hinc copula cum tertia persona est adulterium. Insuper si sola conventio mutua intercessit, haec mutuo consensu auferri potest, et consequenter usus matrimonii licitus evadit. Si etiam voto conjux obstrictus est, matrimonio utens non peccat contra castitatem, licet peccet contra votum; et dispensato voto ac conventione remissa, ab usu matrimonii non amplius prohibetur; tandem vir vi metuve mulierem ad copulam adigens fornicationem non committit, sed solum contra fidem datam injustitiae reus fit et sacrilegii (2). Atque ita solvitur argumentum fundamentale oppositum. Nec necesse est ut Greg. IX *l. c.* de hoc casu intelligamus. Matrimonium autem S. Pulcheriae non videtur dici posse nullum, cum Ecclesia eam hac de re laudet.

Stante hac controversia, in praxi si agatur de matrimonio contrahendo non permittatur cum illa conditione; si de contracto, interim matrimonio favendum, donec S. Sedes aliud non declaraverit. Caeterum propter favorem matrimonii praesumitur contrahentes conditione de servanda castitate voluisse exercitium tantum juris matrimonialis excludere, praesertim si conditio sit de servanda castitate ad tempus.

Item DD. communiter admittunt statim matrimonium valere sub conditione, quae jure communi inest, de non reddendo debito primis duobus mensibus (3); nam contrahen-

(1) Reprobanda est illorum opinio, qui ajunt inter B. V. et S. Joseph non fuisse verum matrimonium, sed tantum sponsalia; aut qui eorum matrimonium ita explicant, ut revera illud tollant.

(2) Lehmkuhl *l. c.*

(3) Schmalz. *IV, V, n.* 123. Sanchez *V, X, n.* 6.

Digitized by Google

tes praesumuntur illam apposuisse eodem sensu ac jus commune, excludentes scilicet exercitium, salvo jure.

859. Sunt pariter contra bonum prolis conditiones: *Dummodo debitum non petas*, vel: *Debitum reddere non tenear*, vel: *Soboles futura enecetur*, vel: *Sumas venena sterilitatis*. De iis igitur repetenda sunt, quae supra diximus. At non foret contra substantiam conditio: *Dummodo prolem orphanotrophiis exponamus*, vel: *Eam proprio lacte non nutriam*, vel: *Eam educemus in Judaismo*. Plures censent (1) esse contra substantiam matrimonii conditionem de non cohabitando in perpetuum: sed si jus matrimoniale utrique parti sarctum tectumque sit, non putamus hanc doctrinam veram esse, quia communio habitationis, tori et mensae non pertinet ad substantiam matrimonii; et revera nonnumquam matrimonium conscientiae cum hac tacita vel expressa conditione permittitur (n. 206, 207).

860. Nunc de conditionibus contra *essentiales matrimonii proprietates*. Conditio contra *perpetuitatem* praeter illam Greg. IX *l. c.*: *Donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem*, frequentior est: *Si fidelitatem servaveris*, vel: *Si adulterium non perpetraveris*. S. C. C. in *Eystadiensi Matrimonii* 21 *Junii* 1732 nullum declaravit matrimonium ex conditione addita solubilitatis in casu, quo uxor maritum sequi nollet in patriam suam revertentem, et religionem ortodoxam amplecti. Conditio contra *unitatem* est: *Dummodo mihi liceat aliam assumere*; illa Greg. *l. c.*: *Si pro quaestu adulterandam te tradas*, est contra fidelitatem conjugalem. Tandem conditio contra *rationem sacramenti* esset: *Contraho tecum, sed nolo sacramentum conficere*.

Jam vero ex dictis apparet has conditiones matrimonialem consensum ideoque matrimonium evertere. Sequentes autem instructiones SS. CC. RR. declarant quandonam nullitas matrimonii ob conditionem contrariam perpetuitati satis probata pro foro externo dici queat.

861. S. C. S. Officii *fer. V die* 6 *Apr.* 1843 dedit instruc-

(1) Schmalz. *IV, V, n.* 124. Sanchez *V, X, n.* 5.

Digitized by Google

tionem ad Vicarium Apost. Oceaniae in executionem decreti lati a Greg. XIV, in qua ad rem nostram haec leguntur : « Certum est matrimonium contractum cum conditione ipsius substantiae et nominatim ipsius indissolubilitati repugnante nullum esse, ut habetur ex *cap. Si conditiones. De conditionibus*..... Jam vero non paucae formulae a protestantibus adhibitae illa conditione irritante contaminatae sunt, in quibus expressis verbis inhaeret haec conditio : *Contraho tecum donec in fidelitate permanseris*. Imo eadem voluntas aliquando satis aperte factis exprimitur, vel verbis simul et factis, dum verba vel facta interpretatur ipse usus vel consuetudo illorum locorum, ita ut abfuisse intelligatur consensus in contractum perpetuum et indissolubilem.

« Tametsi autem dubitandum non sit, quin validum matrimonium contrahi possit cum errore mere concomitanti circa ejus indissolubilitatem, quia tunc praevalet generalis voluntas contrahendi matrimonium juxta institutionem Christi, et generalis illa voluntas privatum errorem quodammodo absorbet ; attamen ubi adhibetur formula cum explicita vel implicita illa conditione, jam fieri nequit, ut particularis error absorptus maneat a generali voluntate contrahendi juxta institutionem Christi.

« Inter formulas conditione irritante vitiatas non postremum locum tenet ea, quae *Transilvanica* dicitur, quaque Calvinistae in Transilvania et pluribus aliis locis utuntur. Substantia hujus formulae (tametsi quoad accidentalia nonnihil variare possit), in eo consistit. Minister Protestans ad contracturos dicit : *Audite S. Evangelium*. Deinde legit eis *Mat. XIX v.* 9..., quo textu ipsi abutuntur ad stabiliendos suos errores, et contracturi, qui eisdem erroribus participant, admonentur de restringendo consensu. Post consensum utrinque editum, perdurante eodem ritu, ab ipsis juramentum exigitur, in quo sibi mutuo promittunt fidelitatem, quoadusque altera pars in honestate perstiterit. Pariter vitiata esset formula, si minister pro textu *Mat. XIX* adhiberet alium, v. g. *Mat. V v.* 32..., vel *Hach. XIII v.* 4...., quibus pariter illi abutuntur ad eumdem finem ; maxime si tunc, prout apud illos fieri solet, minister instructionem vel sermonem ad contrac-

Digitized by Google

turos habeat de mutuis conjugum officiis, inter quae illud etiam numerant de unione servanda, donec altera pars in adulterium labatur : ac denique solum juramentum, ut supra, emissum in ipso ritu contractus sufficit ad matrimonium irritandum.

« Circa alias formulas ita pariter statuendum, si vel explicite vel implicite conditionem contineant matrimonii substantiae repugnantem. Praeterea cum vel ex precibus, vel ex adhortatione, quae aliquando praemittitur, aliquando postponitur formulae, vel ex mutuis promissionibus contrahentium aliquod vitium irritans emergere possit, etiam ad caeremonias hujusmodi attendendum est : nam plerumque et formula juramenti et promissiones mutuae aequivalent apud ipsos pactioni hujusmodi, quod scilicet violatio illorum inducat respective cessationem et jurium et obligationum inter conjuges, proindeque rescissionem matrimonialis vinculi. Ex his omnibus et etiam ex adjunctis loci circumstantiis, ab eo qui in iis praesens sit, facile dignosci poterit quaenam sit prava conjugum intentio ».

862. S. C. Un. Inqu. *fer. IV, die* 9 *Dec.* 1874 dedit instructionem ad Episcopum S. Alberti in Canadà super dubiis de re matrimoniali propositis, quorum praecipuum respiciebat matrimonia infidelium, qui theoretice et practice divortium admittebant. Ait vero : « Quod autem matrimonia hac conditione vitientur, deducitur in universum ex formula, qua ad nuptias consentitur, vel ex adjunctis proximis, vel ex adjunctis remotis... Adjuncta remota interdum hujusmodi sunt, ut de matrimonii nullitate vix dubitari sinant : puta si constans vigeret et generalis consuetudo permutandi vel prostituendi uxorem, certa redeunte falsorum numinum solemnitate, gravissima subesset causa, quare supponi posset barbaros generatim in matrimonio copulando pacisci saltem tacite conditionem aliquam ejus bonis repugnantem ».

863. S. C. S. Off. *an* 1877 dedit instructionem ad Episcopum de Nesqualy in Statibus Unitis Americae Septentrionalis, in qua docet investigationem in singulis casibus faciendam esse, ita ut nequeat quacunque generali prae-

Digitized by Google

sumptione suppleri ; de qua investigatione haec habet : « Quoad ultimum denique dubitandi caput omni diligentia et solertia investigandum erit utrum conditio contraria perpetuitati et indissolubilitati vinculi conjugalis aliqua ratione directe vel indirecte, explicite vel implicite in pactum fuerit a contrahentibus deducta, seu utrum matrimonium fuerit contractum cum prava voluntate non consentiendi in vinculum perpetuum.

« Ad hoc cognoscendum non solum consideranda erunt verba quibus consensus fuit expressus, sed etiam ponderanda erunt facta, quae ipsam consensus expressionem, vel modum ejusdem expressionis respicere possunt. Quae si talia fuerint, ut usus et consuetudo istorum locorum ea interpretentur tamquam praedictae conditionis irritantis inductiva, pronum erit inferre defuisse consensum in contractum perpetuum et omnino indissolubilem.

« Similiter considerandae et examinandae erunt formulae, quibus in istis regionibus uti solent haeretici dum ritum nuptialem exercent. Etenim illae haereticorum formulae, in quibus inserta inveniuntur ea SS. Scripturarum testimonia, quibus iidem haeretici abutuntur ad proprium errorem tuendum et propugnandum de dissolubilitate vinculi conjugalis, qualia sunt illud quod habetur apud S. Matt. *XIX*, 9..... et aliud apud eumdem Evangelistam *V*, 32..., interdum merito censentur conditionem irritantem continere.

« Quod magis etiam manifestum apparebit, si in praedictis formulis post expressum consensum, sed eodem ritu perdurante, a contrahentibus exigatur juramentum de fidelitate servanda cum conditione: *Quousque altera pars in fidelitate perstiterit ;* quia, habita ratione erroris quem profitentur haeretici, nomine fidelitatis non potest venire nisi permanentia in vinculo contracto.

« Praeterea cum ex precibus vel ex adhortatione, quae aliquando praemittitur, aliquando postponitur formulae, vel ex mutuis promissionibus contrahentium aliquod vitium irritans emergere possit, etiam ad caeremonias hujusmodi erit attendendum. Nam plerumque formula jura-

Digitized by Google

menti et mutuae promissiones aequivalere possunt pacto, quod scilicet eorumdem violatio inducat cessationem jurium et obligationum inter conjuges, et consequenter rescissionem vinculi matrimonialis.

« Neque praetermittenda erit accurata consideratio morum et consuetudinum in illis regionibus vigentium inter haereticos quoad eorum matrimonium. Quamvis enim factum inter ipsos haereticos commune, ut asseris, de rescissione matrimoniorum propter adulterium vel ob alias causas etiam levioris momenti non impediat quominus matrimonium legitimo modo contrahatur in actu celebrationis, vel voluntas adfuerit consentiendi in vinculum perpetuum et indissolubile ; tamen fieri potest, ut talis adsit communis et fere universalis persuasio, vi cujus retineatur matrimonium contractum nonnisi temporaneum et conditionatum esse, neque aliter nisi sub hac ratione contrahatur. Unde fit ut accurata consideratio morum et consuetudinum regionis multam afferre possit lucem ad veram voluntatem contrahentium cognoscendam.

« Ex hisce omnibus, et etiam ex adjunctis circumstantiis sive loci, sive personarum non omnino difficile erit praesertim ab iis qui praesentes sunt, dignoscere quaenam fuerit contrahentium intentio, quando matrimonialem contractum concluserunt et consensum praestiterunt. Fiant ergo in singulis casibus accuratae investigationes, utrum praesertim aliqua conditio contra matrimonii substantiam fuerit expresse in pactum inter contrahentes deducta, vel saltem emergant indicia, argumenta et praesumptiones, habito quoque respectu moribus regionis, ut coram ministro protestante contrahant ea praecipue voluntate, ut, dissoluto juxta protestantium praxim matrimonio, ad alia vota transeant ; ex quibus omnibus deprehendatur certam contrahentium voluntatem eam esse, ut nonnisi conditionate matrimonium contrahere intendant ».

864. Haec igitur prae oculis habere debet judex in hujusmodi controversiis. His adde quae De Lugo *De sacram. in gen VIII*, *n.* 130 docet cum aliis : « Quod si hic animus fuit in utroque conjuge, ex utriusque confessione con-

Digitized by Google

stabit sufficienter ut matrimonium possit declarari nullum etiam in foro externo, ut docet Sanchez *II, XLV, n.* 12, nisi esset collusionis praesumptio. Si autem fuit in solo uno, sufficiet ipsi in foro interno, imo sufficiet etiam alteri conjugi, si concurrant rationes probabiles ad existimandum ipsum non mentiri, ut docet Sanchez *l. c. n.* 4 » (1).

§ 2. — *De consensu matrimoniali praestito sub conditione de praesenti vel praeterito.*

865. Conditio *impossibilis*, e. g.: *Contraho, si montem aureum pro dote habes*, vitiatur, et matrimonium propter favorem juris valet ex rel. *cap. ult. De conditionibus...* Nonnulli quidem censent decretalem Greg. IX restringendam esse ad conditiones impossibiles de futuro, sed probabilius complectitur etiam conditiones de praesenti et praeterito, quia est eadem ratio. Sicut enim conditio impossibilis de futuro propter favorem juris praesumitur joco addita, et consensus matrimonialis serio expressus, ita et conditio impossibilis de praesenti vel praeterito (2). Etiam in testamentis haec conditio habetur pro non adiecta, et testamentum valet ex *l.* 5 *ff. De haered. inst.* Caeterum de hac juris praesumptione repete quae diximus n. 844.

866. Conditio *turpis*, e. g.: *Contraho tecum, si fratrem tuum occidisti*, verius non vitiatur; sed matrimonium statim valet vel non, prouti ipsa conditio verificata est vel hon, sicuti de conditione honesta mox dicemus. Equidem Greg. IX *l. c.* tradit conditiones turpes in genere habendas esse pro non adiectis; sed n. 753 diximus juxta communem DD. interpretationem id intelligi de illis tantum conditionibus, quae ad peccandum incitant, quales nequeunt esse conditiones turpes de praesenti vel praeterito (3). Haec vera sunt, etsi conditio turpis sit contra substantiam, e. g.: *Contraho tecum, si sumpsisti venena sterilitatis* (4).

(1) Vide etiam Ballerini ad Gury *II, n.* 752.
(2) Sanchez *V, IV, n.* 3. Schmalz. *IV, V, n.* 73. Reiff. *IV, V, n.* 46.
(3) Sanchez *V, XV, n.* 5. Schmalz. *IV, V, n.* 96 *sequ.* Barbosa in cit. *cap. ult. De condition. n.* 8.
(4) Sanchez *V, IX, n.* 6 *et* 7.

Digitized by Google

867. Tandem conditio *honesta*, e. g. : *Contraho tecum, si sententia judicis fuit mihi favorabilis ; Si es virgo ; Si es princeps*, revera non suspendit consensum ; sed hic habetur, ideoque matrimonium statim valet ab initio, si conditio existit ; non habetur, ideoque matrimonium est ab initio nullum, si conditio non existit, licet apud nos adhuc incertum sit. « Conditiones, quae ad praesens vel praeteritum tempus referuntur, aut statim infirmant obligationem, aut omnino non differunt, veluti, *si Titius consul fuit*, vel, *si Maevius vivit*, dare spondes ? Nam si ea ita non sunt, nihil valet stipulatio ; sin autem ita se habet, statim valet » § 6 *Inst. De V. O.* Et *l.* 37 *ff. De rebus creditis* : « Quae per rerum naturam sunt certa, non morantur obligationem, licet apud nos incerta sint ». Quamdiu vero ignoratur, an conditio extet necne, nefas est rei matrimoniali operam dare, quia periculo fornicationis conjuges sese exponerent.

868. Omnes admittunt matrimonium esse nullum si conditio fuit *actualis*, nempe posita in ipso matrimonii actu, et deinde appareat non existere. Idem affirmamus tamquam certum, si conditio fuit tantum *virtualis*, scilicet quando in actu matrimonii de ea ne verbum quidem factum est, sed apposita antea fuerat, nec revocata.

Sciendum enim est plures AA. hunc casum sibi proponere : Cajus contraxit matrimonium cum Berta, nulla conditione apposita ; sed quia paulo ante dixerat, audientibus multis, se ducturum in uxorem Bertam, si haec haberet in dotem aureorum decem millia, alias eam non ducturum, post initum matrimonium, cum scivisset Bertam nihil possidere, eam non cognovit. Quaerit sibi Pignatelli *Cons.* 136, tem De Angel. *De confess. tom. II quaest.* 44, nec non Pitonius *Discept. Ecc.* 52, *n.* 36 *vol. II,* an hujusmodi matrimonium sit validum ; et primi respondent affirmative, tertius negative etiam post novam formam a Conc. Trid. inductam ; cui adhaerent scriptores ephemeridis *Acta S. Sedis tom.* I, *pag.* 377.

At vero evidens est matrimonium esse nullum ex defectu consensus, si supponatur et conditionem veram ac proprie dictam *sine qua non* appositam fuisse, et hanc conditionem,

Digitized by Google

quae de facto deficit, non fuisse revocatam ; esse nullum, inquam, etiam in foro externo, si illa duo clare argumentis et indiciis moralem certitudinem parientibus probentur ; nec forma Tridentina ullatenus officit (1). Igitur in concreto facti potius quaestio fieri debet, num reipsa vera ac proprie dicta conditio *sine qua non* apposita fuerit ; et quatenus affirmative, num haec conditio fuerit revocata ante matrimonium : in quocumque tamen dubio favendum est matrimonio. Haec probatio in foro externo saepe difficilis est et eo difficilior, quo conditio est levioris momenti, quia non praesumitur contrahens eidem vere et constanter alligavisse consensum, sed potius esse errorem qualitatis dantem causam contractui, sed non irritantem (686). Causae nullitatis matrimonii hujus generis saepius naufragium faciunt ex defectu requisitae probationis in foro externo. Unum aliudve exemplum afferamus.

869. *Die* 22 *Sept.* 1708 in S. C. C. sequens causa agitata fuit, cujus compendiosa expositio ita legitur in S. C. regestis : « Inito matrimonio de *mense Aprilis* 1708 inter Carolum Antonium Santarellum et Cajetanam Muschinam coram parocho et testibus in ecclesia parochiali S. Nicolai de Incoronatis, cujus nullum adhuc documentum fuit exhibitum, suborta fuit controversia super illius validitate ex eo quod persona viri alia esset, quam supposita fuisset mulieri. Hinc, devoluta illius cognitione ad S. C., auditus fuit Emus Urbis Vicarius, cujus jussu subiecta jurato examini in Conservatorio Clementiae Cajetana haec recensuit : quod nempe sibi fuerit ab initio propositum dictum matrimonium a proprio ejus genitore praefecto domus DD. de Incoronatis cum eo supposito, quod praefatus sponsus filius esset Gubernatoris Acumuli, haberetque pecudes et praedia multa, ac proinde ipsa sponsa numquam aliter in eum se consensuram enixis et reiteratis protestationibus declaraverit, quam si vere propositis qualitatibus foret is praeditus ; sicque praeviis diligentiis habitis ab eodem genitore super qualita-

(1) Scavini *III*, *n.* 843. D'Annibale *III*, 314. S. Alph. *VI*, *n.* 1014. Sanchez *VII*, *XVIII*, *n.* 21. Pontius *IV*, *XXI*, *n.* 5. Salm. *X*, *n.* 9 et alii passim tum inter theologos tum inter canonistas.

Digitized by Google

tibus Caroli Santarelli medici in Urbe conditione et facultatibus instructi cum tali praesupposito fuerint stipulata capitula matrimonialia, ac subinde celebratum matrimonium in faciem ecclesiae : quamvis vero in actu ejus celebrationis absque ulla conditione consensum praestiterit, in corde tamen eadem subdit hujusmodi consensum dedisse sub ea conditione, quod sponsus vere esset praeconceptis qualitatibus decoratus ; quodque prae timore patris extra modum urgentis pro effectuatione matrimonii id palam non explicuerit, *etsi proprio parocho in actu explorationis voluntatis, aliisque personis* hanc suam conditionatam intentionem saepius patefecerit, ac fuerit protestata ; quodque deinde consummato matrimonio in domo patris ipsius mulieris, eaque praegnante reddita, post mensem circiter detectum fuerit, quod Carolus Antonius minime esset filius Gubernatoris Acumuli, sed ex quodam Victorio Interaneorum venditore progenitus, fortunae bonis destitutus ; proptereaque ejectus fuit e praefata domo, et coacta fuerit ipsa Cajetana invita ad quamdam domum a viro conductam sese transferre, exindeque paucis post diebus ad domum genitoris ejusdem viri perduci, quo tempore Carolo Antonio extra Urbem abeunti, ipsa sponsa ad pacandas personas mox dictae domus, ne in suspicionem fugae ab ea intentae adducerentur, epistolam maritali amore conspersam conscripserit ; indeque post tres dies aufugerit, et ad mansiones paternas in aedibus DD. de Incoronatis remeaverit, a qua traducta subinde ad d. Conservatorium de Clementia, paulo post easdem paternas mansiones repetierit : quodque inter haec consultus P. Alfarus theologus S. Poenitentiariae pro matrimonii nullitate responderit, nec non quod Cajetana non teneretur illud ratificare..... Ipse vero Emus Vicarius tam circa praefatam depositionem sponsae, quam circa binas depositiones juratas duorum correligiosorum Ordinis Reformatorum S. Francisci testificantium de supra allata sponsae voluntate conditionata ante matrimonium contractum, nonnulla excitat motiva : inverosimile nempe sibi videri putat, quod Cajetana ante matrimonii celebrationem tam enixas protestationes de persona futuri sponsi peregerit,

Digitized by Google

quas tamen parocho exploranti ejus voluntatem nullimode aperuit, quemadmodum in libertate posita bene poterat, uti constare subdit ex parochi testimonio, cujus tamen non apparet examen nec attestatio; quodque detecto praetenso errore, adhuc eadem cum sponso cohabitaverit, et cum eo sese immiscuerit; quod insuper nulla sit ratio habenda consultationis theologi S. Poenitentiariae, qui haud servatis servandis, sed juxta casus propositionem consilium praebuerit, multoque minus attendenda contrahentium dicta, et (frustra) procurata conjugii ratificatio post illud contractum et consummatum, eo quod in hac sit spectandum initium, seu tempus celebrati contractus..... Non dedignentur itaque EE. PP. attentis his et aliis, quae hinc inde adducuntur, resolvere dubium: An constet de validitate matrimonii in casu » S. C., causa discussa *die* 17 *Nov.* 1708, reposuit *Affirmative, et amplius.* Scilicet S. C. censuit probatum non esse in foro externo veram conditionem fuisse appositam, eamque usque ad matrimonii actum perseveravisse (1).

870. E contrario Pontius *IV, XXI, n.* 13 haec habet: « Ego obtinui in quadam causa matrimoniali ut ex errore in qualitate nobilitatis dissolveretur matrimonium. Saepe enim multo antea et proxime etiam ante matrimonii celebrationem explicuerat foemina se quidvis passuram et mortem sibi illaturam potius, quam cum illo contraheret, si Judaeorum sanguine infectus erat. Unde cum in viro defectus nobilitatis manifestus fuisset, matrimonium declaratum est nullum, et huic sententiae subscripserunt apud Salmaticenses, Vallisoletanos, Toletanos, Complutenses, et Matritenses viri ex theologia, et jurisprudentia doctissimi complures, et in Regis curia fere omnes juris consulti ».

Supponitur impedimentum disparitatis cultus abesse; quia secus nulla poterat esse dubitatio.

(1) Vide etiam *Novariensem Matrimonii* 24 *Febr.* 1720.

Digitized by Google

CAPUT VI

DE MATRIMONII FORMA.

871. Personae habiles, consensum internum habentes, illum, ut matrimonium adsit, exprimere debent in forma praescripta, idest cum illis solemnitatibus, quas Ecclesia in matrimonio ineundo praecepit (n. 770): atqui solemnitates ab Ecclesia praescriptae in matrimonii celebratione sunt sequentes; nempe ut contrahatur *coram proprio parocho aut alio sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia, et coram duobus saltem testibus, cum illis caeremoniis, quas habet Rituale Romanum* (1), *et deinde, diebus non impeditis, Missa votiva pro sponso et sponsa celebretur cum adnexa benedictione, prout habetur in Missali, ultima inter votivas.* Igitur haec erit *matrimonii forma.*

Solemnitates, quibus omissis, matrimonium foret illicitum, sed validum, constituunt *formam accidentalem*; praesentia autem proprii parochi, aut alterius sacerdotis de parochi vel Ordinarii licentia et duorum saltem testium pro locis et personis quae decreto Conc. Trid. *sess. XXIV, cap. I de ref. mat.* adstringuntur, dicitur et est *forma substantialis*, quia, ea deficiente, matrimonium est etiam nullum. Alias diximus (n. 243) matrimonium, vigente cit. decreto Tridentino, *clandestinum* appellari sensu proprio et stricto, si forma substantialis, ab eodem decreto inducta, adamussim servata non fuerit, praeter alias hujus vocis significationes. Solemnitates Ritualis ac Missalis audiunt *ritus nuptiarum.*

In distinctis articulis loquemur in primis *de praesentia parochi ac testium*; deinde *de nuptiarum ritu.*

(1) *De sacramento matr.*

Digitized by Google

Articulus I

De praesentia proprii parochi et testium.

§ 1. — *Ante et praeter decretum Conc. Trid.* sess. XXIV, cap. I de ref. mat.

872. Matrimonia prorsus clandestina absque ullius testis qualificati aut simplicis praesentia valida esse jure divino seu positivo seu naturali, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecerit, res est certissima, evidens, ac definita a Conc. Trid. *l. c.* in principio.

Praeterea facile admittitur praesentiam testium ante et praeter cit. decretum Tridentinum numquam Ecclesiam exegisse pro nuptiarum validitate. Utrum vero Ecclesia matrimonium sine benedictione sacerdotis irritum ullo umquam tempore ante Conc. Trid. habuerit: « Quaestio est de qua secum contenderunt ejusdem Conc. Trid. Patres, ut videre est apud Card. Pallavicinum in *Hist. Trid. l. XXII, c. IV.* Etenim cum plerique Patrum abnuerent enunciato decreto *cap. I, sess. XXIV*, eo quod absonum reputarent tunc primum irrita decerni matrimonia aliter quam coram parocho celebrata, quae etsi semper Ecclesia esset detestata, numquam tamen ante firmitate carere voluerat; alii, qui pro decreto stabant, illis opposuerunt modo a nobis allegatas vetustissimas Ecclesiae sanctiones, quibus sacerdotalem benedictionem praescriptam contendebant non solum ad cohonestanda, verum etiam ad firmanda Christianorum conjugia..... Ex quibus omnibus praedicti Tridentini Patres qui decretum urgebant, quo irrita fierent matrimonia clandestina, nihil per illud novi decerni concludebant, sed antiquas tantum Ecclesiae leges instaurari, quas aliquot dumtaxat ante Tridentinum saeculis sola contraria consuetudo abrogaverat ». Ben. XIV *De Syn. VIII, XLI, n. 4*, qui insuper expendit documenta, quae unam aliamque sententiam probare videntur, inclinans in validitatem conjugiorum absque praesentia sacerdotis perpetuo ante Conc. Trid.

Patres autem Tridentini ita verba in suo celebri decreto

Digitized by Google

sess. XXIV, cap. I de ref. mat. composuerunt, ut hanc quaestionem historicam non dirimerent: « Tametsi dubitandum non est clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, *quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit*, et proinde jure damnandi sint illi, ut eos S. Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant..., nihilominus S. Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est atque prohibuit..... ». Subdit Pallavicinus *XXIII, VIII, n.* 9: « Per hanc loquendi formulam illaesa in se relicta est utraque opinio, an ea irrita fecerit nec ne Evaristus (Papa) » (1).

Quamquam haec omnia verissima sint, tamen indubium est saltem tempore Conc. Trid. et aliquot ante saeculis, idest jure decretalium, matrimonia sine benedictione sacerdotis fuisse valida, tum in interno tum in externo foro, dummodo de illis constaret per legitimas probationes, prouti modo valida sunt ubi decretum Tridentinum non viget. Sane, ut alia omittamus, jure decretalium valida habebantur et habentur matrimonia praesumpta, et Alex. III in *cap.* 2, *De cland. desp.* tradit expresse clandestina conjugia ex utriusque conjugis confessione ab Ecclesia esse recipienda et comprobanda tamquam a principio in Ecclesiae conspectu inita.

873. At licet matrimonia clandestina ante et praeter decretum Tridentinum fuerint et sint valida, tamen fuerunt semper et sunt illicita. Ecclesia enim merito semper praecepit ut fideles matrimonium, praemissis denuntiationibus, inirent publice in Ecclesia cum benedictione sacerdotis idest proprii parochi, ut Ben. XIV verbis relatis docebat; sive ob gravissima mala, quae ex clandestinis conjugiis, attenta hominum malitia, oriri solent, sive quia, cum matrimonium Christianum sit sacramentum, conveniens omnino est ut in Ecclesia ineatur cum benedictione sacerdotis ac sacris ritibus, quibus uberior Dei gratia supra conjuges invocetur. Testes formales, attento jure communi decretalium, sunt de consilio, sed non videntur de praecepto, dummodo matri-

(1) Proinde errat Sanchez *III, III, n.* 2, ubi affirmat definitum a Conc. Trid. matrimonia clandestina antea inita fuisse valida.

Digitized by Google

monium publice in Ecclesia cum benedictione sacerdotis celebretur. Veteres canones videri possunt in Decreto *c.* 30, *q.* 5 ad quos alludit Inn. III *in cap.* 3, *De clandest. despons.* : « Unde praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerendo clandestina conjugia penitus inhibemus, prohibentes etiam ne quis sacerdos talibus interesse praesumat » (1).

Subdit vero Pirhing *IV, III, n.* 2 : « Sunt tamen plures casus, in quibus ante Conc. Trid., et nunc etiam ubi decretum illud non est promulgatum, potest contrahi matrimonium etiam clam sine testibus. Covarr. *in Decret. p.* 2, *c.* 6, *n.* 7. Quorum quinque recenset Tanner. *tom.* 4, *dis.* 8 *de matrim. q.* 3, *n.* 111 ; 1° Si possint per matrimonium clandestinum evadere subitum periculum mortis ; 2° Si quis per testium adhibitionem a matrimonio contrahendo inique impedirentur ; 3° Si expectando testes magnam opportunitatem contrahendi matrimonium essent amissuri ; 4° Si sine gravi damno palam contrahere non possint, ut si virgo sub tutoris potestate constituta merito timeat se tradendam viro pravo vel alias indigno ab iniquo tutore ; 5° Si post matrimonium semel publice contractum, sed invalide ob interveniens impedimentum, post impetratam dispensationem denuo clam contrahatur... Ratio est, quia hujusmodi leges affirmativae non ita stricte obligant, quin licitum sit ab eis recedere ob urgentem necessitatem, vel aliam justam causam, dummodo alia graviora incommoda vitentur... »

874. Cum vero matrimonium sine ullo teste fuerit et sit validum, licet illicitum, ante vel praeter cit. decretum Conc. Trid., quaeri potest quomodonam judex ecclesiasticus in foro externo procedere debeat in controversiis de matrimonii clandestini celebratione. Matrimonii celebratio est factum, quod non praesumitur, sed probatur. Unde judex applicat regulam generalem de facti alicujus probatione ; ex qua habentur sequentes conclusiones.

875. 1° Si matrimonium initum fuit coram testibus, horum depositio recipitur, et matrimonii celebratio per hanc depositionem probari potest, etiam utroque conjuge ne-

(1) Vide etiam Ben. XIV *l. c.*

Digitized by Google

gante. Id non obscure desumitur ex *cap.* 2, *De clandest. desp.*

876. 2° Si matrimonium, nemine adstante, initum fuit inter partes, triplex casus verificari potest (1).

a) Uterque conjux fatetur matrimonium contractum. Ecclesia illud recipit, veluti si ab initio coram ipsa fuisset celebratum, nisi aliquod obsit impedimentum dirimens. « Si personae contrahentium hoc (matrimonium) voluerint publicare, nisi rationabilis causa praepediat, ab Ecclesia recipienda sunt et comprobanda, tamquam a principio in Ecclesiae conspectu contracta » ait Alex. III in cit. *cap.* 2, *De cland. desp.* Excipe, si matrimonium publicum deinde contractum fuit, tunc enim eorum affirmatio etiam jurata de matrimonio clandestino antea inito contra publicum illud matrimonium, non admittitur (2).

877. *b*) Uterque negat matrimonium contractum. Non sunt aliquatenus compellendi ad maritalem conversationem, et ipsis permittitur ad alia vota transire. « Si matrimonia ita occulte contrahuntur, quod exinde legitima probatio non appareat, ii, qui ea contrahunt, ab Ecclesia non sunt aliquatenus compellendi » Alex. III in cit. *cap.* 2, *De cland. desp.*

878. *c*) Unus negat, alter affirmat matrimonium contractum. Affirmans probare debet, secus permittitur utrique ad alia vota transire. Id communissime traditur a DD., et indubium videtur. Obstat *cap.* 1 *cit. tit* : « Si quis clam desponsaverit aliquam, et *mulier vel vir* neget hujusmodi desponsationem, viro incumbit probatio ». Unde videtur vir probare semper debere, sive ipse sive mulier negaverit. Gonzalez in *comm. cit. cap.* 1 ait : « Difficilis est hic canon », nec plausibilem explicationem alicubi legimus. Multi interpretes etiam magni nominis docent ea verba *vel vir* delenda esse (3) quo facto omnis evanescit difficultas ; sed ea verba in omnibus codicibus leguntur, et haec via solvendi vel po-

(1) Santi *IV, III, n.* 33. Zitelli *Apparatus II, II, VII.*

(2) Fagn. in cit. *cap.* 2, *n.* 4 *sequ.* Ben. XIV *De Syn. XIII, XXIII n.* 12. Pirhing *IV, III, n.* 35.

(3) Gonzalez *l. c.*

Digitized by Google

tius eludendi difficultates nimis commoda videtur. Summarium hujus capitis conforme est doctrinae communi et certae : « Pro clandestino matrimonio non praesumitur, sed aliud (potius *illud*) alleganti incumbit probatio ». Et etiam Glossa v. *si quis* ait : « Hoc dicit secundum communem intellectum : ei qui asserit matrimonium, incumbit probatio ». Sed non apparet quomodonam summarium et hic communis intellectus respondeat capiti. Eadem glossa v. *viro incumbit probatio* nonnullas recenset explicationes conformes doctrinae communi et certae, sed plus minusque improbabiles. Gonzalez *l. c.* timidus proponit sequentem explicationem doctrinae capitis, juxta quam semper viro incumberet probatio : « Quia clam contracto matrimonio, sive mulier, sive vir neget, semper pro muliere stat juris praesumptio, sive neget matrimonium contractum esse, sive affirmet quod celebratum fuit : non enim credibile est, quod si matrimonium contractum fuisset, hoc mulier negaret, aut etiam contractum esse dixisset quod revera contractum non est, ideo quia ejus magis interest verum affirmare in hac parte, quam viri qui facilius potest invenire alias nuptias. » Sed haec nemo admittet. Quid igitur ? Cum aliam probabilem explicationem non habeamus, putamus ea verba *vel vir* esse veluti includenda intra parenthesim ; et tunc sensus est, muliere negante, probationem incumbere viro, et viceversa.

879. Exinde patet in altero et tertio casu facile dari posse oppositionem inter forum internum et forum externum. Nam in altero casu, si partes, quae reipsa validum matrimonium iniverunt, inter se conveniunt de eo negando, liberae declarantur in foro externo, ideoque eis permittitur alias nuptias contrahere, ordines sacros suscipere etc. In tertio casu si matrimonium, nemine adstante, initum fuit, probatio illius, altero negante, valde difficilis est: eaque deficiente, partes licet valido matrimonio unitae in foro interno, tamen in foro externo rursus liberae habentur. Ad haec omnia evitanda mala Ecclesia prohibuit matrimonia clandestina, sed « prohibitiones illae propter hominum inobedientiam jam non prosunt » Conc. Trid. *l. c.*

Digitized by Google

§ 2. — *Decretum Conc. Trid.* sess. XXIV, cap. I de ref. mat.

880. Conc. Trid. *l. c.*, ut his malis occurreret, voluit matrimonium ita celebrari, ut de ejus celebratione nullo modo dubitari posset. Proinde statuit non solum illicitum sed etiam nullum esse conjugium, nisi ineatur coram proprio parocho, aut alio sacerdote de ipsius parochi vel Ordinarii licentia, et duobus saltem testibus, sive ullo unquam tempore fuerint antea invalida matrimonia clandestina sine benedictione sacerdotali, sive non, quod dubium profecto ac incertum remansit (1).

In primis renovat et complet legem de promulgationibus a proprio contrahentium parocho faciendis, ac deinde statuit:

« Qui aliter quam praesente parocho (nempe *proprio* contrahentium), vel alio sacerdote de ipsius parochi vel Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et annullat. Insuper parochum, vel alium sacerdotem, qui cum minore testium numero, et testes qui sine parocho et sacerdote hujusmodi contractui interfuerint, nec non ipsos contrahentes graviter arbitrio Ordinarii puniri praecipit. Praeterea eadem S. Synodus hortatur, ut conjuges ante benedictionem sacerdotalem, in templo sùscipiendam, in eadem domo non cohabitent, statuitque benedictionem a proprio parocho fieri, neque a quoquam nisi ab ipso parocho, vel ab Ordinario licentiam ad praedictam benedictionem faciendam alii sacerdoti concedi posse: quacumque consuetudine, etiam immemoriali, quae potius corruptela dicenda est, vel privilegio non obstante.

« Quod si quis parochus vel alius sacerdos, sive regularis sive saecularis sit, etiamsi id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiae sponsos, sine illorum parochi licentia, conjungere aut be-

(1) Ben. XIV *De Syn. VIII, XII, n.* 7.

Digitized by Google

nedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur.

« Habeat parochus librum, in quo conjugum et testium nomina, diemque et locum contracti matrimonii describat, quem diligenter apud se custodiat.

« Postremo S. Synodus conjuges hortatur, ut antequam contrahant, vel saltem triduo ante matrimonii consummationem sua peccata diligenter confiteantur et ad SS. Eucharistiae sacramentum accedant.

« Si quae provinciae aliis, ultra praedictas, laudabilibus consuetudinibus et caeremoniis hac in re utuntur, eas omnino retineri S. Synodus vehementer optat.

« Ne vero haec tam salubria praecepta quemquam lateant, Ordinariis omnibus praecipit ut cum primum potuerint, curent hoc decretum populo publicari ac explicari in singulis suarum dioecesium parochialibus ecclesiis : idque in primo anno quam saepissime fiat, deinde vero quoties expedire viderint. Decernit insuper ut hujusmodi decretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat a die primae promulgationis in eadem parochia factae numerandos ».

881. Igitur juxta hoc decretum praesentia proprii contrahentium parochi, vel alterius sacerdotis de parochi seu Ordinarii licentiâ, et duorum saltem testium facta est forma *substantialis* matrimonii. Proinde matrimonia clandestina, idest sine hac forma, nulla prorsus sunt, quacumque ignorantia non obstante (licet ignorantia excusare valeat a poenis a Concilio statutis) ; etiamsi in casu, attentis personarum qualitatibus, nihil ex matrimonio aliter contracto timendum sit (1).

Nonnulli quidem putaverunt hoc matrimonium habere vim sponsalium, sed immerito. Hanc doctrinam Ben. XIV *Inst. Ecc. XLVI, n.* 22 *insanam* et *falsam* appellat, et S. C. C. eam pluries rejecit. Ita in *Messinensi an* 1573, *lib.* 1,

(1) Santi *IV, III, n.* 39. Pirh. *IV, III, n.* 6. S. C. C. 14 *Jan.* 1673 apud Ben. XIV *De Syn. XII, V, n.* 3. De Angelis *IV, III, n.* 7.

Digitized by Google

Decret. pag. 107, et *eod. lib. Decret. p.* 132; et in *Bisuntina mense Martio* 1587, *lib.* 4 *Decret. pag.* 230; et in *Geracensi an.* 1589, *lib.* 6 *Decret. pag.* 62; et in *Nullius* 8 *Julii* 1592, *lib.* 8 *Decret. pag.* 130 (1). Sane cum verba et consensus sint de praesenti, sponsalia ne intelligi quidem possunt.

882. Juxta relatum decretum Tridentinum parochus, aliusve sacerdos de parochi aut Ordinarii licentiâ assistens matrimonio, non assistit tamquam minister contractus et sacramenti, nec exercet ullam potestatem aut ordinis aut jurisdictionis; sed assistit, tamquam testis qualificatus, *auctorizabilis*, ut ajunt, pro Ecclesia, seu testis, cui Ecclesia fidem habet. Nempe Conc. Trid. voluit matrimonium ita celebrari ut de illius celebratione nullum superesse posset dubium. Quum vero « in aliis duobus aut tribus testibus ad matrimonium rite contrahendum necessariis, non eas qualitates requirat, quae illos omni exceptione majores constituant..., idcirco parochi praesentiam voluit, ut in illius probitate maximum veritatis fundamentum statueret: uti colligitur ex Historia dicti Concilii scripta a Card. Pallavicino *lib. XXII, cap. IV, n.* 3 *et n.* 12 », ait Ben. XIV *De Syn. XIII, XXIII, n.* 6. Verbo, parochus et testes assistunt matrimonio ad eum modum, quo praesentia notarii et testium pro validitate nonnullorum actuum in materia civili requiritur: et sicut notarius est testis auctorizabilis pro auctoritate civili, ita parochus pro Ecclesia in re matrimoniali. Imo Pallavicinus *XXII, VIII, n.* 16-17 narrat Concilium inter scribam (notarium) et parochum nonnisi post ventilatas rationes jure meritoque selegisse parochum uti suum testem auctorizabilem. Deinde addit: « Cum Gallorum oratorum postulatio urgeret ut sacerdos matrimonio *praefuerit* (quod verbum sonabat plusquam simplicem testis praesentiam, nimirum voluntatem et auctoritatem); Patres..... quaesita solum secura stabilique probatione, noluerunt parochum alio modo concurrere, quod spectabat ad efficaciae necessitatem, praeterquam ministerio petito quidem, tametsi coacto, aurium et oculorum ».

(1) Vide discursum Secretarii S. C. C. *die* 13 *Martii* 1879. Ben. XIV *l. c. n.* 23.

Digitized by Google

883. Notanda sunt verba quibus Conc. Trid. utitur: « Eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit ». In ipso Conc. Trid. cum de hujusmodi forma introducenda ageretur, nonnulli objecerunt Concilium non posse illud ferre, quia Ecclesiae nulla est potestas in materiam sacramentorum, et materiam aptam ipsa Ecclesia nequit declarare ineptam quoad validitatem: atqui hoc decreto materia apta declararetur inepta quoad validitatem. Hanc obiectionem jam solvimus n. 268: nam materia sacramenti matrimonii est in contractu valido; Ecclesia autem hoc decreto reddit contractum invalidum, non servata illa solemnitate; atque ita, materia substantialiter immutata, sacramentum existere nequit. Ut hoc innueret, Concilium citata verba adhibuit.

884. Notissimum est hoc decretum latum a Concilio fuisse ad instantiam Oratorum Galliae, qui petierant a Concilio irritari tum matrimonia filiorum familias sine consensu parentum, tum matrimonia clandestina. Concilium illud rejecit, hoc admisit simul determinans in quo consisteret haec clandestinitas irritans et forma substantialis. Ab hac, nisi ex gravissimis causis, dispensari non solet.

His generaliter positis, modo decretum Tridentinum, praeeuntibus SS. CC., exponendum est.

I

De Tridentini decreti promulgatione.

885. Ipsum Concilium relatis verbis determinat modum illud promulgandi, qui est prorsus singularis. Vult nimirum ut decretum pluries publicetur in unaquaque parochia, et vim non habeat, nisi post triginta dies a prima publicatione. Ratio propter quam Concilium hunc modum selegit, haec fuit. P. Lainez S. I. in ipso Concilio observavit haereticos hanc legem non esse recepturos: unde innumerae fornicationes, filii illegitimi, magna confusio quoad legitimas successiones. Concilium voluit haec incommoda removere, et putavit ea removeri, si exigeretur promulgatio decreti in unaquaque parochia: nam hoc modo decretum promulgan-

Digitized by Google

dum fore praevidebatur in locis, quae vel catholici exclusive incolebant, vel in quibus potiores partes habebant; non autem in locis ab haereticis vel exclusive vel principaliter occupatis (1).

Videbimus in primis quomodonam promulgatio decreti fieri debeat; deinde in quibusnam locis facta sit; tandem de promulgati decreti revocatione.

886. 1° Ubi decretum Tridentinum publicatum non est, certe parochus ad hanc publicationem devenire nequit, inconsulto Ordinario; secus, attentis Concilii verbis, probabilius putamus promulgationem nullam esse, eaque non obstante, clandestina conjugia adhuc valere (2). Episcopus autem eam hodie praecipere non potest sine permissione Sedis Apostolicae (3). Haec « quotiescumque conducere ea promulgatio Episcopis atque Vicariis Apostolicis visa est, nihil reliqui fecit quo facilem eisdem se praeberet, atque hujusmodi medicinam tali consentaneam morbo (clandestinis nuptiis) praescriberet » S. C. de Prop. Fide 14 *Jan.* 1821 in Alleg. II. Nihilominus promulgatio facta de mandato Episcopi valeret profecto, etsi consensus Apostolicae Sedis prius petitus non fuisset.

887. Quaeritur utrum promulgatio sine speciali Sedis Apostolicae facultate fieri queat, et facta matrimonia clandestina irritet, si dioecesis canonice erecta non est, nec in ea parochiae canonice erectae. Nonnulli negant, quia Conc. Trid. *l. c.* praecipit decretum publicari et explicari in singulis parochiis: atqui in casu parochiae non existunt. Haec doctrina adeo generalis minus probari posse videtur: potius ita distinguendum est. Si districtus, missio aut alio quocumque nomine appelletur locus, sacerdotem addictum non habet, ita ut fideles possint ubique communionem paschalem recipere, baptizare infantes, ultima habere sacramenta etc.; decretum

(1) De Angelis *IV, III, n.* 8. Ben. XIV Const. *Paucis abhinc hebdomadis* 19 *Mart.* 1758, § *Injiciebat.* Pallavicini *Hist. Conc. Trid. XXII, cap. VIII.*

(2) Vide votum docti consultoris in causa *Limburgen. Dubia circa matrimonia clandestina* discussa in S. C. C. 19 *Jan.* 1889.

(3) Gury *II, n.* 842. Zitelli *Apparatus II, II, VII*; sed contradicit cit. Consultor *l. c.*

Digitized by Google

Tridentinum nequit ibidem publicari, quia non est parochia neque in sensu lato neque in sensu stricto, et proprius contrahentium sacerdos non adest. Si vero districtus, missio etc., licet non sit parochia canonica, regitur tamen ad instar parochiae, quia, Episcopo sic disponente, fideles tantum in sua ecclesia possunt paschali praecepto satisfacere, baptizare infantes, aliaque parochialia jura recipere a missionario, qui apud eos residet, aut suis temporibus eos visitat; Tridentina lex potest ibidem publicari, quia adest proprius sacerdos, et parochia est sensu lato, quo Concilium hoc vocabulum sumpsisse videtur (1).

Haec confirmantur ex responsione S. R. U. Inquis. 14 *Nov.* 1883. Nam in provincia Quebecensi jussu Episcoporum lex Tridentina promulgata fuerat tum in *quasi-parochiis*, idest districtibus per Episcopum circumscriptis, in quibus sacerdos ordinarie, vel principaliter residet, tum in *missionibus*, quae suis temporibus a sacerdote visitari tantum solent. Quaesitum fuit: « An valida fuerit promulgatio decreti *Tametsi* Concilii Tridentini in missionibus et in quasi-parochiis supra dictis? ». S. C. reposuit : « Juxta exposita affirmative, et ad mentem. Mens est, quod in locis ubi haberi nequeat parochus, validum est matrimonium celebratum coram duobus testibus : contrahentibus tamen onus inest recipiendi, quam primum id fieri possit, benedictionem nuptialem, et curandi ut eorundem matrimonium inscribatur in sacramentali registro missionis, vel proximioris ecclesiae, cui subiiciuntur ».

888. Haec publicatio fieri debet *in ipsa parochia*, ita ut satis non esset si in synodo dioecesana, vel in cathedrali ecclesia decretum pro omnibus dioecesis parochiis publicaretur, aut etiam si publicatio fieret in civitate pro omnibus ejusdem parochiis. Sane Concilium ait *in singulis dioecesis parochialibus ecclesiis, in unaquaque parochia, in eadem parochia.* Sufficit tamen ut fiat in sola ecclesia parochiali, si in parochia plures ecclesiae sint : et licet deinde in parochiae territorio nova oppida cum novis ecclesiis erigantur, nova publicatione opus non erit.

(1) De Angelis *IV, III, n.* 7. Feje *n.* 335. Lekmkuhl *n.* 789.

Digitized by Google

Episcopus Eliopolis plura dubia S. C. de Prop. Fide proposuit inter quae: « 4° An ut vere Concilii decretum dicatur publicatum, necesse sit in omnibus ecclesiis vicorum, quae inter se valde proximae sint, publicetur, quum et aliqui vici ob incolarum commoditatem duas ecclesias habeant. 5° Cum in aliquo dominio perpaucae ecclesiae sint, cum tamen in posterum multae sint erigendae, an publicato decreto Concilii in illis paucis ecclesiis, in toto dominio censeatur publicatum; vel potius in quolibet vico, in quo deinceps ecclesia erigenda est, congregatis Christianis in aliqua domo decenti, ut solet fieri in Missae celebrationibus, ibi fieri debeat publicatio, ita quod interim, cum in singulis vicis non fit publicatio, possint sine parocho et testibus matrimonium contrahere ». S. C. 7 *Julii* 1670 reposuit: « Ad 4um esse necessariam publicationem in singulis et solis parochiis juxta decretum S. Conc. Trid. *sess. XXIV, cap. I de ref. mat.* Ad 5um sufficere publicationem jam factam, nisi novi accedant populi et incolae, et pro eis novae erigantur parochiae ».

At si parochia oppida habeat ab ecclesia parochiali valde dissita, opportunum erit ut etiam in illorum oppidorum cappellis decretum perlegatur, ut in re tanti momenti nullus relinquatur ignorantiae locus.

Publicatio facta non in ecclesia parochiali, sed in alia parochiae ecclesia, foret valde absona, et fortasse nulla, cum Concilium velit decretum publicandum *in singulis parochialibus ecclesiis.*

889. Decretum publicari debet *lingua vernacula*, ut populus intelligat. Publicatio facta lingua latina nullane foret, ita ut clandestina conjugia essent, ea non obstante, valida? Non putamus, quia licet populus non intelligat, tamen parochus illud explicat; sicuti leges pontificiae sufficienter Romae promulgantur lingua latina pro tota Ecclesia. Conc. Trid. *l. c.* praecipit decretum populo *publicari et explicari.* In Collect. Paris. *n.* 991 refertur responsum Card. Borgia datum Patavii 16 *Aug.* 1799: « Ad 2um respondeo negative: ratio est quod decretum Conc. Trid. de matrimonio legi debet idiomate vulgari, ut intelligi possit, ac in unaquaque paro-

Digitized by Google

chia ». Sed cum ignorentur dubia proposita, exinde nil certi deduci potest. Proinde in casu practico, si daretur, Episcopus deberet praecipere ad cautelam promulgationem lingua vulgari esse repetendam, et clandestina conjugia forte inita interim tamquam valida habere.

890. Et promulgari debet non tamquam lex episcopalis, aut synodi provincialis, aut nationalis, sed tamquam decretum ipsius Conc. Trid. ; secus nil actum est, etsi ipsa Conc. Trid. verba fuerint adhibita (1). Id illustrat Ben. XIV *De Syn. XII, V, n. 7 sequ* :

« Cum in dioecesi Kioviensi atque in tota Ruthena provincia numquam promulgatum fuisset saepius laudatum decretum Tridentini *sess. XXIV, cap. I de ref. mat.*, ad praecidenda nihilominus scandala quae ex clandestinis conjugiis in maximam animarum perniciem proveniebant, in dioecesana synodo Kioviensi habita *die* 11 *Oct.* 1619, atque in synodo provinciali Ruthena habita *die* 6 *Aug.* 1626 constitutiones sunt editae, in quibus irrita declarata sunt matrimonia aliter quam coram parocho et duobus vel tribus testibus celebrata, eodem plane modo quo a Tridentino statutum fuerat, licet nulla Tridentini fuerit in illis facta mentio, simulque jussi sunt singuli Rutheni parochi eas synodales constitutiones per suas ecclesias quam primum promulgare, sicuti etiam a Tridentino fuerat praescriptum : iis vero qui post hanc publicationem sine parochi et duorum saltem testium praesentia matrimonium contraxerunt, injuncta est separatio, et veluti nullo inter se legitimo connubii foedere obstrictis libera facta est potestas transeundi ad alia vota.

« De hisce decretis acriter disceptatum fuit cum in S. C. de Prop. Fide, tum in S. C. C. Scripserunt in utramque partem theologi et canonistae : quorum nonnulli existimarunt nihil esse dubitandum de validitate constitutionum, quae adamussim respondebant et verbis et menti Conc. Trid., quod ideo non fuit expresse nominatum ne, illius nomine audito, Rutheni schismatici, quibus est invisum, magis magisque ab

(1) Vide folium et votum Consultoris in *cit. Limburgen.* 19 *Jan.* 1889.

Digitized by Google

unione retraherentur, et ne similiter Graeci ab orthodoxa Ecclesia separati occasionem inde arriperent spargendi in vulgus Latinos velle suos mores et ritus in ipsorum Ecclesiam invehere: quam calumniam nobis impingunt, ut plebis animum a Latinis avertant, atque in schismate obduratum detineant.

« Alii ex adverso fuerunt in sententia praefata synodalia statuta, quamquam Tridentino omnino conformia, viribus tamen carere: quod hac ratiocinatione manifeste confici sunt arbitrati. Tridentinum noluit suum decretum, quo irrita fecit matrimonia clandestina, quempiam afficere et ligare nisi post triginta dies ab ejusdem decreti publicatione facta in parochia in qua ipse degit... At in parochialibus ecclesiis Ruthenis numquam praedictum conciliare decretum fuit promulgatum: itaque matrimonia inibi aliter contracta quam Tridentinum praescripserit, non possunt esse irrita virtute decreti ejusdem Tridentini. Unice igitur restat ut irrita sint virtute constitutionum a synodis Ruthenis editarum, earumdemque synodarum nomine atque auctoritate per singulas parochias promulgatarum. Hoc autem contingere nequaquam potest: nulla quippe peculiaris synodus potest inducere novum impedimentum dirimens matrimonium, seu hujus contrahendi novam formam praescribere, sed est ad id necessaria auctoritas Concilii Oecumenici vel Summi Pontificis.

« Hanc postremam opinionem amplexata est S. C. quae *die* 2 *Dec.* 1628 rescripsit synodalia decreta Ruthena per parochias publicata non potuisse firmitatem adimere matrimoniis contra formam in iisdem statutam contrahendis, et propterea valida definivit matrimonia clandestina inita post eorumdem decretorum promulgationem; quodque hinc necessario consequebatur, redintegrari jussit conjugia hoc tantum nomine rescissa quod aliter essent celebrata, quam synodales exposcerent constitutiones, conjugesque ea de causa separatos ad cohabitationem instaurandam adegit, idque etiamsi post separationem alias celebrassent nuptias, quarum validitati obstabant primae jam legitime contractae. Ut porro deinceps incommoda averterentur, quae ex

Digitized by Google

clandestinis proveniunt matrimoniis, eadem Congregatio consuluit Sanctissimo, ut per suas Apostolicas litteras in forma Brevis, iisdem fere verbis conceptas, quibus Tridentinum utitur, conjugia aliter quam coram alterutrius contrahentium parocho et duobus aut tribus testibus in posterum contrahenda, irrita decerneret easque litteras per singulas parochias Ruthenas praeciperet promulgari.

« Eamdem sententiam, in qua post novum examen eadem C. perstitit *die* 20 *Mart.* 1629, approbavit confirmavitque Urb. VIII, simulque deputavit particularem Congr. quae de modo deliberaret, quo litterae Apostolicae essent formandae. Habita est haec Congregatio die 20 *Apr.* 1629, eaque suggerente, scripta fuere duo Brevia : alterum in quo demandabatur publicatio decreti Conc. Trid. expresse et nominatim, alterum in quo ipsemet Pontifex, verbis tamen a Tridentino acceptis et facta insuper Tridentini mentione, nullius roboris decernebat nuptias quae sine parocho et testibus in posterum fierent. Utrumque Apostolicum Breve transmissum fuit ad Nuntium Apostolicum, eique insinuatum, ut nisi ab expressa publicatione Tridentini turbas et tumultus excitandos praevideret, uteretur primo Brevi ; sin minus, urgeret publicationem secundi per quamlibet parochiam, non tamquam decreti Tridentini, sed tamquam constitutionis pontificiae : parochis autem injungeret, ut populo declararent Pontificiam constitutionem vim habituram post triginta dies ab ejusdem publicatione in parochia facta numerandos, quemadmodum etiam Tridentinum in suo decreto cautum voluit. Litterae quoque datae sunt ad Archiep. Kioviensem, quibus post plurimum commendatum ejusdem studium abducendi fideles a clandestinis desponsationibus, fuit suaviter quodammodo reprehensus quod deliquisset contra jus commune adscribendo sibi potestatem qua certo carebat ».

891. Decretum publicari in parochia potest vel pro omnibus, sive catholicis, sive haereticis, sive schismaticis ; vel pro catholicis tantum, non vero pro schismaticis, aut haereticis. Id manifeste supponitur in sequenti epistola S. C. de Prop. Fide ad Episcopum Nicopoleos 11 *Jan.* 1817.

Digitized by Google

Quaestio erat de validitate matrimonii inter catholicum et schismaticam, et S. C. rescribit: « Quantunque nei paesi di antico dominio Turco vogliasi publicato nelle chiese e società cattoliche, ossia per lo meno fra cattolici latini e greci ivi domiciliati, il citato decreto del Tridentino, e sieno consequentemente nulli i matrimonii ivi contratti fra cattolici e cattolici, senza la presenza del sacerdote proprio di una delle parti contraenti, *non è stato però nè mai publicato*, nè mai osservato in quei dominii nelle società o scismatiche, o eretiche, ivi da gran tempo formate e stabilite: E percio i matrimonii ivi celebrati o dai scismatici ed eretici fra loro, o da una parte cattolica e l'altra eretica o scismatica avanti il pastore eretico o scismatico dovranno aversi per rati e validi..... » (1)

Et clarius adhuc id tradit Pius VII rescribens ad Imp. Napoleonem. Hic instabat ut nullum declararetur ex capite vel raptus vel clandestinitatis matrimonium a suo fratre Hieronymo Baltimorae in America initum cum acatholica. Pius VII 27 *Junii* 1805 negativam dedit responsionem, et quoad clandestinitatem haec habet: « Cet empêchement vient du Concile de Trente: mais la disposition du même Concile n'a lieu que dans les pays où son fameux décret... a été publié, *et même dans ce cas il n'a lieu qu'à l'égard des personnes, pour lesquelles on l'a publié*..... Le décret du Concile de Trente n'y ayant pas été publié, sa disposition de la nécessité de la présence du curé ne peut y avoir lieu, et aussi pour une autre raison, qui est que quand même cette publication y eût été faite, on ne l'aurait faite que dans les paroisses catholiques, s'agissant d'un pays

(1) *Latine*: Quamvis in regionibus antiquae Turcicae dominationis feratur in ecclesiis et societatibus catholicis, nempe saltem inter catholicos Latinos et Graecos ibi commorantes, citatum Tridentinum decretum esse publicatum, ac per consequens nulla sint matrimonia ibidem contracta inter catholicos et catholicos absque praesentia proprii sacerdotis alterutrius partis contrahentis, tamen numquam fuit publicatum et observatum in illis regionibus in societatibus schismaticis aut haereticis ibidem ex multo tempore conflatis ac constitutis. Atque ideo matrimonia ibidem inita aut a schismaticis et haereticis inter se aut inter unam partem catholicam et aliam haereticam aut schismaticam coram pastore haeretico aut schismatico habenda erunt rata ac valida...

Digitized by Google

originairement acatholique, *de sorte qu'on ne pourrait jamais en déduire la nullité d'un mariage mixte, c'est-à-dire entre un catholique et une hérétique, à l'égard de laquelle la publication n'est pas censée être faite.* Ce principe a été établi par un décret de Notre Prédécesseur Benoit XIV au sujet de mariages mixtes contractés en Hollande, et dans la Belgique confédérée. Le décret n'établissant pas un nouveau droit, mais étant seulement une déclaration, comme porte son titre (c'est-à-dire un développement de ce que ces mariages sont en réalité), on comprend aisément que le même principe doit être appliqué aux mariages contractés entre un catholique et une hérétique dans un pays sujet à des hérétiques : quand même parmi les catholiques y existant on aurait publié le susdit décret ».

892. Quaeri potest quandonam promulgatio decreti in loco facta censeatur afficere etiam haereticos vel schismaticos ? Haec quaestio maximi momenti est, quum ex ea desumi debeat solutio quaestionis utrum matrimonia clandestina haereticorum inter se aut mixta valida sint, de qua n. 971 sequ. Jam vero variae fingantur hypotheses.

893. *a*) In aliquod territorium e. g. Americae Septentrionalis, in quo non erant aut fere non erant alii quam haeretici et schismatici, favente divina gratia, catholici confluxerunt, dioeceses hinc et parochiae erectae sunt, simul manentibus in eo territorio societatibus haereticis vel schismaticis. Jam vero si ibi in parochiis catholicis publicatur decretum, haec publicatio praesumitur facta tantum pro catholicis, non vero pro haereticis et schismaticis. Id aperte tradit Pius VII *l. c.*, confirmat S. C. S. Officii in responsione mox citanda, et optimo jure defenderunt viri docti cum ultimis annis caput *Tametsi* in civitate Berolinensi promulgaretur (1).

894. *b*) In territorium e. g. Galliarum, in quo non erant aut fere non erant nisi catholici, et decretum promulgatum fuerat in singulis parochiis, accesserunt deinde haeretici aut schismatici, et forte statum legalem a gubernio obtinue-

(1) Vide votum Consultoris in *cit. Limburgensi*.

Digitized by Google

runt, societatem religiosam constituentes cum templo et ministris. In hoc casu promulgatio primitus facta afficit etiam haereticos aut schismaticos. Huc spectat sequens responsio S. C. S. Officii. Matrimonium mixtum coram ministro acatholico celebratum Confluentibus in dioecesi Trevirensi *an.* 1821 fuerat a curia Trevirensi irritum declaratum ob clandestinitatem *die* 22 *Dec.* 1851 ; sed in altera instantia curia Coloniensis pro validitate stetit. Re delata ad S. C. S. Officii, in primis scriptum fuit ad Episcopum Trevirensem *die* 22 *Nov.* 1852 : « Emi Inquisitores Generales, antequam in re tanti momenti quidquam decernant, in comitiis *fer. IV, die* 24 *hujus mensis* habitis decreverunt litteras ad Amplitudinem Tuam dandas esse, ut certo innotescat, num Confluentibus fuerit decretum Conc. Trid. *cap. I, sess. XXIV, de ref. mat.* rite promulgatum in singulis parochiis, utrum *tempore ejusdem promulgationis in ea civitate extarent haeretici, qui suos haberent ministros et ecclesias, vel potius subinde supervenerint* ». Cum vero Episcopus Trevirensis respondisset affirmative ad primam quaestionem ; ad aliam vero acatholicos recentioribus tantum temporibus propriam ibi parochiam erexisse, S. C. S. Officii *die* 24 *Jan.* 1853 resolvit : « Infirmata sententia curiae archiepiscopalis Coloniensis, confirmandam esse sententiam curiae episcopalis Trevirensis ».

895. *c*) In territorio, in quo prius non erant aut fere non erant nisi catholici, et in cujus parochiis decretum publicatum fuerat, deinceps catholici in haeresim aut schisma declinaverunt, vel, expulsis catholicis, haeretici aut schismatici illorum locum occupaverunt ita ut modo societates religiosae haereticorum aut schismaticorum cum templo et ministris habeantur potius quam catholicorum. DD. minime convenientibus, putamus promulgationem primitus factam non afficere has societates, quia moraliter diversae sunt ab illa, pro qua promulgatio facta fuerat. Hic est casus Statuum Foederatorum Belgii et Hollandiae pro quibus Ben. XIV dedit celebrem declarationem, matrimonia haereticorum inter se aut mixta valere praecise, ut videtur, ob allatam doctrinam (n. 975 sequ.).

Digitized by Google

896. Pariter Episcopus si id ei pro suo prudenti arbitrio opportunum pro salute animarum videatur, potest parochias *per linguas* in civitate erigere, prouti expresse etiam declaravit S. C. de Prop. Fide 11 *Apr.* 1887. Hoc autem posito, si decretum Tridentinum promulgaretur pro parochia vel parochiis unius linguae et non pro aliis alterius linguae, sequeretur e. g. cives Gallos illius civitatis eo decreto teneri, non vero Anglos, ac consequenter matrimonia clandestina inter Gallos esse nulla, inter Anglos aut inter partem Anglam et partem Gallam esse valida. Putamus tamen hoc in casu fore inopportunam promulgationem decreti in una tantum parochia.

897. Haec promulgatio primo anno fieri debet *quam saepissime* ; deinde vero quoties expedire Episcopo videbitur, ut praecipit Tridentinum. Certe satis est si primo anno singulis Dominicis infra Missarum solemnia decretum populo indicatur ; robur autem decretum in parochia habere non incipit nisi post triginta dies a prima promulgatione. Si unica fieret promulgatio, valeret; sed peccatum non abesset, et quidem per se grave, quia agitur de praescriptione in se gravis momenti.

Haec declarant modum quo promulgatio decreti Tridentini fieri debeat.

898. 2° Nunc videndum ubinam de facto expleta sit haec publicatio Tridentini decreti. In primis quaeri potest quomodonam probetur promulgationem in parochia factam esse? Si adest authenticum peractae promulgationis documentum, quaestio soluta est. Si hoc documentum deest, imo nulla factae promulgationis habeatur memoria, sequens regula attendenda est : ibi facta praesumitur ejusdem decreti promulgatio, ubi constat jam usu receptum esse, ut matrimonia coram parocho et duobus vel tribus testibus, tamquam in executionem decreti Tridentini, celebrentur. Haec tradit Ben. XIV *De syn. XII, V, n.* 6, ubi refert S. C. C. *die* 26 *Sept.* 1602 declaravisse : « Publicationem praesumi, ubi id decretum fuerit *aliquo tempore* in parochia tamquam decretum Concilii observatum ». Hac de re propositum fuit S. C. S. Officii sequens dubium : « *Quanto tempo* si ri-

Digitized by Google

chiede, perchà dalla osservanza del capo *Tametsi* in un luogo se ne possa praesumere la promulgazione? (1) ». S. C. 10 *Jan.* 1866 reposuit: « Decretum Conc. Trid. *de ref. mat. sess. XXIV* diu dicitur observatum tamquam ejusdem Concilii decretum, quando *a tempore quod excidit hominum memoriam*, in parochia vim legis obtinuisse compertum est, ita ut matrimonia contracta praeter formam a Tridentino praescriptam irrita semper habita fuerint ».

899. Heic referenda sunt quae habet Ben. XIV in epist. *Paucis abhinc hebdomadis* ad Archiep. Goanum 19 *Mart.* 1758 (Alleg. VII): « Tandem cum praevideretur facile deperditum iri probationes, unde constaret de promulgatione Tridentini decreti in qualibet paroecia, atque exinde orituras plerumque dubitandi causas, num executioni demandata fuisset praescripta conciliaris decreti promulgatio, numque propterea vim suam obtinere deberet; approbante Pontifice Maximo sancitum fuit a C. C. ad eamdem promulgationem comprobandam sufficere diuturnam observantiam ejusdem conciliaris decreti; *cujus promulgatio inducitur ex diuturnitate temporis quo matrimonia in paroeciis coram parocho, ac duobus testibus celebrata fuerunt.....* » Ex quibus apparet diuturnam consuetudinem et probare et inducere decreti promulgationem, ita ut licet revera ab initio facta non esset, tamen decretum ab ipsa consuetudine inductum vigeret et clandestina conjugia irrita redderet. Hinc S. C. de Prop. Fide saepe rescripsit matrimonia clandestina nulla esse si in loco Tridentinum decretum *vel publicatum fuit, vel saltem semper observatum* (2).

900. Sed ut ad principalem quaestionem deveniamus, inter alios AA. P. Perrone *De mat. christ. lib, II, sect. I, cap. IV, art. IV* recenset *loca* in quibus Tridentinum decretum certe promulgatum fuit; *loca* in quibus certe promulgatum non fuit; tandem *loca*, in quibus dubitatur an promulgatum sit necne. Hunc elenchum cit. auctor documentis

(1) *Latine*: Quantum temporis requiritur ut ab observantia capitis *Tametsi* aliquo in loco, ejus promulgatio praesumi possit.

(2) Collect. Paris. *n.* 984, 996, 997. Votum consultoris in *cit. Limburgensi.* De-Angelis *IV, III, n.* 7.

Digitized by Google

in notis probat, sed, ut ipsemet fatetur, non est omnino completus et absolutus ob documentorum praesertim defectum. Mansella *De imp. matr. dir. I, IV, IV*, § 1 in notis nonnulla addit, idemque facit Zitelli *Apparatus II, II, VII*; sed elenchum pleniorem dat Ioder *op. cit. in App.* Proinde hanc appendicem referendam esse putavimus in Alleg. VI.

901. Alicubi decretum Tridentinum publicatum fuit ex parte tantum, idest quoad praesentiam testium, non autem quoad praesentiam parochi. Ita S. C. de Prop. Fide in Instruct. *diei 14 jan.* 1821 Vicariis Apost. in imperio Sinarum eique adjacentibus regnis atque provinciis auctoritatem facit promulgandi decretum quoad testium tantum praesentiam (Alleg. II). Et revera « in Tunkino orientali pluribus in locis primum fuit ex parte publicatum Tridentini decretum, nempe quoad necessitatem dumtaxat duorum aut trium testium, non autem quoad parochi praesentiam : deinde vero hoc ipsum decretum absolute ac integrum publicatum fuit » Mansella *l. c.* Id autem minime licet sine speciali Sedis Apostolicae facultate.

Esse loca, in quibus decretum Tridentinum publicatum est pro parte praescribente denuntiationes, non vero pro parte statuente substantialem matrimonii formam diximus n. 151.

902. Promulgatio semel facta perseverat, nec ullo pacto repeti debet, licet parochia in plures dividatur, aut plures in unam uniantur, quia lex afficit territorium. Id tradit S. C. S. Off. in instructione 14 *Dec.* 1859 : « Lex Tridentina de clandestino matrimonio debet sane in unaquaque paroecia promulgari juxta illius censuram ; sed facta semel promulgatione ejusque observantia permanente, lex territorium afficit et, adaequate loquendo, localem et personalem esse in confesso est apud omnes. Quatenus localis afficit territorium eosque qui ibi matrimonio jungendi sunt, obligat ; quatenus vero personalis est, obligat qui domicilium vel quasi-domicilium habentes in loco ubi Tridentinum decretum promulgatum est et viget, in altero ubi illud non viget, contrahere vellent. Neque ex facta in posterum praedicti territorii divisione, vel in eodem aliarum parocciarum

Digitized by Google

partes divisae vel recens erecta paroecia a lege jam territorium possidente liberae renuntiari possent » (1). Proinde, ut tradit Zitelli *Apparatus II, II, VII*, si parochiae in qua decretum viget, adjungatur locus in quo non obligabat, vel si paroeciae in qua decretum non obligat, adjungatur locus in quo obligabat; in priori casu locus adjunctus liber est a decreto, dum reliquum paroeciae territorium eidem subest, in posteriori vero locus adjunctus manet decreto subiectus, dum reliquum territorium liberum est (2).

903. 3° Tandem quoad decreti revocationem, publicatum decretum revocari potest non quidem ab Episcopo, sed a R. P. sive pro omnibus, sive pro aliquibus tantum e. g. pro haereticis ac schismaticis. Si haec revocatio est totalis matrimonia sine parocho et testibus erunt deinceps illicita quidem sed valida, veluti si decretum numquam publicatum fuisset. Si est partialis quoad praesentiam parochi tantum, matrimonia erunt nulla, nisi duobus saltem testibus praesentibus ineantur.

Huc referri videtur decretum datum pro Japonia 13 *Junii* 1625 : « Quoad matrimonia Japoniae in futurum contrahenda S. C. de Prop. Fide de speciali SS. D. N. gratia censuit, ut non obstante decreto Concilii Tridentini de matrimoniis jam pridem in ea insula publicato, matrimonia in praesentia duorum testium tantum valide contrahi possint, si tamen in loco ubi contrahuntur, vel in vicino ad quem sine periculo accedi possit, parochus, vel alius sacerdos saecularis sive regularis non existat ab Episcopo deputatus » (3).

Exempla revocationis decreti pro haereticis tantum habes n. 980.

904. Pariter indubium est hoc decretum revocari posse ex non usu, seu contraria consuetudine. Sane Pius VII in Brevi ad Archiep. Moguntinum 8 *Jan.* 1803 docet matrimonia clandestina rata et firma consistere ubi decretum « vel numquam publicatum, vel nunquam observatum tam-

(1) Haec non bene cohaerere videntur cum responsione S. C. de Prop. Fide *ad* 5um n. 888 relata ; sed in genere doctrinae S. C. S. Officii standum est.

(2) Feje *n.* 301.

(3) Collect. Paris. *n.* 978.

Digitized by Google

quam ejusmodi Concilii decretum, vel, si quandoque observatum fuit, longo dein temporis intervallo in desuetudinem abiit ». Idem tradunt plura alia documenta quae citari possent.

Expositum fuit a S. C. S. Officii : « Ante persecutionem sacrosancta Conc. Trid. decreta in ecclesia Japonensi publicata fuisse et totam vim obtinuisse videntur (ut in expositione quarumdam difficultatum circa matrimonium clandestinum a missionariis Imperii Japonensis *an.* 1625 insinuatur). Fideles vero de dispositionibus a Tridentino speciatim circa matrimonium clandestinum decretis omnino inscii, semper sine parocho (nullus enim remanserat) et saepe sine testibus matrimonium contraxerunt. Unde quaeritur: 1° Utrum adhuc nunc Conc. Trid. in Japonensi Imperio ut publicatum et vim legis obtinens haberi debeat. 2° In casu affirmativo, utrum omnia matrimonia sine testibus (et non sunt numero pauca) invalida sint, etsi invincibilis et universalis fuerit ignorantia? 3° In casu affirmativo suppliciter atque humiliter quaeritur; *a*) ut Ssmus dispensationem in radice, quo omnia matrimonia ob clandestinitatem nulla revalidentur, benigne concedere dignetur; *b*) ut in posterum matrimonia saltem absque parochi praesentia (ob actualem sacerdotum penuriam) valide celebrari possint ».

S. C. 11 *Mart.* 1868 reposuit : « Ad 1um negative. Ad 2um et 3um provisum in praecedenti ».

Quodnam sit *longum temporis intervallum*, quo consuetudo decretum abrogat, expressum non est. Reiff. *IV*, *III*, *n.* 119. Pirhing *IV*, *III*, *n.* 9, censent sufficere decennium, sicuti pro aliis legibus ; nempe decretum non amplius obligare, si legitime promulgatum fuit, sed non receptum saltem per decennium : et revera hoc tempus habetur in jure longum seu longaevum. Zitelli *l. c.* putat non sufficere quamlibet consuetudinem, sed requiri longissimi temporis, scilicet centum annorum. In casibus particularibus recurratur ad S. Sedem (1).

(1) Feje *n.* 302. Zitelli *l. c.*

Digitized by Google

II

Forma substantialis Tridentino decreto inducta explicatur.

905. Ex relatis Concilii verbis, ut matrimonium consistat, celebrari debet : *coram parocho proprio*, vel *Ordinario proprio*, vel *alio sacerdote de parochi seu Ordinarii proprii licentia*, et insuper *coram duobus saltem testibus*; qui omnes *debito modo* assistant nuptiarum contractui. Haec igitur omnia, quae substantialem matrimonii formam constituunt, singillatim explananda sunt.

1° — *Parochus proprius.*

906. Conc. Trid. *l. c.* contracti matrimonii testem auctoritativum prae primis voluit parochum, et quidem proprium (1). Sufficit autem parochus proprius alterutrius contrahentis seu sponsi seu sponsae, unde principium : parochus unius est parochus utriusque pro matrimonio (2). At pro licita matrimonii celebratione ex bonis moribus receptum plerumque est, et alicubi lege dioecesana praescriptum, ut parochus sponsae matrimonio assistat (3). Haec consuetudo aut lex rationabilis est et servari debet : qua vigente, matrimonium coram parocho sponsi est semper validum, sed est illicitum sine parochi sponsae consensu, cui cedunt in casu jura temporalia parochi in matrimoniis. Sed hac de re usus locorum attendendus est (4).

907. Nomen autem parochi in Tridentino decreto latiori sensu sumitur, et indicat illum qui universam animarum curam in parochia gerit, licet titulum non habeat. Id pro singulis declarandum est.

908. In primis nomine parochi in decreto Tridentino venit, ideoque jure proprio sine ullius delegatione matrimoniis assistit :

1° *Parochus titularis* sive inamovibilis, sive amovibilis, vulgo in Galliis *desservant*, et *vicarius perpetuus*, qui

(1) Sanchez *III, XIX, n.* 2.

(2) Fagn. in *cap.* 2, *De cland. desp. n.* 33. Sanchez *l. c. n.* 4. Pirhing *IV, III, n.* 13.

(3) Lehmkuhl *II, n.* 774.

(4) Bangen *III, pag.* 17.

Digitized by Google

nempe loco parochi habitualis parochiam regit, sed in omnibus titulari aequiparatur. Imo valet matrimonium, etsi hic parochus nominatus nondum missus sit in parochiae possessionem (1), dummodo ejus praedecessor possessionem non retineat, et dummodo ex peculiari statuto vel consuetudine traditio possessionis non sit pro ipsius collationis validitate necessaria (2).

909. 2° *Rector seu administrator parochiae vacantis* : de quo nullum potest esse dubium.

910. 3° *Pro-parochus*, *vice-curatus*, *vicarius* etc. ab Ordinario vel ab ipso parocho habens in parochia absolutam, plenam et absque ulla restrictione potestatem (3). Hoc modo poni solet :

a) *Vicarius parochi absentis*, qui ex parochi commissione illius vices gerit tempore absentiae in universa animarum cura. S. C. C. in *Faventina Matrimonii* 2 *Julii* 1758 matrimonium coram hoc vicario initum renovari jussit coram parocho et testibus ad cautelam, quia sponsi parati erant ad hanc renovationem, qua omnis quaestio removebatur. Ast in puncto juris folium ejusdem S. C. merito tradit : « Vicarius hic (scilicet relictus a parocho absente), licet facultas expressa ei a parocho data non fuerit, habet tamen illam a lege, Tridentino nempe Concilio, *cum deputatus dicatur ad universam curam animarum*, ad differentiam cappellani seu vicarii parochi praesentis, cui facultas expressa a parocho dari debet, ideoque de matrimonii validitate ambigendum non esse tradunt Navarr. in *cap. Placuit*, *De poenit. et remis.*, *n.* 69, Fagn. in *cap.* 2, *De cland. desp.*, *n.* 28 *sequ.*, Pirhing *I*, *XXVIII*, *n.* 23 *sequ.*, Sanchez *III*, *XXXI*, *n.* 19, et *XXXV*, *n.* 8, Diana *XI*, *V res.* 32, *q.* 2 *et* 3 ». At si parochus e parochia discedat ad breve tempus e. g. duorum vel trium dierum, nil dicens vicario suo, non videtur hic exinde dici posse ab eodem deputatus ad universam animarum curam, ac proinde posse matrimoniis assistere. Imo etsi parochus ad longum tempus

(1) Garcias *De beneficiis*, *IV*, *II*, *n.* 7.
(2) Feje *n.* 290.
(3) Fagn. in *cap.* 2, *De cland. desp.*, *n.* 28.

Digitized by Google

discesserit nil dicens, vicarius antequam matrimoniis assistat, consulat Ordinarium.

b) *Vicarius parochi praesentis quidem sed infirmi aut senectute confecti.* Fagn. in *cap.* 2, *De cland. desp.*, *n.* 32 refert sequentem declarationem S. C. C. : « Cum parochus levi infirmitate detentus concessisset praeposito licentiam exercendi concernentia curae officium, dubitatum fuit, an in parochia valide contractum fuerit matrimonium, cui praepositus praedictus, loco parochi, interfuit. S. C. *die* 22 *Jun.* 1581 censuit esse valide contractum, praesupposita licentia seu commissione generali administrandi omnia sacramenta ; et licet alias declaraverit requiri licentiam specialem et expressam, tamen id intellexit in quodam canonico, cui tacite permissa erat administratio sacramentorum in ecclesia cathedrali, sciente et patiente Ordinario ».

Obstare videtur responsio S. C. C. in *Romana Matrimonii* 12 *Maii*, et 1 *Sept.* 1753 ; sed in ea facti specie plura dubia aderant pro matrimonii nullitate ; unde nil in contrarium exinde deduci potest.

c) *Vicarius parochi suspensionis censura irretiti*, aut *imperiti*, aut *parochi qui per Apostolicam dispensationem ante legitimam aetatem parochiam obtinuit* ; hic enim vicarius dari solet cum omnibus parochialibus facultatibus.

d) Tandem quandoque hoc modo ponitur etiam *simplex parochi coadjutor*, licet id minus expediat, et ideo in dubio non praesumatur : tunc igitur et hic coadjutor parochi potestatem assistendi habet, tamquam parochus, ab ipso Conc. Trid.

Huc spectat in primis declaratio S. C. C. relata a Fagn. *l. c. n.* 33 : « Praepositus ecclesiae Armacanae inter caetera dubitavit, cum ipse constituisset vicarium in dicta ecclesia posteaque illi dedisset coadjutorem, de cujus licentia quidam sacerdos matrimonio contrahentes conjunxit, an matrimonium hoc modo celebratum sit validum ? S. C. dixerat non sufficere ad validitatem matrimonii licentiam tacitam quae resultat ex tolerantia ; sed requiri vel licen-

Digitized by Google

tiam generalem administrandi omnia sacramenta, vel, si haec non adsit, expressam et specialem. Ita Rota dixerat in una *Barcinonen.* vicarios temporaneos ad nutum amovibiles parochialis ecclesiae posse matrimoniis *tamquam parochos* interesse. Ideoque in casu praesenti S. C. sensit posse et matrimonio interesse et alii dare licentiam, ut intersit, hujusmodique matrimonia esse valida ».

Praeterea idem aperte constat ex responsione S. C. C. in *Bosanensi Vis. SS. LL.* 28 *Nov.* 1789. Nam mos erat in Sardinia ut ad parochorum praesentationem instituerent Episcopi pro-parochos seu vicarios *absolute, plene et absque ulla ministerii parochialis restrictione.* Ut clandestinis tamen occurreret matrimoniis, per decretum synodale statuit *an.* 1781 Episcopus Bosae : « Pro-parochos, nisi specialem a parocho pro casu particulari facultatem in scriptis acceperint, assistere matrimonio minime posse : *subtracta eisdem amplissima, quae vulgo concedi solet, matrimonii assistendi potestate* ». Cum vero Episcopus successor dubitaret de vi hujus decreti synodalis, et consequenter num matrimonium, eo neglecto, initum coram pro-parocho esset validum, licet illicitum, occasione visitationis SS. LL. sequentia dubia S. C. C. proposuit : « 1° An et quomodo sustineatur synodale decretum in casu ; 2° An per idem decretum adempta sit pro-parochis potestas assistendi matrimoniis, ita ut irrita sint matrimonia coram ipsis celebrata in casu ; 3° An iterari debeat matrimonium coram pro-parocho celebratum contra formam ejusdem decreti in casu ? » S. C. reposuit : « Ad 1um affirmative ; Ad 2um affirmative ad primam partem, negative ad secundam ; et matrimonia inita cum assistentia pro parochi contra formam decreti synodalis esse valida sed illicita ; Ad 3um negative ».

Ex hac responsione patet manifeste pro-parochos illos semel eo modo positos habere tamquam parochos assistendi potestatem a Conc. Trid., donec in suo officio relinquantur, quam proinde Episcopus synodali suo decreto auferre eisdem minime poterat.

911. E contrario non venit nomine *parochi* in decreto

Digitized by Google

Tridentino, ideoque matrimoniis sine debita licentia seu delegatione assistere nequit :

1° *Cappellanus* seminarii, collegii, monasterii, conservatorii, carceris, hospitalis, militum etc. (n. 924 sequ.).

912. 2° *Parochus intrusus*; idest quem absque legitimi superioris ecclesiastici consensu nominavit et instituit auctoritas illegitima e. g. civilis ; uti accidit in Galliis circa finem saeculi elapsi, et in Germania paucis abhinc annis. Ad rem Pius VI in instructione 26 *Sept.* 1791 ad Galliae Episcopos : « Quoniam intrusus minime est parochus legitimus, neque ullum habet titulum seu verum seu coloratum, matrimonium coram eo contractum nullius certe roboris est » (1). Cum vero intrusus institutus sit ab illegitima auctoritate, error communis, quo verus parochus existimetur, vix possibilis est.

913. 3° *Parochus putativus*, qui nempe non est verus parochus, sed ut talis publice habetur, saltem si cum errore communi concurrat titulus coloratus ; e. g. si collatio parochiae facta fuit ab Episcopo, sed est nulla vitio simoniae ; si parochus, ignorante populo, e suo officio decidit ob quamcumque causam etc. Nam in casu erroris communis cum titulo colorato Ecclesiam supplere, si potest, jurisdictionem ratione boni publici notissimum est. Sanchez *III, XXII, n.* 42 merito docet matrimonium valere licet contrahentibus nullitas collationis parochiae ob latens vitium nota sit, quia etiam pro scientibus jurisdictio suppletur. S. C. C. apud Giraldi *l. c. n.* 19 declaravit valere matrimonium, cui adstitit parochus sola prima tonsura insignitus nec infra annum ad sacerdotium promotus ; et *n.* 23 valere matrimonium coram parocho, cujus provisio nulla praetendebatur defectu examinatorum synodalium ; quae declarationes ad rem nostram referri optime possunt.

Diximus : *Saltem si cum errore communi concurrat titulus coloratus*, parochum putativum assistere posse ; nam si error communis nulli titulo nec vero nec colorato innititur, e. g. si Titius sacerdos in aliquo oppido, mortuo parocho,

(1) Sanchez *III, IV, n.* 60. Pirhing *IV, III, n.* 18. Bangen *III, pag.* 5. Feje *n.* 291.

Digitized by Google

nemine ipsum instituente, coepit sponte munia parochi exercere ita ut nunc ab omnibus verus parochus existimetur, DD. inter se non conveniunt. Plerique censent hoc in casu non suppleri jurisdictionem, et ideo matrimonium, cui hic parochus adstitit, nullum esse ; quae sententia confirmari videtur ex relatis Pii VI verbis. Alii probabilius putant etiam in hoc casu Ecclesiam propter communem utilitatem jurisdictionem conferre. Proinde, stante hac controversia, jurisdictio videtur suppleri, ex principio saltem reflexo, quod nempe Ecclesia in dubio juris jurisdictionem supplet ; et ideo hic parochus poterit assistere (1). Sed in praxi si agitur de matrimonio ineundo, non contrahatur coram tali parocho putativo ; si de contracto, recurratur ad S. Sedem pro sanatione ad cautelam, et interim stetur pro matrimonii valore, donec S. Sedes aliud non declaraverit.

914. 4° *Vicarius, vice-curatus, pro-parochus* etc. *ita positus ut parochum adjuvet in iis, quae ille ipsi committit.* Hoc modo parocho praesenti et valenti dari solet vicarius coadjutor seu auxiliator, et hoc modo praesumitur datus nisi aliud probetur ; qui proinde assistere nequit (2). Hinc S. C. C. in *Cenetensi Matrimonii* 19 *Apr.* 1834 ad 5um declaravit mansionarios illos de quibus agebatur, parochi decani simplices coadjutores in sensu exposito, non posse matrimoniis adesse nisi ex hujus licentia.

Accedit responsio ejusdem S. C. in *Turritana Matrimonii* 19 *Dec.* 1795. In Turritana dioecesi in Sardinia Eustachius miles matrimonium cum Hedwige, omissis denuntiationibus, contraxerat coram uno ex pro-parochis, de quibus supra. Archiepiscopus proposuit tria dubia : « 1° An prudenter ac salubriter legem ferat Episcopus in synodo, vel extra synodum, qua vetentur parochi illimitatam facultatem matrimonio assistendi sacerdotibus coadjutoribus seu pro-parochis concedere ; 2° An matrimonia coram ejusmodi pro-parochis celebrata non modo illicita, verum etiam inva-

(1) Lege folium S. C. C. in *Caesaraugustana Matrimonii* 10 *Martii* 1770. Nos hanc quaestionem fusius evolvimus in alio tractatu.

(2) Rota *dec.* 590 *coram Riminaldo.* Pontius *V, XXVI, n.* 2. Van-Espen *II, XII,* 20. Barbosa *De off. et pot. parochi II, XVII, n.* 38.

Digitized by Google

lida censenda sint; 3° An validum sit matrimonium nostri casus ».

Scribens vero ad S. C. Archiepiscopus putabat responsiones in *Bosanensi* datas fuisse ob factum non rite ac sincere a Bosanensi Antistite expositum; illudque praesertim a veritate alienum affirmabat, quod mos esset in Sardinia, ut ad praesentationem parochorum instituerent Episcopi pro-parochos *absque ulla ministerii parochialis restrictione*. Oppositam vigere dicebat consuetudinem in sua praecipue dioecesi, in qua propterea « nemo vel e rudi populo invenitur, qui existimet matrimonia coram ejusmodi pro-parochis inita aliquid roboris ac firmitatis habere. Sunt nempe pro-parochi sacerdotes, quos parochi seu rectores in partem laboris sibi pro tempore adsciscunt, praevia tamen Episcoporum approbatione, nimirum ut eligantur viri qui morum integritate et sufficienti doctrina pro locorum ratione et populorum necessitate praediti sint, eisdemque parochis in explendo pastorali munere subsidio atque adjumento esse valeant. Horum itaque facultas a parochorum voluntate tota pendet, qui pro diversis locorum, personarum ac temporum adjunctis juxta leges ac peculiaria statuta restringere, aut ampliare pro arbitrio solent ». Hanc ipsam generalem consuetudinem, a qua forsan alicubi in Bosanensi dioecesi recessum erat, confirmatam censebat per synodalem illam ejusdem dioecesis legem: *Pro-parochos, nisi speciulem a parocho pro casu particulari facultatem in scriptis acceperint, assistere matrimonio minime posse*, ut nempe « cautiores redderentur parochi in deleganda suis pro-parochis facultate matrimonio assistendi; ut fideles admonerentur de illorum connubiorum invaliditate; ut in peculiari casu nullum prorsus dubium oriri posset de validitate matrimonii, quod coram ejusmodi pro-parochis deinceps celebraretur; utque demum clandestina haec conjugia, quae in Sardis regionibus frequenter iniri solent, magno cum animarum detrimento, pro virili parte impedirentur ». Qua de re haud intelligere concludebat qua ratione matrimonium, de quo agebatur, validum esset, cum initum fuerit coram pro-parocho, qui neque ab Episcopo, cum ad

Digitized by Google

id officium eligeretur, amplissimam illam facultatem acceperat, neque a parocho loci.

Jam vero S. C. C. die 13 *Junii* 1795 ad dubia ab Archiepiscopo proposita respondendum censuit: « Ad 1um negative; Ad 2um provisum in primo. Ad 3um affirmative ». Cum vero Archiepiscopus advertisset sua dubia esse similia illis, de quibus in Bosanensi, et tamen contrariam prodiisse responsionem, *die* 19 *Dec.* 1795 S. C. proposita fuere sequentia dubia: « 1° An et quomodo sit standum vel recedendum a decisis in *Bosanensi* 28 *Nov.* 1789 in casu; 2° An et quomodo sit standum vel recedendum a decisis in *Turritana* 13 *Junii* 1795 in casu » S. C. reposuit: « Ad 1um in decisis in omnibus. Ad 2um praevio recessu a decisis affirmative quoad primum dubium; quoad vero ad secundum esse valida, quatenus fuerit a parocho delegatus, sed illicita; quoad vero ad tertium in decisis » (1).

Ex hac responsione sequi evidenter videtur vicarios parochi praesentis et valentis, si quidem cum plenitudine ministerii pastoralis positi sunt, prouti Episcopus Bosanensis exposuerat, jure proprio matrimoniis assistere (n. 910); sed si positi sunt ita ut parochum adjuvent in his quae eis committuntur, uti Archiepiscopus Turritanus narrabat et fieri solet ac praesumitur, non posse matrimoniis adesse, nisi ex licentia seu delegatione.

915. Ex dictis apparet quid respondendum quaestioni utrum vicarii parochorum adjutores in Galliis valeant matrimoniis assistere sine parochi aut Ordinarii licentia. Primus vicarius Parisiis potest si non tamquam parochus in sensu decreti Tridentini, saltem tamquam delegatus ad omnia matrimonialia negotia, de qua re infra. Quaestio autem huc redire debet, utrum vicarii positi in parochia sint cum plena et absoluta potestate, an potius ut parochum adjuvent in his quae eis demandantur. Si primum, assistere valide poterunt, quia sunt parochi in sensu decreti; si alterum non poterunt. Illa autem quaestio est potius facti quam juris. Icard *Prael. Jur. Can. II, n.* 857 negat assistere posse, affirmat Gury *II,*

(1) Intellige: si scilicet ille pro-parochus fuerat a parocho delegatus.

Digitized by Google

n. 850 : forte quia non in omnibus dioecesibus eadem est disciplina; sed pro dioecesi Parisiensi non dubitamus sententiam Icard veram esse. Caeterum quilibet Ordinarius sciet profecto quacum potestate vicarios constituit; unde in qualibet dioecesi facile erit quaestionem dirimere. Bangen *III, pag.* 10 negat in sua dioecesi Monasteriensi in Germania vicarios parochorum valide matrimoniis assistere ; et pro Belgio item negat Feje *n.* 266.

Quae huc usque diximus satis declarant quinam veniat nomine parochi in Tridentino decreto.

916. Hic autem parochus dicitur *proprius* in sensu canonum, si in ejus parochia utraque vel alterutra pars habet canonicum domicilium vel quasi-domicilium. Quid juxta sacros canones sit domicilium aut quasi-domicilium, fuse nos in alio tractatu explicamus; hic sufficiat notiones breviter recolere.

Domicilium est habitatio in parochia cum animo ibi perpetuo manendi, si nihil inde avocet. Dixi *perpetuo manendi*, licet ad notabilem anni partem tantummodo. Hinc receptum est haberi posse duo domicilia ex *cap.* 2, *De sepulturis in* 6°: « Ab eo qui duo habet domicilia, se collocans aequaliter in utroque... » Quando autem dicitur *aequaliter*, intelligendum est non mathematice, sed moraliter « ita ut sit aequalis omnino vel fere habitatio » ut ait cum communi Sanchez III, *XXIV, n.* 3 ; e. g. si quis hiemali tempore in civitate, aestivo ruri degat. Imo non desunt qui et plura quam duo vera domicilia haberi posse autumant.

Quasi-domicilium est habitatio in parochia cum animo ibidem manendi per majorem anni aut aliquot annorum partem, sed non in perpetuum. Haec notio magis recepta erat, et certa omnino evasit ex epist. S. C. S. Officii 7 *Jun.* 1867 ad Episcopos Angliae et Foederatorum Statuum Americae. Proinde haberi nequeunt duo quasi-domicilia, sed haberi potest domicilium in una, et quasi-domicilium in alia parochia.

Jus particulare viget in Statibus Unitis Americae Septentrionalis : nam concilium plenarium ultimum Baltimorense expostulavit a R. P., mediante S. C. de Prop. Fide, ut in Foe-

Digitized by Google

deratis Statibus Americae Septentrionalis qui ex una dioecesi transeunt in aliam, obtineant quasi-domicilium per unius mensis commorationem. S. C. de Prop. Fide postulatum remisit ad S. C. S. Officii, quae *feria V*, *loco IV*, 6 *Maii* 1886 decrevit : « Concilio Baltimorensi supplicante, postulandum Ssmo, ut decernere dignetur in Statibus Americae confoederatis se transferentes e loco ubi viget caput *Tametsi*, in alium locum, dummodo ibi continuo commorati fuerint per spatium saltem unius integri mensis, et status sui libertatem, uti juris est, comprobaverint, censendos esse ibidem habere quasi-domicilium in ordine ad matrimonium, quin inquisitio facienda sit de animo ibi permanendi per majorem anni partem ». Ssmus vero *feria IV*, 12 *Maii* 1886, praedictum EE. PP. decretum suprema sua auctoritate ratum habere et confirmare dignatus est, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Tandem si quis in confinio duarum ecclesiarum parochialium habitat, censetur parochianus illius parochiae in qua domus aditum principalem et magis frequentatum habet (1).

917. Vagus vero in sensu canonum, idest qui domicilium vel quasi-domicilium canonicum in nulla parochia fovet, proprium parochum stricte loquendo non habet (2).

Hoc posito ; plerique putant vagum valide et licite nuptias inire coram quolibet parocho de mundo, quia non est magis ratio pro uno, quam pro alio (3). S. Alph. *VI*, *n.* 1089 hanc sententiam appellat *communem* ; sed fatendum plures magnae auctoritatis DD. eam non sequi, ut mox dicemus. In ea sententia vagus e. g. qui commoratur in parochia S. Sulpitii, poterit matrimonium contrahere etiam coram parocho S. Augustini absque ulla delegatione, etsi mulier vaga non sit sed domicilium habeat in parochia S. Mariae Magdalenae. Barbosa in *Conc. Trid.* 3 *et* 4 affirmat id decisum fuisse a S. C. et commune esse. Idem docent, licet vagus in fraudem, nempe ut in conditione vago-

(1) Barbosa *De parocho II, XXI, n.* 42, quem confirmat Giraldi ibi. De Justis *II, XIX, n.* 64 *sequ.*

(2) Santi *IV, III, n.* 70.

(3) Sanchez *III, XXV, n.* 11 *sequ.* Pontius *V, XIV, n.* 5. Salm. *VIII, n.* 37.

Digitized by Google

rum facilius posset matrimonium inire, revera et non ficte domicilium, vel quasi-domicilium dereliquerit (1). Consequenter quilibet parochus de mundo poterit quoque alii sacerdoti licentiam dare, ut ejus matrimonio assistat (2). Alii putant vagum matrimonium inire posse tantum coram parocho loci, in quo actu commoratur, aut coram parocho proprio alterius partis (3). Nos primam sententiam certam putamus, si vagus nullam commorationis sedem habet. Hinc e. g. si Titius et Sempronia emigrantes, relicto suo domicilio vel quasi-domicilio, sedem in exteris terris inquirunt, et iter agentes cogitant de matrimonio incundo, possunt illud in Galliis contrahere coram quocumque parocho; quia tunc revera non est magis ratio pro uno quam pro alio. Si vero vagus habet locum stabilis alicujus commorationis, licet haec nec ad quasi-domicilium in ea parochia pertingat, uti in exemplo superius allato, alteram sententiam praeferimus, ne vagus ex lex sit, et parochus illius loci habet pro se rationem commorationis. Sed stante controversia, in praxi si agatur de matrimonio incundo, altera sententia prorsus servetur; si de inito coram alio parocho, interim stetur pro matrimonii valore, donec S. Sedes aliud non declaraverit.

Antequam autem vagi matrimonio assistat, parochum ex ipsius Conc. Trid. *sess. XXIV, cap. VIII de ref. mat.* gravi praecepto debere diligentem inquisitionem prius facere, et re ad Ordinarium delata ab eo licentiam assistendi obtinere, alias diximus (n. 146).

918. Ex dictis sequitur matrimonio assistere debere parochum (in sensu exposito) domicilii vel quasi-domicilii alterutrius nupturientis (4), non autem parochum originis, aut simplicis commorationis, nisi de vago agatur. Quod si nupturiens in duabus parochiis domicilium habeat, vel in

(1) Sanchez *l. c.* Santi *IV, III, n.* 86.

(2) Sanchez *l. c., n.* 15.

(3) Bangen *III, pag.* 20, 21. D'Annibale *III,* § 326, *et I,* § 86. Mansella *I, IV, IV, n.* 22. Lehmkuhl *II, n.* 776. Vecchiotti *III,* § 106. Santi *IV, III, n.* 83. Pirhing *IV, III, n.* 19. Schmalz. *IV, III, n.* 162. Ben. XIV *Inst. Ecc.* 33, *n.* 10. Barbosa *De off. et pot. parochi II, XXI, n.* 89.

(4) Hic praescindimus a consuetudine, vel dioecesana lege, quae parocho sponsae licitam assistentiam reservat (n. 906).

Digitized by Google

una domicilium, in alia quasi-domicilium, poterit pro suo libito coram utrolibet parocho nuptias inire, cum quilibet parochus sit proprius.

Proinde fieri potest ut quatuor parochi matrimonio adesse possint, si nempe utraque pars habet in duabus parochiis domicilium, aut in una domicilium et in alia quasi-domicilium. Imo si utraque pars habet duplex domicilium et insuper quasi-domicilium, poterunt assistere sex parochi; et etiam plures, si admittas non duo tantum, sed plura vera domicilia haberi posse, aut si in parochia sint duo parochi in sensu decreti, e. g. parochus titularis infirmus ejusque vicarius cum plenitudine potestatis.

919. Cum vero parochus proprius jus assistendi habeat a Conc. Trid. quod nullam aliam in eo qualitatem requirit, hinc hoc jure semper gaudet, saltem quoad nuptiarum validitatem, donec in suo officio permaneat. Exinde duo corollaria :

920. *a*) Valide etsi illicite assistit, prohibita aut etiam reservata a superiore infra R. P. assistentia. Sane parochus proprius jus assistendi, ut dictum est, habet a Tridentino : proinde nemo infra R. P. potest hoc jus eidem auferre, et ideo semper valide assistit ; licet legitimus superior possit eidem prohibere, ne suo jure utatur, ita ut peccet assistens.

Haec confirmantur ex pluribus responsionibus S. C. C. Episcopus Giennensis statum suae ecclesiae referens *an. 1581* nonnulla dubia S. C. C. proposuit, quorum duo priora ad rem nostram spectant : « 1° Utrum prohibitione facta ab Ordinario ne parochus aliquos desponsaret, ita tollatur jurisdictio ipsius parochi, ut ad contrahendum matrimonium contra talem prohibitionem non sit legitimus parochus ? 2° Utrum matrimonium, in quo intervenerit vicarius parochi (1) non invitus, sed volens, contra prohibitionem tantum Ordinarii, sit validum vel potius invalidum, quia non intervenit sacerdos habens jurisdictionem, quum sit sublata ab Ordinario ? ». S. C. reposuit : « Ad 1um valere

(1) Intellige vicarium parochi cum plenitudine ministerii, aut delegatum a parocho.

Digitized by Google

matrimonium coram parocho, cui interdictum est, ne interveniat. Ad 2um valere » (1). Ben. XIV *De Syn. XIII, XXIII, n.* 3 hanc responsionem illustrans haec habet: « In eo decreto inter alia statuitur validum esse matrimonium, quod fuerit initum vel coram parocho, vel coram parochi vicario, etiamsi illis ab Episcopo interdictum fuerit, ne matrimonii celebrationi assistentiam praestarent. Super quo sane nulla videtur excitari posse gravioris momenti difficultas. Cum enim ea non sit Episcopo auctoritas, ut possit inducere impedimentum dirimens, quod non est, aut aliquod matrimonium quod ex canonum praescripto nullum irritumque non sit, nullum irritumque statuere, ut firmat Barbosa..... ; illicitum quidem erit matrimonium, si celebretur coram eo cui Episcopus hujusmodi celebrationi adesse vetuerit, graviter etiam peccabit is, qui spreta superioris prohibitione, eidem assistentiam praebebit ; at nulla ratione dici poterit matrimonium ipsum nullitatis vitio subjacere ».

Pariter in *Bosanensi* (n. 911) eadem S. C. declaravit matrimonia inita contra synodale decretum, quod subtrahebat illis pro-parochis cum plenitudine ministerii positis potestatem assistendi, esse quidem illicita, sed simul valida esse : quod in *Turritana Matrimonii* 19 *Dec.* 1795 confirmavit (n. 912).

Exinde sine haesitatione deducimus valere pariter ob eamdem rationem matrimonium, si e. g. parochus discedens e parochia dicat vicario suo : *Tu curam parochiae habebis, vices mei gerens, sed facultatem tali matrimonio assistendi non concedo* ; aut si Episcopus administratorem seu rectorem mittens in parochiam vacantem, sibi reservet potestatem assistendi matrimoniis in genere, vel tali matrimonio in specie ; aut si parochus praesens, qui vicario suo commiserat plenitudinem ministerii, eidem interdicat, reservata etiam potestate, tali matrimonio adesse, etc.

Quod si parocho proprio assistentiam vetet R. P., videndum an prohibitio contineat clausulam irritantem necne :

(1) Confer Fagn. *in cap.* 1 *De mat. contr. cont. interd. Ecc. n.* 5 *sequ.*

Digitized by Google

in primo casu matrimonium foret illicitum et invalidum; in altero foret illicitum, sed validum (1).

921. *b*) Pariter valide et licite assistit proprius parochus, licet non sit sacerdos, sed inferior clericus etiam prima tantum tonsura insignitus, ut declaravit S. C. C. apud Giraldi *II*, *sect.* 115, *n.* 19. Nonnulli olim dixerunt parochum debere esse sacerdotem ob ea Conc. Trid. verba *praesente parocho, vel alio sacerdote*: sed haec sententia, praesertim ob contrariam declarationem S. C., recessit ab aula.

Item valide assistit parochus irregularis, notorie fornicarius, suspensus etiam ab officio et beneficio, uti censuit eadem S. C. apud eumdem auctorem *l. c. n.* 23, vel excommunicatus quoque vitandus, ut edixit eadem S. C. apud Fagn. in *cap.* 1, *De matr. contract. cont. int. Ecclesiae.* Nam his censuris parochus privatur quidem jurisdictione, sed permanet in officio suo; quod satis est pro conjugii validitate, cum assistentia non sit actus jurisdictionis. S. Alph. *VI*, *n.* 88, et *n.* 1083 contra alios putat a mortali non excusari parochum vitandum, qui matrimonio assistit, et sponsos qui scienter ejus assistentiam requirunt, nisi gravissima urgeat causa et alius non adsit, qui possit supplere.

Quid vero si parochus proprius in crimen haereseos vel schismatis prolapsus sit? Si crimen est occultum, potest adhuc absque ullo dubio matrimoniis adesse. Si crimen est publicum, post sententiam declaratoriam invalide assistit (2), quia titulum amittit ipso jure et hac sententia possessione legali privatur, ideoque nullo modo est amplius parochus, et possessionem retinens haberi debet veluti intrusus; ante sententiam declaratoriam putamus valide assistere, quia equidem titulum adnexamque jurisdictionem ipso jure perdidit, sed possessionem legalem adhuc retinet (3), quae ratione boni publici sufficere videtur. S. C. C. apud Giraldi *l. c. n.* 25 reposuit nullum esse matrimonium initum coram parocho publice haeretico; sed id videtur intelligendum post sententiam declaratoriam.

(1) Feje *n.* 287.
(2) Scavini *l. c.* Feje *n.* 286.
(3) Albitius *De inconstantia Fidei, XX, n.* 13. Thesaurus *De poenis* cum notis Giraldi *II, I.*

Digitized by Google

Parochus autem schismaticus orientalis vulgo *pope* probabilius est verus parochus, cum Episcopus schismaticus ipsum instituens verius jurisdictione non careat, ideoque valide assistit matrimonio tum catholicorum, tum acatholicorum ; et si adest quoque, praeter popum, parochus catholicus, uterque assistere potest (1). E contrario parochus, in Occidente, institutus a superiore suspenso, excommunicato, publice haeretico etiam non declarato invalide assistit, nisi forte ob errorem communem, quia non est verus parochus, cum institutio sit actus jurisdictionis, et superior in casu jurisdictione spoliatus sit (2).

922. Et quia sacerdos nuptiis assistens nullam potestatem seu ordinis seu jurisdictionis exercet (n. 882), hinc parochus proprius assistere potest etiam in aliena parochia et dioecesi, inconsulto quoque aut contradicente parocho vel Ordinario : de qua re hodie nemo dubitat (3). At sine consensu parochi vel Ordinarii illicite assistit, si matrimonium celebretur publice in ecclesia cum consuetis solemni-

(1) D'Annibale *III*, § 328, *not.* 48.

(2) Haec obscura sunt nisi recolantur quae fusius tradunt canonistae agentes de haereticis et schismaticis. Quaestio est num publicum haeresis aut schismatis crimen secumferat jure divino amissionem ecclesiasticae jurisdictionis. Responsio negativa cum Suarez *De fide V, XXI* communior est et verior. At publicus haereticus, aut schismaticus ex voluntate Ecclesiae post sententiam declaratoriam, omnibus fatentibus, jurisdictione in poenam eo ipso privatur. Num ante ipsam sententiam declaratoriam? Responsio affirmativa certa erat ante extravagantem *Ad evitanda* : post hanc extravagantem alii negant ; sed plerique verius affirmant saltem pro beneficiatis cum Fagn. *cap.* 1, *De schismaticis*, quia praesertim ex Pauli IV Const. *Cum ex apostolatus* 15 *Kal. Martii* 1559 hoc crimen secumfert ipso jure privationem beneficii quoad titulum ante sententiam declaratoriam : atqui jurisdictio adnexa est titulo. Consequenter publice haereticus aut schismaticus invalide instituit parochos, qui carent qualibet jurisdictione, non sunt veri parochi, ac proinde invalide matrimonio assistunt, nisi adsit error communis cum titulo colorato. Unde Fagnanus *l. c.* deducit matrimonia coram popo in provincia Leopoliensi in Russia, ubi promulgatum est decretum Tridentinum, esse irrita. At Albitius *l. c.* merito advertit cit. const. Pauli IV non afficere orientales schismaticos ; proinde contra Fagnanum putat Episcopos schismaticos orientales gaudere jurisdictione, ideoque valide instituere parochos. Hic unum addimus : in casu, de quo Fagnanus *l. c.*, videtur concludendum pro matrimonii validitate, etiam posita illius doctrina : nam, *deficiente parocho catholico*, quaerebatur num matrimonia inita coram popo ac testibus valida forent.

(3) Pirhing *IV, III, n.* 15. Sanchez *III, XIX, n.* 14.

Digitized by Google

tatibus. Quod si matrimonium privatim sine solemnitate contrahatur casu quo id fieri potest, assistentia erit quoque licita etiam absque illorum consensu (1).

Caeterum parochus, testis tantum munere fungens, si in lethali assistit, sacrilegii reus non est (2).

923. At statim ac proprius parochus desierit vel esse parochus, vel esse parochus proprius, quia pars domicilium, vel quasi-domicilium, vel commorationem, si de vago agitur, in parochia deseruit, amittit jus proprium, ideoque jam invalide assistit absque debita licentia, nisi forte ob errorem communem jurisdictionem conservet. Hinc e. g. parochus titularis et inamovibilis depositus a legitimo superiore ex justa causa, servato ordine juris, parochus amovibilis amotus ab Episcopo, vicarius ab Episcopo vel a parocho cum plenitudine ministerii positus eademque ab iisdem privatus etc. jam invalide matrimoniis assistit. At haec revocatio in genere viribus caret nisi fuerit ipsi intimata, etsi omnes in parochia illam dignoverint; et quidem directe intimata vel ab eodem superiore revocante, vel per nuntium ad id destinatum, vel per epistolam: secus parochus revocationem ignorans, aut illam cognoscens indirecte per tertiam personam, omnes suas facultates conservat, adhuc est parochus, ideoque matrimoniis valide adest. Etiam si parochiae vel officio ipse renuntiaverit, per acceptationem superioris tunc tantum beneficio parochiali omnibusque facultatibus spoliatur, quando acceptatio renuntiationis fuerit ipsi directe intimata: quo posito matrimonium, ipso adstante, jam foret nullum, nisi Episcopus animarum curam interim retinere jusserit. Haec vera sunt de cujusvis potestatis revocatione.

924. Ex dictis intelligi potest quinam sit parochus proprius qui assistere valeat matrimonio plurium, de quibus prima fronte dubium esse potest, et revera dubia proposita fuere SS. CC. RR. De nonnullis breviter (3).

(1) Feje *n.* 284. Santi *IV, III, n.* 73. Reiff. *IV, III, n.* 65. Bangen *III, pag.* 14. Pirhing *l. c., n.* 16.
(2) Sanchez *II, VI, n.* 5.
(3) Feje *n.* 230 *sequ.*

Digitized by Google

925. Filius (vel filia-familias) aetate minor sub parentum potestate valide semper contrahit coram parocho domicilii aut quasi-domicilii parentum, quia eorum domicilium vel quasi-domicilium, si existit, sequitur. At ipse potest alibi commorari et obtinere quasi-domicilium, ideoque valide contrahere etiam coram parocho illius loci. Aetate major vel emancipatus potuit etiam domicilium parentum derelinquere. In statutis Cleri Romani confirmatis a Clem. XI praecipitur ut si juvenis vel puella, cum quasi-domicilio alibi degens, habeat antiquum domicilium paternum, maternum, fraternum, matrimonium contrahatur coram hujus antiqui domicilii parocho : quod Ben. XIV *Inst. Ecc.* 33 *et* 88 pro sua Archidioecesi Bononiensi pariter servari jubet. At haec pro licita matrimonii celebratione, posita hac lege ; nam matrimonium, coram primo parocho forte celebratum, foret, hac lege non obstante, validum.

926. Praetores, judices, medici valide ac licite contrahunt coram parocho loci, uti declaravit S. C. C. apud Garcias *De beneficiis V, VII, n.* 11. Idem repetas de aliis qui simile munus exercent e. g. facultatis alicujus professores, magistri, vel magistrae communales, publici officiales, qui operam suam in loco praestant sine tempore determinato, aut ultra semestre etc. Sane ii omnes habent quasi-domicilium in parochia, et forte verum domicilium : quod si etiam alibi domicilium habeant, etiam coram hujus parocho nuptias inire poterunt.

927. Possunt coram parocho loci, utpote proprio ratione quasi-domicilii, contrahere discipuli qui ibi degunt studiorum causa, aut in collegio vel seminario morantur ; licet convenientius sit, et alicubi lege praecipiatur, ut contrahant coram parocho domicilii paterni, materni, fraterni, si illud habeant.

Haec applicari debent quoque puellis, quae in monasterio vel conservatorio sunt educationis ergo : nempe valide contrahunt coram parocho monasterii vel conservatorii, non autem coram capellano (*aumônier*) seu confessario. Id omnes admittunt si puella non habet aliud domicilium paternum, maternum, fraternum. Si hoc habet, nonnulli tradunt

Digitized by Google

puellam debere coram parocho illius nubere, quod in statutis Cleri Romani, ut diximus, aperte praecipitur (1). Haec quoad licitam tantum matrimonii celebrationem : nam puella certe habet quasi-domicilium in parochia monasterii, nisi probetur ad breve tempus infra semestre illud ingressam esse, ideoque coram parocho monasterii absque dubio valide contraheret : simul tamen conservat domicilium patris..., ideoque etiam coram hujus parocho contraheret valide, prout est convenientius, et ex lata lege alicubi tenetur.

Caeterum S. C. EE. et RR. *die* 7 *Oct.* 1733 jure meritoque praecepit Card. Boncompagni Archiep. Bononiensi, ut puellae in monasteriis vel conservatoriis degentes, quae data fide matrimonium promisissent, dimitterentur ; quod de juvenibus in collegio, et a fortiori in seminario repetendum est.

Tandem haec eadem valent de puellis expositis, quae in hospitiis spuriarum detinentur, quaeque contrahunt coram parocho hospitii, non vero coram capellano, seu confessario, ut declaravit S. C. C. 11 *Apr.* 1651 apud Ben. XIV *cit. Inst. Ecc.* 33, *n.* 14 ; nec non de aliis puellis ac juvenibus reclusis in alio hospitio, non tamen ad breve tempus infra semestre.

928. Carcere damnati infra semestre non obtinent in parochia carceris quasi-domicilium, ideoque eorum matrimonio parochus carceris assistere nequit. Damnati ad tempus ultra semestre habent quasi-domicilium ; in perpetuum damnati verum domicilium (2) : unde valide et licite utrique contrahunt non quidem coram cappellano carceris, sed coram parocho. « Alii vero pro custodia solum in carcerem detruduntur, donec ipsorum judicis sententia cognoscatur. Horum parochus is judicandus est, ubi domicilium situm habent, non vero parochus, ubi carceres positi sunt, cum ipsi nihil magis expetant, quam ut, dissolutis vinculis, paternas lares revisant... Accedit S. C. C. decretum die 26 *Maii* 1707 in causa *Tarfensi Matrimonii* promulgatum insertumque Cleri Romani statutis, quod etiam De Justis, Mona-

(1) Ben. XIV *Inst. Ecc.* 33, *n.* 16 ; et fusius, pluribus citatis, *Inst. Ecc.* 88.

(2) *l. Filii ff. Ad municipalem.*

Digitized by Google

cellus, et jurisperitus Ursaja commemorant, qui se auctorem allatae distinctionis merito praedicat, eamque S. Congregationi tradidisse fatetur ». Ben. XIV cit. *Inst.* 33, *n.* 12. At si certe constaret ultra semestre fore in carcere permansuros, non dubitamus usque ab initio obtinere inibi quasi-domicilium, ideoque coram parocho nuptias inire posse.

Quod si domicilium antequam in carcere includerentur, non habebant, vel dereliquerunt nec in carcere obtinuerunt, tunc sunt vagi : proinde parochus carceris assistere certe potest.

929. Famuli et famulae valide contrahunt coram parocho domicilii aut quasi-domicilii domini (1), nisi ad breve tempus, idest infra semestre, operam suam locaverint. Si antiquum domicilium paternum, maternum, fraternum habent, valide contrahunt quoque coram parocho illius : imo nonnulli tradunt nonnisi coram eo contrahere posse, quod statuta cleri Romani et Ben. XIV *l. c.* Archiepiscopus Bononiensis praecipiunt. At haec pro licita tantum celebratione, posita hac lege (n. 925). Quod si ad breve tempus infra semestre operam suam locaverint, et antiquum domicilium, non amplius habeant, sunt vagi aut vagae.

Retulerat Episcopus Eugubinus S. C. C. : « Praeteritis non multum elapsis mensibus dubium coram me excitatum fuit an matrimoniis famularum assistere debeant parochi, in quorum parochia puellae famulatum praestant, vel ii intra quorum parochiae fines earum parentes suum habent domicilium. Parochi in contrarias scinduntur opiniones. Vetus et numquam interrupta consuetudo in Eugubina civitate fuit, ut a parocho illius parochiae, in qua famulatum praestant, conjungerentur, praesertim numquam refragante parocho paterni domicilii : et revera in cathedralis ecclesiae matrimoniorum libro plura extant exempla usque ab *an. 1555*; documentum, quod biscentenariam consuetudinem exhiberet. Qui vero contrariam tenent opinionem, asserunt matrimonium celebrandum esse coram proprio parocho, qui alius esse non potest, nisi parochus domus paternae ; ea freti ratione, quod

(1) Ben. XIV cit. *Inst.* 33, *n.* 17.

Digitized by Google

famulae cum sponsalia contraxerunt, ad paternas remittuntur domos ». Igitur proposito dubio : « An matrimoniis famularum assistere debeat parochus domicilii paterni, seu potius alter, in cujus parochia puellae famulatum praestant in casu » ? S. C. in *Eugubina Matrimonii*, 24 *Maii* 1788 reposuit : « Episcopus per decretum jubeat, ut matrimoniis puellarum quae famulatum Eugubii praestant, assistat parochus domicilii paterni, materni, fraterni ejusdem puellae, quatenus illud habeant in eadem civitate ; si non habeant, assistat parochus domicilii in quo degunt, quatenus in eadem civitate matrimonium contrahant ».

930. Milites valide contrahunt coram parocho loci ubi sunt in praesidiis, seu stationibus vel castris juxta *l. Municeps ff. Ad municipalem* : « Miles ibi habere domicilium videtur, ubi manet, etsi nihil in patria possideat ». Item coram parocho antiqui domicilii, si quod habent. Miles vero qui est in expeditione debet contrahere coram parocho antiqui domicilii, si illud conservat ; secus est vagus (1). Idem dicatur de illis, qui juxta nostros mores ad breve tempus pro militari instructione vocantur.

Cappellanum militum non posse eorum matrimonio assistere, sive milites sint in actuali expeditione, sive in castris, sive in hibernis stationibus, sive in arcibus et praesidiis, confirmatur etiam ex pluribus S. C. C. declarationibus, quarum unam citat Giraldi *II*, *sect.* 115 ; alias autem habes in folio ejusdem S. C. in *Neapolitana Matrimonii* 29 *Aug.* 1733. At capellani militares saepe habent ab Apostolica Sede privilegium administrandi omnia parochialia sacramenta, proindeque etiam assistendi matrimoniis militum et aliarum personarum eis inservientium. Tunc igitur necesse erit perpendere et sedulo servare limites hujus privilegii (2).

931. Infirmi in hospitali, si quandoque matrimonium ineundum ab ipsis est in gravi vitae discrimine ut aeternae suae saluti prospiciant, vel ad prolem legitimandam, valde dubium est coram quonam sacerdote contrahere debeant. Hinc Ben. XIV in cit. *Inst.* 33, *n.* 13 merito praecipit in

(1) Ben. XIV cit. *Inst.* 88, *n.* 9.
(2) Vide cit. folium S. C. C. in *Neapolitana Matrimonii*.

Digitized by Google

singulis casibus se certiorem fieri. Videtur cappellanus, nisi parochus sit aut legitime delegatus, assistere nullo modo posse. In nonnullis dioecesibus cappellanus de facto est ab Ordinario delegatus ad parochialia omnia sacramenta in hospitali, et tunc si saltem alteruter ex contrahentibus est dioecesanus vi quasi-domicilii, cappellanus valide utique assistit (1). E contrario parochus antiqui domicilii vel quasi-domicilii, quod infirmus forte conservat, assistere potest. Proinde quaestio est num assistere valeat parochus hospitalis: quam quaestionem ita solvimus. In genere infirmus habet intentionem permanendi in hospitali usque ad recuperatam sanitatem. Jam vero si medicus affirmat vel aliunde constat morbum ultra semestre duraturum, aut infirmum supremum diem obiturum etiam ante semestre (etsi deinde citius convaluerit), parochus hospitalis assistere potest; si medicus affirmat, aut aliunde constat morbum futurum breviorem, non potest: si duratio infirmitatis prorsus latet, transacto semestri, potest; ante semestre, utrum possit necne incertum est, sed si infirmus est vagus, certe potest.

932. Qui ruri manent rusticandi seu recreationis causa, aut pro rusticanis negotiis, nequeunt contrahere coram parocho rurali. Ben. XIV cit. *Inst.* 33, *n.* 7 refert sequentes declarationes S. C. C.: « Sacra Congregatio... inhaerendo declarationibus alias factis, respondit: parochum ruralem non esse proprium et verum parochum, quando rus itur causa recreationis vel pro rusticanis negotiis, ideoque matrimonium valide coram hujusmodi parocho celebrari non posse. Partibus tamen dentur declarationes antiquae: Scilicet: In una *Florentina* Sacra Congregatio censuit, quod parochus ruralis non est verus parochus, quando rus itur causa recreationis, vel pro rusticanis negotiis. — In *Florentina* similiter respondit parochum ruralem non esse proprium parochum ideoque matrimonium coram eo celebratum fuisse nullum. — In una *Abulensi* Sacra Congregatio censuit non valere matrimonium contractum coram

(1) Ben. XIV *l. c.* ait quaestionem esse inter cappellanum et parochum hospitalis: sed quo titulo cappellanus assistere possit, nisi sit parochus, vel delegatus, fatemur nos non videre.

Digitized by Google

parocho loci ubi contrahentes reperiuntur non animo ibi domicilium contrahendi. *Die* 1 *Dec.* 1640, *lib.* 16, *Decr. pag.* 470 *a tergo*, *et pag.* 471 ». Aliam decisionem vide apud eumdem Ben. XIV, *l. c. n.* 11. Quae doctrina cohaeret *cap.* 3, *De sepulturis in* 6°.

Rationem dat S. Rota apud Sanchez *III, XXV, n.* 12 quia: « Probatum est contrahentes non solere esse ruri majore anni parte, neque etiam pro dimidia, sed tantum per tres vel quatuor menses » (1). Giraldi *II*, *sect.* 115 idem affirmat de parocho loci, ubi quis commoratur *valetudinis recuperandae causa,* vel etiam ad balnea sumenda, aquas bibendas.

Haec autem est praesumptio juris tantum: unde si de intentione constet commorandi ad tempus requisitum, contrahens habebit ruri domicilium aut quasi-domicilium, ideoque coram rurali parocho posse nuptias inire non est dubium. Ita e. g. Parisiis plures nobiles divitesque familiae praeter urbanum domicilium habent ruralem habitationem, *un château*, uti vulgo dicitur; ad illam quotannis pergere solent circa dimidium Junii (*après le grand prix de Paris*), et in civitatem redeunt mense Decembri aut Januario. Evidens est has familias duplex habere verum domicilium, urbanum unum, rurale alterum, et tum in urbe, tum ruri posse nuptias inire, uti revera fieri solet.

Huc spectat responsio S. C. C. in *Parisiensi Matrimonii* 14 *Dec.* 1889, in qua causa nos non levis pars fuimus. Antonius L. domicilium Parisiis habebat in parochia S. Thomae Aquinatis: insuper ruralem habitationem, *un Château*, possidebat in Belgio, *a Flines*, et *die* 7 *Julii* 1861 aliud *Château à Epinay* prope Parisios emerat. Filiam ex Antonia G. habuit. Moriturus testamento haeredem instituit filiam Gabriellam, uxori autem reliquit tum *le Château à Epinay*, tum palatium Parisiis in parochia S. Thomae Aquinatis, tum per-

(1) Barbosa *Collect. ad Conc. Trid. ad cap. Tametsi n.* 16. Ferraris v. *Matrimonium, n.* 48. Reiff. *IV, III, n.* 61. Vecchiotti *III*, § 106. De Angelis *IV, III, n.* 4. Santi *IV, III, n.* 75. Card. *Tarquini* in *Romana Matrimoni* 11 *Jan.* 1868 cum certa ac unanimi omnium doctrina contra Pontium *V, XIII*, § 1, *n.* 2, quem sequitur Leandrus *Op. Mor. t. I, tract. IX, disp. VII, qu.* 20.

Digitized by Google

pulchram annuam pensionem, et supremum diem obiit *die* 6 *Aug.* 1863. Gabriella, sub matris potestate ac tutela constituta, in ea erat animi dispositione, ut nuberet ei qui primus manum suam expeteret. Expetiit princeps Alphonsus de C. magis nobilis, quam dives. Matrimonium celebratum fuit coram parocho *d'Epinay die* 23 *Sept.* 1876 absque ulla alterius parochi aut Ordinarii delegatione. Cum vero hoc matrimonium infelices habuisset exitus, Gabriella, quae civile jugum cum alio viro jam contrahere ausa fuerat, ut suae conscientiae consuleret, cogitavit de petenda declaratione nullitatis sui matrimonii, quin tamen sciret utrum et quaenam causa nullitatis subesset. Plures doctos viros Romae consuluit, et tandem adiit Nuntium Apostolicum Parisiis, nunc Cardinalem Beneventanum, qui reposuit haec negotia a suo munere aliena esse, sed sibi matrimonium videri nullum, utpote absque ulla licentia contractum coram parocho rurali. Hanc sententiam, quam alii etiam confirmaverunt, amplexata Gabriella petiit ad cautelam et obtinuit a S. C. C. ut causa in prima instantia tractaretur in curia Parisiensi (1), ac nobis commisit ut sua jura apud archiepiscopale tribunal sustineremus. Cum vero evidens omnino esset parochum *d'Epinay* delegatione caruisse data ab alio parocho vel Ordinario proprio, et matrem habuisse Parisiis domicilium, tota quaestio huc rediit : utrum mater tempore matrimonii habuisset necne *Epinay* aliud canonicum domicilium vel quasi-domicilium. Acriter sustinebant matrimonii validitatem mater, et parochus M. qui matrimonio benedixerat :

(1) Scilicet, uti patebit ex *cap. IX, art. II*, in casu erat certe incompetens proprius actricis Episcopus in Belgio, quia non vir uxorem, sed uxor virum deseruerat ; item Episcopus Versaillensis, in qua dioecesi est *Epinay*, quia reus unice ad matrimonium ineundum *Epinay* advenerat, statim cum uxore discessurus, et momento introductae actionis *Epinay* non morabatur. E contrario certe competens erat proprius rei Episcopus in Belgio ; sed valde incommodum erat ipsum adire, cum neque reus neque ullus testium in ea dioecesi morarentur. Pariter competens erat Archiepiscopus Parisiensis, quia reus, *attaché de léyation*, Parisiis habebat certe quasi-domicilium, et fortasse domicilium. Et cum tum reus tum fere omnes testes aut Parisiis essent aut *Epinay*, Gabriella maluit actionem introducere apud curiam Archiepiscopalem Parisiensem ; et ad omne dubium de ejus competentia removendum petiit a S. C. C. delegationem.

Digitized by Google

quibus accedebat parochus S. Thomae Aquinatis proprius matris Parisiis, aliique. At cum rectam notionem canonici domicilii vel quasi-domicilii non haberent, ex eorum depositionibus, nominatim matris et parochi M., minime suspectis, quas alii etiam testes confirmabant, potius absentia cujuslibet domicilii vel quasi-domicilii in sensu canonum ideoque matrimonii nullitas probabatur. Constabat enim ex actis et probatis matrem commoratam fuisse *Epinay* an. 1862 *quatuor circiter mensibus* una cum marito rusticandi causa; an. 1863 *duobus mensibus* post viri mortem; ab an. 1863 usque ad an. 1872 inclusive *numquam*; an. 1873, 1874 *fere numquam*; an. 1875 *quinque circiter mensibus* causa magnorum operum faciendorum; tandem an. 1876 seu ipso matrimonii anno *quatuor circiter mensibus* seu ante seu post matrimonium: et intentio permanendi ultra semestre variis indiciis et confessione ipsius matris et parochi M. excludebatur. Proinde deficiente domicilio vel quasi-domicilio, curia Parisiensis *die* 7 *Nov.* 1888 pro matrimonii nullitate sententiam tulit, quam S. C. C. confirmandam esse censuit (1). Putamus quod alia prorsus fuisset sententia, si ex actis constitisset matrem solitam deinde fuisse commorari quotannis *Epinay* per sex menses circiter, prouti moris est aliis divitibus familiis; tunc enim constitisset de vero rurali domicilio matris, quod incepisset ipso praecise matrimonii anno.

2°. — *Ordinarius proprius.*

933. Ordinarium proprium valide assistere matrimonio sui subditi expresse non tradit Conc. Trid. *l. c.*, sed ex his, quae habet, facile deducitur. Nam Concilium decernit Ordinarium alii sacerdoti concedere posse licentiam assistendi: atqui « nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur » *reg.* 79 *juris in* 6°.

Ordinarii autem nomine heic veniunt *R. P.* pro tota

(1) Quae advocati scribere non dubitaverunt de fraudibus, corruptione testium etc., erant quidem injuriosa, sed inania prorsus; advocatorum scilicet quibus juridicum fundamentum non suppetit, effugium, saepius moraliter illicitum.

Digitized by Google

Ecclesia, *Legatus Apostolicus* pro suo territorio, *Archiepiscopus* pro sua dioecesi; *Episcopus* pro sua; *Vicarius Capitularis*, sede vacante, et ante illius deputationem *Capitulum* (1); *Vicarius Generalis*; *Praelatus inferior* potestatem quasi-episcopalem in populum obtinens. Qui Ordinarius est tibi *proprius*, si in aliqua sui territorii parochia habes domicilium vel quasi-domicilium. Proinde Ordinarius domicilii vel quasi-domicilii potest matrimonio assistere, non autem Ordinarius originis aut simplicis commorationis, nisi de vago agatur. Operae pretium est, ut de nonnullis in specie pauca verba faciamus.

934. R. P. posse assistere matrimonio omnium fidelium indubium est, idque expressis verbis declaravit etiam Leo XII per litteras apostolicas *Invicta catholicorum* ad Helvetios die 4 *Oct.* 1828 directos. Subdit Bangen *III, pag.* 15 : « Nec opineris hanc doctrinam ad praxim non deduci. Enimvero quotannis saepius nostro etiam tempore contingit ut nupturientes, qui civili lege in patria nuptias contrahere prohibentur, Romam adeant, ibique post status liberi probationem rite praestitam, ex speciali commissione Summi Pontificis, matrimonio jungantur. Utinam patriae gubernia a lege non modo injusta, verum etiam plerumque nociva, qua quidem matrimonia non permittunt, nisi certa adsit pecuniae summa, desistere tandem vellent ».

935. Archiepiscopus certe potest assistere matrimonio sui subditi; et etiam matrimonio subditi suffraganeorum quando *a*) visitat dioecesim suffraganeam in casibus a jure determinatis ; *b*) in casu appellationis. Nempe supponas Episcopum Titio per judicialem sententiam matrimonium interdixisse; ab ea Titium appellavisse ad Metropolitanum; eumque sententiam Episcopi reformavisse per aliam formalem sententiam, quae transiit in rem judicatam : Metropolitanus tunc potest matrimonio assistere, vel alii sacerdoti licentiam assistendi elargiri. Quo jure caret antequam sua sententia transeat in rem judicatam, aut si Episcopus vel alia litigantium pars ab ejus sententia ad S. Sedem appellaverit. Per

(1) Hinc valeret, ni fallimur, matrimonium coram capitulo aut delegato a capitulo et insuper duobus saltem testibus.

Digitized by Google

simplex decretum, sive, ut ajunt, in via merae administrationis Archiepiscopus nil potest in subditos suffraganeorum (1).

936. De Vicario Generali aliquando dubitatum fuit; at S. C. C. ipsum posse pluries respondit. Folium S. C. in *Segnensi Matrimonii* 12 *Nov.* 1736 haec habet: « Vicarius Generalis, aeque ac contrahentium parochus, ex proprio officio et facultate sibi a Conc. Trid. tradita *sess. XXIV, cap. I de ref.* potest absque speciali Episcopi commissione matrimoniorum celebrationi interesse, aliique simplici sacerdoti licentiam illis assistendi concedere juxta communem sententiam, quam tuentur adducti per Sanchez *de mat. l.* 3, *d.* 29, *n.* 18 *et* 19, et Ursajam *tom. I, p.* 2 *disc. eccl.* 2, *n.* 156. Et constat tum ex rescripto S. C. sub diem 4 *Julii* 1602 in causa quadam matrimoniali in haec verba edito: *S. C. censuit coram Vicario Generali Episcopi matrimonium contrahi posse perinde ac coram parocho ut in lib.* 10 *Decr., pag.* 36; tum ex altero emanato in *Taurinensi Matrimonii* 26 *Sept.* 1697: promota enim ibi quaestione num matrimonium inter Principem Carolum Philippum ex Marchionibus Brandeburgensibus et Mariam Catharinam Balbianam Comitissam de Salmur initum coram Vicario Generali validum esset, responsum fuit *affirmative* ut *in lib.* 47 *Decret pag.* 425 *sequ.* ». In hac causa *Segnensi* proposita *die* 22 *Sept.* et 17 *Nov.* 1736 S. C. declarat validum matrimonium initum ex improviso coram testibus et Vicario Generali sedente in lecto, qui protestabatur, se nihil velle audire. Giraldi *II sect.* 115, *n.* 17 citat et aliam declarationem ejusdem S. C. in *Nullius Carpensi Matrimonii* 21 *Jan.* 1880 *lib.* 31 *Decr., pag.* 1.

Mortuo aut deposito Episcopo, expirat ipso jure Vicarii Generalis officium; qui proinde nequit amplius assistere, nisi ob errorem communem Ecclesia suppleat jurisdictionem, licet ipse Vicarius Generalis mortem aut depositionem noverit (2). E contrario, Episcopo interdicto, suspenso, excommunicato, Vicarius Generalis potest adhuc assistere:

(1) Bangen *III, pag.* 15-16. Sanchez *III, XXVIII, n.* 2.
(2) Sanchez *III, XXX, n.* 2 *sequ.* et *III, XXII,* n. 59.

Digitized by Google

nam his censuris et Vicarii Generalis quidem jurisdictio suspensa est, sed ipse in suo officio remanet; atqui assistentia non est actus jurisdictionis, et sufficit pro validitate matrimonii, ut assistens sit Ordinarius (1).

937. Plures affirmant etiam Cardinalem in suo titulo posse assistere matrimonio sui subditi (2). Id certum erat ante Inn. XII Const. *Romanus Pontifex* 17 *Sept.* 1692, cum Cardinalis jurisdictionem quasi episcopalem haberet in clerum et populum sui tituli, ideoque verus Ordinarius esset. At cit. constitutione haec jurisdictio cessavit, et Cardinali in proprio titulo reservatur solummodo potestas in iis quae servitium Ecclesiae concernunt, et quidem circa disciplinam et morum correctionem tantum. Proinde num Ordinarius dici adhuc possit, et ideo num possit matrimoniis ministerium suae praesentiae praebere, alii videant; sed Scavini *III*, *n.* 1021 ob allatam rationem negat.

938. Sicut parochus, ita et Ordinarius proprius valide assistit matrimonio etiam extra territorium, et etiamsi assistentia sit ipsis prohibita: e. g. Vicarius Generalis matrimonio assistens contra Episcopi interdictum peccat quidem, sed matrimonium valet; item licet sit simplex tonsuratus, notorie fornicarius, suspensus, excommunicatus, imo, juxta probabilem opinionem, et publice haereticus aut schismaticus ante sententiam declaratoriam.

Feje *n.* 293 putat Episcopum non posse assistere antequam litteras Apostolicas Capitulo ostenderit.

Nonnulli censent Nuntium Apostolicum non posse assistere matrimonio subditi extra territorium.

Quod si Ordinarius proprius fuerit a legitimo superiore revocatus, vel ipse renuntiaverit, applica quae diximus n. 923.

3°. — *Alius Sacerdos de parochi aut Ordinarii proprii licentia.*

939. Conc. Trid. *l. c.* expresse tradit parochum ac Ordinarium proprium posse alii sacerdoti licentiam dare assi-

(1) Sanchez *III*, *XXX*, *n.* 6 *sequ.*

(2) Vecchiotti *III*, § 106. Sanchez *III*, *XXVIII*, n. 7. Zitelli *Apparatus II*, *II*, *VII*. Ballerini-Gury *II*, *n.* 848 aliique.

Digitized by Google

stendi matrimonio. Nimirum Ecclesia, quae proprii parochi aut Ordinarii tamquam testis auctoritativi praesentiam requirit ad matrimonii celebrationem, admittit hunc auctoritativum testem posse quoque alium sacerdotem sibimet substituere, eique aequalem fidem praebet. Proinde concessio hujus licentiae non est actus jurisdictionis ecclesiasticae parochi aut Ordinarii, sed est actus potestatis substituendi, quam testis auctoritativus habet a Concilio (1). Haec igitur licentia aequiparatur delegationi seu mandato ad nudum assistendi ministerium vigore facultatum a Concilio habitarum. Exinde duo principia descendunt :

940. 1° Quoties parochus aut Ordinarius potest ipse matrimonio adesse, potest etiam alii sacerdoti, ut adsit, dare licentiam. Id verum est, etiamsi parochus aut Ordinarius esset interdictus, suspensus, excommunicatus, ideoque jurisdictione spoliatus, dummodo in suo officio perseveret : nam hanc licentiam concedere non est actus jurisdictionis. Et cum parochus aut Ordinarius hoc jus sibimet alium sacerdotem substituendi habeat a Conc. Trid., illud in suo gradu permanens non amittit ex prohibitione Episcopi etiam cum clausula irritanti ; e. g. si parochus aut Vicarius Generalis dat hanc licentiam contra Episcopi praeceptum aut statuta synodalia, peccat quidem, sed matrimonium valet.

At Ordinarius, quoad liceitatem, cavere debet ne his licentiis confusionem ingerat in re tam gravi, ac ordinaria parochorum jura nimis laedat : qua de re legenda est Const. *Nimiam licentiam* 18 *Maii* 1743 Ben. XIV.

Quod si hanc licentiam concedere prohibuerit R. P. cum clausula irritanti, matrimonium erit illicitum et invalidum.

941. 2° Si parochus aut Ordinarius nequit ipse matrimonio assistere, nec aliis hanc assistendi licentiam dare potest ex *reg.* 79 *juris in* 6° citata n. 933. Huc spectat cit. *Parisiensis Matrimonii* 14 *Dec.* 1889. Nam cum parochus M. de jure suo assistendi matrimonio dubitaret, rem, prouti debebat, ad Ordinarium detulit, qui reposuit : « Je vous autorise à bénir le mariage... » At cum mater nec domi-

(1) Sanchez *III, XXI, n.* 7, ac saepe alias. Pirhing *IV, III, n.* 18. S. Alph. *VI, n.* 1084.

Digitized by Google

cilium nec quasi-domicilium haberet in parochia et dioecesi, nec vaga esset, Ordinarius non erat magis proprius quam parochus pro matrimonii celebratione, ideoque sicut ipse assistere non potuisset, ita ejus auctorizatio viribus carebat.

Ex his apparet etiam quid dicendum de praxi, quae alicubi viget. Titius e. g. e Dioecesi A, retinens in eadem suum domicilium, petit civitatem B, ubi per plures menses et annos commoratur, et modo est in parochia C. Ab ea discedit quin in alia obtineat domicilium vel quasi-domicilium. Jam vero parochus parochiae C, per tres a discessu menses, ejus matrimonio assistere potest, licentia eidem facta ab Ordinario B in statutis dioecesanis. Putamus matrimonium esse nullum, etsi haec delegatio valida dicatur (n. 950); quia cum Titius vagus non sit, et in nulla parochia civitatis B domicilium vel quasi-domicilium habeat, Ordinarius non est proprius, ideoque irrita est licentia ab ipso data. Neque dicas Titium habere domicilium vel quasi-domicilium in civitate B, in qua per plures annos commoratus est et commoratur, licet illud non habeat in nulla parochia civitatis. Nam canones agnoscunt domicilium, vel quasi-domicilium tantum in parochia, sicuti leges civiles in municipio, idest in ultima societatis divisione. Proinde pro matrimoniis jam contractis conjuges relinquendi sunt in bona fide, aut petenda erit sanatio in radice; pro contrahendis servandum jus commune, quod in casu exigit licentiam Ordinarii vel parochi in dioecesi A, nisi privilegium a Sede Apostolica obtineatur. Haec dicta sint salvo meliori judicio et cum debita reverentia.

942. Jam vero ut hanc licentiam declaremus, in primis dicimus eamdem non valere, ideoque nec subsequens matrimonium, nisi parochus vel Ordinarius eam concesserit sciens ac volens. At communiter admittunt AA. licentiam metu extortam validam esse, quia nusquam legitur jus eam invalidam declaravisse (1). Quod si licentia dolo aut errore ob-

(1) Feje *n.* 297. Schmalz. *IV, III*, 208. *sequ.* Sanchez *III, XXXIX, n.* 13. Barbosa *De off. et pot. Episcopi all.* 32, *n.* 115, *et* 133. S. Alph. *VI, n.* 1088. D'Annibale *III*, § 328, *not.* 50. Scavini *III, n.* 1021.

Digitized by Google

tenta fuerit, e. g. falso allegata causa urgentis necessitatis, aut per mendacium petita nomine alicujus magnatis, distinguendum est. Si parochus vel Ordinarius licentiae concessionem veritati expositorum expresse alligaverit, tamquam conditioni *sine qua non*, licentia foret nulla, nullumque matrimonium ; secus ex communi sententia valet (1), quia propter favorem matrimonii illa causa praesumitur impulsiva tantum.

Quaesitum fuit an valeret licentia quam, expleto processu status liberi, Ordinarius dat proprio parocho assistendi matrimonio, si deinde constet hunc revera proprium parochum non esse ; et S. C. C. 9 *Sept.* 1684 reposuit valere (2). Rationem dat Fagn. *l. c.* his verbis : « Concilium ad validitatem matrimonii voluit sufficere, ut fieret coram sacerdote de licentia Episcopi, etiamsi talis sacerdos alias non esset proprius parochus ; nec requisivit Concilium qua intentione, quove modo Episcopus daret talem licentiam, sed satis habuit ut licentiam daret sacerdoti non parocho. In hoc casu Episcopus dedit licentiam tali sacerdoti non parocho : ergo matrimonium est validum, pro quo etiam in dubio pronuntiandum est ». De hac re acriter disputatum fuit in *Neapolitana Matrimonii* 19 *Dec.* 1868, et licet S. C. C. declaraverit matrimonium esse nullum, tamen nil exinde deduci potest contra positam doctrinam, sive quia Vicarius Generalis licentiam dederat parocho *cui spectat*, sive quia aliae aderant nullitatis causae. In puncto autem juris placet distinctio, quam scriptores ephemeridis *Acta S. Sedis IV*, *pag.* 299 tradunt. Scilicet illa licentia dari potest duplici modo. Primus modus est : *Tibi liceat matrimonio horum sponsorum assistere, si tibi spectet ex Tridentina lege, ut ego suppono, assistendi facultas.* Alter modus est : *Tibi liceat matrimonio assistere horum sponsorum, quos puto tuos parochianos esse.* Si primo modo haec licentia data fuit, parochus non proprius, ea non obstante, invalide

(1) D'Annibale *III*, § 328, *not.* 50. S. Alph. *VI*, *n.* 1088. Sanchez *III*, *XXXIX*, *n.* 14. Schmalz. *IV*, *III*, *n.* 211 *sequ.* Feje *l. c.* Fagn. *in cap.* 2, *n.* 55, *De cland. desp.*

(2) Ben. XIV, *Inst. Ecc.* 88, *n.* 4. Barbosa *Apost. Decis. Collect.* 465, *n.* 6. Fagnanus *l. c.*

Digitized by Google

assistit; si altero, valide: sed hic alter modus propter favorem matrimonii semper praesumitur.

943. Praeterea cum Conc. Trid. expresse dicat, *vel alio sacerdote, alii sacerdoti,* haec licentia dari potest tantum clerico charactere sacerdotali insignito; secus matrimonium foret nullum. Ad rem Pirhing *IV, III, n.* 17: « Quia exigitur testimonium fide dignum, ideo requisivit Concilium in assistente matrimonio dignitatem parochialem, ut tanto magis fides ei adhibeatur; quae dignitas cum deficiat in non parocho, voluit eam suppleri per dignitatem sacerdotalem in substituto ». At praeter presbyteratum nulla alia qualitas necessaria est ad matrimonii validitatem ita ut licentia sit illicita quidem sed valida ideoque et validum matrimonium, si data est presbytero haeretico, schismatico, censuris illigato, imo et vitando; nam ipse incapax quidem est ecclesiasticae jurisdictionis, sed assistentia matrimonio non est jurisdictionis actus. Num haec licentia dari possit sacerdoti *indeterminato* vide n. 949 sequ.

944. At licentia non valet nisi sacerdos delegatus eam acceptaverit expresse vel tacite; nam « quod cuique pro eo praestatur, invito non tribuitur » *l.* 10 *ff. De donationibus.* Inter praesentes silentium, et inter absentes petitio a te ipso facta vel a tertia persona, te conscio, tacitam continet acceptationem; hinc licentia valet a momento concessionis, et ideo e. g. matrimonium consistit initum coram sacerdote quo tempore nuntius aut epistola cum licentia adhuc est in via, et sacerdos ac contrahentes concessionem ignorant, imo putant concessam non fuisse, licet profecto matrimonium foret illicitum (1). Quid vero si parochus vel Ordinarius eam dederit motu proprio vel ad instantiam tertiae personae, te inscio? Communissima sententia est licentiam non valere ideoque matrimonium esse nullum, etsi licentia reipsa data sit, ad te directe pervenerit, et tu illam acceptaveris. Haec sententia firmatur etiam ex responsione S. C. C. citata a Giraldi *II, sect.* 115, *n.* 14: « Item nullum est (matrimonium) contractum coram sacerdote deputato a parocho qui

(1) D'Annibale *I,* § 75, *not.* 45. De Lugo *De poenit. XIX, n.* 18. Schmalz. *IV, III, n.* 206 cum communi.

Digitized by Google

ignorabat illius deputationem quae etiam ignorabatur ab altero ex contrahentibus in *Nullius*, 15 *Apr.* 1625, *lib.* 13, *pag.* 432 (1). » Haec, inquam, licentia, ut valeat, necesse est ut *ad te directe pervenerit* ; proinde matrimonium foret aeque nullum si sacerdos concessionem noverit indirecte tantum per tertiam personam, e. g. si parochus obiter ac fortuito dicit Maevio se licentiam dedisse sacerdoti A, cui id Maevius absque ullo mandato refert (2). Engel *IV*, *III*, *n.* 17, putat etiam licentiam motu proprio vel ad instantiam tertiae personae concessam statim valere ante acceptationem, et jura omnia quibus contraria sententia nititur, ad gratias onerosas non ad gratuitas pertinere demonstrat; nec illius argumenta facilis solutionis sunt. Proinde, stante hac controversia, D'Annibale *I*, § 225 deducit in casu practico standum esse pro valore matrimonii, si e. g. parochus, rogante Sempronio, sinat alienum sacerdotem adesse matrimonio, isque et concessionis et petitionis ignarus adstiterit.

Nonnulli admittentes in genere acceptationem esse necessariam excipiunt casum quo delegatus est subditus delegantis, quia tunc obedire tenetur (3). Nemo autem est qui non solum parochi, sed et contrahentium notitiam et acceptationem licentiae requirat. Caeterum sacerdos non facile credat dicentibus se habere licentiam a proprio parocho vel Ordinario, nisi ostendant aliqua saltem verosimilia indicia ; aut sint personae nullatenus suspectae et fide dignae (4).

945. Si autem quaeras num sacerdos delegatus possit alium sacerdotem subdelegare, respondemus certe posse, si haec subdelegandi potestas expresse ei commissa fuit ; secus distinguendum. Delegatus ad assistendum *huic matrimonio*, certe nequit, nisi delegatus fuerit a R. P. non ratione personae. Delegatus ad assistendum *matrimoniis in genere*, juxta nonnullos, licet nequeat totam subdelegare assistendi

(1) De Angelis *IV*, *III*, *n.* 5. D'Annibale *III*, § 328, *not.* 50. Schmals. *IV*, *III*, *n.* 203. Sanchez *III*, *XXXVI* aliique communissime.
(2) Sanchez *l. c.* De Lugo *De j. et j. XXIII*, *n.* 7.
(3) Bangen *III*, *pag.* 11. Feje *n.* 297. Lehmkuhl *II*, *n.* 777.
(4) Engel *l. c. n.* 16. Sanchez *III*, *XXXVII.*

facultatem, tamen potest dare licentiam assistendi uni vel alteri matrimonio, quia est delegatus ad universitatem causarum (1); juxta alios non potest, quia commissum ei fuit nudum ministerium, quae ratio gravissima est ex *cap.* 43, § *ult. De off. et pot. jud. del.* (2). Hac stante controversia, si agitur de matrimonio jam inito, stetur pro matrimonii valore, donec S. Sedes aliud non declaraverit ; si de matrimonio incundo, non celebretur cum hac subdelegatione. At prima sententia vera omnino videtur ob allatam rationem, si agatur de sacerdote delegato non tantum ad assistendum matrimoniis, sed *ad omnia negotia matrimonialia*, quae parochus praestare solet ; prouti Parisiis est primus vicarius parochialis (n. 915). Tandem delegatus ad universam animarum curam certe potest subdelegare ad assistendum vel uni tantum matrimonio, vel matrimoniis in genere ; nam est parochus in sensu decreti Tridentini (n. 910). In *Melevitana Nullitatis matrimonii* 22 *Junii* 1839 S. C. C. validum dixit matrimonium, cui adstiterat delegatus a vicario parochi absentis. Aliam responsionem ex Fagnano habes n. 911.

946. Circa modum concedendae hujusmodi delegationis, in primis licentia sacerdoti concessa triplex concipi potest :

1° *Interpretativa*, quam nonnulli AA. *praesumptam* dicunt, si nempe sacerdos persuasum habet parochum, aut Ordinarium hanc licentiam certe concessuros fuisse, et ideo matrimonio assistit. Certum est talem licentiam, si hoc nomen meretur, non sufficere, et matrimonium esse nullum, quia voluntas illa interpretativa parochi aut Ordinarii numquam extitit.

2° *Tacita*, si scilicet parochus aut Ordinarius praesens non est, sed scit sacerdotem assistere, potest facile contradicere et tacet ; nam « qui tacet consentire videtur » *reg.* 43 *juris in* 6°.

Quaeritur num haec licentia satis sit pro matrimonii validitate ? Plerique affirmant cum Sanchez *III*, *XXXV*, *n.* 20, inter quos Ben. XIV *Inst. Ecc.* 33, *n.* 12 ubi agens

(1) Sanchez *III*, *XXXI*. Bangen *III*, *pag.* 13. Instructio Austriaca § 48.
(2) Scavini *III*, *n.* 885.

Digitized by Google

de matrimoniis illorum, qui carceribus detinentur, ait his matrimoniis superiori tempore parochum loci adstitisse, subdens: « Nos profecto in examen revocare nolumus, quae jam diuturnitate temporis invaluerunt. Nam ut jam inita matrimonia rata firmaque sint, sufficit, si eadem minime ignoraverit, atque ideo permiserit, qui eo tempore sapienter hanc ecclesiam administrabat, quemadmodum Trid. Conc.... asseruit ». Haec sententia est verior et communior. At Fagn. in *cap.* 2, *De cland. desp. n.* 31 *sequ.* nonnullas affert contrarias declarationes S. C. C. sine die et anno. Una est sequens: « An ut sacerdos, qui non sit proprius contrahentium parochus, eos matrimonio conjungere possit, sufficiat tacita licentia quae resultat ex tolerantia ? S. C. censuit non sufficere, sed requiri vel commissionem generalem administrandi omnia sacramenta, vel, si haec non adsit, specialem et expressam licentiam ». Unde incerti haeremus. Si agatur de matrimonio contrahendo, retinenda est sententia Fagnani; si de contracto, stetur pro matrimonii valore.

At si parochus vel Ordinarius proprius, sciens alium sacerdotem matrimonio assistere, putabat ipsum quoque proprium esse, ideoque tacuit, concessurus licentiam si scivisset proprium non esse, licentia non intelligitur, ideoque matrimonium est nullum, si ille sacerdos revera proprius non est. Huc quoque spectat cit. *Parisiensis Matrimonii* 14 *Dec.* 1889 (n. 932). Nam proprius parochus Parisiensis noverat matrimonium celebratum iri Epinay et nullam fecit oppositionem, sed simul nullam dedit delegationem, putans parochum *d'Epinay* proprium esse, quam ob rationem nec parochus M. nec mater ullam petierant licentiam. Quod si parochus aut Ordinarius proprius adesset matrimonio, e. g. urbanitatis causa una cum illo sacerdote qui putativo jure suo nuptiis benedicit, matrimonium valeret non quidem ob tacitam delegationem, quae sine concedentis voluntate concipi nequit, sed ob parochi aut Ordinarii proprii praesentiam.

3° ***Expressa*** verbis vel scriptura; in quo nonnihil insistendum est.

Digitized by Google

947. Saepius expedit ut haec licentia detur in scriptis ad difficultates removendas circa illius concessionem, ideoque circa ipsam matrimonii validitatem. At etiam oretenus data valida est, quia Conc. Trid. de modo eamdem concedendi nihil statuit; et si quodlibet proximum cavillationum periculum absit, est etiam per se licita. Imo Episcopus lege lata prohibere quidem potest matrimonium nisi licentia in scriptis data fuerit, sed nequit matrimonium ipsum cum licentia tantum orali initum irritum declarare, quia oralis licentia ex Conc. Trid. valida est (1). Ad rem facit responsio S. C. C. in *cit. Bosanensi Visitationis SS. LL.* (n. 911).

948. Haec expressa licentia seu scripta seu oralis distingui solet a DD. in *specialissimam* ad assistendum determinato matrimonio datam determinato sacerdoti; *specialem* ad assistendum matrimoniis in genere datam determinato sacerdoti; *generalem* ad exercenda munia parochialia, vel ad omnia quae pertinent ad curam animarum, vel ad vices parochi gerendas, vel ad administranda sacramenta, vel cum alia simili generali formula datam determinato sacerdoti (2). Quaelibet hujusmodi licentia certe valida est, cum Conc. Trid. modum concedendi hanc licentiam non statuerit, et per se etiam licita: tantum sequentia animadvertimus.

Juxta ea quae diximus n. 911 nos putamus sacerdotem cui universa animarum cura absque ulla restrictione illa generali formula commissa fuit, esse parochum in sensu decreti Tridentini, et comprehendi illis verbis *quam praesente parocho*, non vero aliis *vel alio sacerdote*... Proinde licet animarum cura sit ipsi delegata et possit ad libitum revocari, tamen, donec in suo officio permanet, jus assistendi habet a Conc. Trid. (3).

Praeterea licentia, praesertim generalis et specialis, dari potest ad tempus determinatum, vel sub conditione; quo in casu sacerdos servare sedulo debet limites appositos, secus matrimonium foret nullum. At saepe clausula apposita im-

(1) Barbosa in *Conc. Trid. sess. XXIV, cap. I, n.* 111. Pontius *XXIII*, § 26. Sanchez *III, XXXV, n.* 10. Feje *n.* 297.
(2) Bangen *III, pag.* 13.
(3) Fagn. in *cap.* 2, *De cland. desp. n.* 28.

Digitized by Google

portat potius monitum quam veram conditionem, quo in casu matrimonium, etiam clausula non servata, foret validum, licet forte illicitum. Utrum clausula importet veram conditionem aut simplex monitum, desumi debet, uti alias, ex natura rei, ex toto contextu, ex depositione concedentis etc., et in dubio, si matrimonium initum sit, propter illius favorem, praesumitur simplex monitum. Ita e. g. si parochus dicat : *Do licentiam, praemissis publicationibus*, aut *praevia inquisitione et examine testium*, praesumitur simplex monitum, quia quoties exprimitur in commissione forma juris communis eo modo quo in jure inest, intentio committentis est, nisi aliud constet, admonere ut haec forma servetur (1). E contrario si parochus dicat : *Do licentiam, praemisso matrimonio civili*, praesumptio est, praesertim in Galliis, esse veram conditionem ; quia cum leges civiles in Galliis sub gravissimis poenis prohibeant matrimonium religiosum ante civile, parochus censetur id noluisse.

949. Quaeritur num haec expressa licentia dari possit hoc modo : *Delego sacerdotem, quem ipsi contrahentes Titius et Sempronia elegerint* ? Hujusmodi delegatio foret illicita, utpote ab Ecclesiae disciplina et mente nimis aliena, nisi gravis ratio, indicio Ordinarii, eam suaderet, sed simul esset valida, ideoque validum matrimonium ; quia Conc. Trid. nec modum nec fines ad praefatam licentiam concedendam statuit, et aliunde sacerdos delegatus ipsa contrahentium electione determinatur.

Haec doctrina, si ambo contrahentes nominatim designati sunt, uti in proposita specie, est certa ex responsione S. C. C., quam refert Fagn. in *cap.* 3, *n.* 33, *De clandest. desp.* ubi haec habet : « An licentia contrahentibus nominatim designatis a parocho concessa in scriptis, ut matrimonio inter se celebrando quemvis sacerdotem eorum arbitrio adhibere possint, censeatur sufficere ad validitatem matrimonii, cui alius sacerdos vigore ejusdem licentiae interfuit. *Die* 15 *Junii* S. C. censuit sufficere, mota praecipue doctrina Card. Zabarella post Zenzel. Paul. et Stephan. *in Clem.* 1ª *De privilegiis n.* 12 ».

(1) Sanchez *III, XXXIII, n.* 3. Scavini *III, n.* 1021.

Digitized by Google

Si autem parochus vel Ordinarius uni parti e. g. mulieri daret licentiam contrahendi coram quocumque sacerdote, et cum quocumque viro nondum designato, nonnulli censent hanc licentiam esse quoque nullam (1) ; sed putamus etiam in hoc casu valere, quia ratio allata aeque urget.

950. Pariter quia Conc. Trid. jus parochi vel Ordinarii alium sacerdotem sibimet substituendi nullis limitibus coarctavit, nobis semper opinio fuerat valere disciplinam pluribus dioecesibus receptam (n. 941), qua pro matrimonio personarum alicujus generis vel Ordinarius in statutis dioecesanis dat licentiam omnibus parochis, vel parochi hanc licentiam sibi mutuo concedunt. Sed post ea quae ultimis temporibus acta sunt penes S. C. C. judicium nostrum suspendimus. Nam in primis Ordinarius Posnaniensis exposuerat et quaesiverat prout sequitur :

« In civitate Posnania, regno Borussico, ubi plures existunt parochiae, non raro accidit, sponsos, derelicta, inscio proprio parocho, parochia in qua domicilium per longius habuerunt tempus, et sumpto domicilio in alia ejusdem civitatis parochia, nihilominus in veteri parochia proclamare se facere et ibidem dolose matrimonium contrahere. Cum parochi civitatis hunc dolum detexissent, ad praecavenda futura invalida matrimonia generatim mutuo se delegarunt, ut quotiescumque supra memoratus dolus ex parte sponsorum reiteraretur, tamquam delegati proprii parochi valide matrimonio ineundo talium sponsorum assistere possent. Nunc tamen dubium eis venit, an revera facultas eis inesset talem generalem delegationem sibi mutuo concedere, et infrascriptum Vicarium Generalem adierunt, ut ipse omnibus civitatis Posnaniensis parochis facultatem tribueret assistendi valide matrimoniis omnibus alienorum parochianorum civitatis praefatae in casibus in quibus ab iis pertinentia ad parochiam simularetur.

« Infrascriptus Vicarius Generalis non minora tamen fovet dubia quoad talem introducendam praxim, et quoad competentem sibi in hoc casu facultatem, quam quoad pra-

(1) Card. De Luca *De matr. disc.* 3, *n.* 5 et *Adnot. ad idem Conc. disc.* 26, *n.* 22. Lehmkuhl *II*, *n.* 777.

Digitized by Google

xim per plures annos, inscio loci Ordinario, a parochis civitatis Posnaniae observatam, et ideo S. V. supplicat, ut declarare dignetur :

« *a*) Quid de praxi parochorum civitatis Posnaniensis adhuc observata mutuo in genere se delegandi pro tempore indeterminato ad assistendum matrimoniis sponsorum simulantium domicilium, sit tenendum ;

« *b*) Si haec praxis non probaretur, an valeat Vicariatus Generalis generalem concedere facultatem parochis civitatis Posnaniae, de qua sermo ;

« *c*) Si praxis ad-*a*) memorata improbaretur, dignetur S. V. sanare quoad praeteritum omnia matrimonia vigore hujus praxis invalide inita ».

Jam vero Secretaria S. C. C., ad quam Summus Pontifex, rem remiserat, *die* 20 *Julii* 1889 rescripsit : « Quoad praeteritum pro sanatione : quoad dubia, praxim non esse probandam, sed requiri in singulis casibus expressam validam delegationem ».

At hoc rescriptum quaestionem definitive non diremit, utpote datum non ab ipsa S. C., sed ab ejusdem Secretaria. Cum autem illud innotuisset Archiepiscopo Coloniensi, hic quoque simili de causa S. Sedem interpellandam censuit his verbis :

« In civitate hac Coloniensi, in qua novendecim existunt parochiae catholicae et circiter 150.000 numerantur catholicorum, non raro accidit quod sponsa v. g. ancilla, proclamationibus expeditis, parochiam in qua domicilium vel quasi-domicilium habebat, inscio parocho proprio, dereliquit, et tamen coram hoc parocho dolose matrimonium contrahit, fingens se in hujus parochia, in qua proclamationes factae sunt, adhuc habitare. Quare ad praecavenda invalida matrimonia parochi hujus civitatis multis abhinc annis se mutuo delegaverunt in hunc modum, ut parochus, qui tempore quo proclamationes expetebantur, parochus proprius sponsae erat, inde per tres menses matrimonio ejus assistere valeat, etiamsi sponsa, hac parochia derelicta, in alia parochia hujus civitatis habitet. Quam quidem conventionem, adhibita facultate subdelegandi, praedecessor meus

Digitized by Google

Emus Card. Melchers postea, *anno* scilicet 1866, confirmaverat, eaque confirmatio delegationem Ordinarii exhibere videtur. Quamvis vero, postquam gubernationem hujus archidioecesis suscepi, similis a me confirmatio seu approbatio istius praxis statim expetita non sit, parochi Colonienses tamen eam sunt sequuti.

« Similes ob causas in civitate Aquisgranensi existebat ab immemoriali tempore, ut parochi asserunt, usus juxta quem propter frequentem habitationis mutationem ex parte ancillarum, mercenariorum et pauperum, parochus in cujus parochia sponsa habitat, dum proclamationes expetit, ejus matrimonio assistere possit, etiamsi sponsa tempore proclamationum in aliam parochiam ejusdem civitatis transmigret. Quem usum, a parochis Aquisgranensibus *an.* 1840 renovatum, Vicarius Generalis archiepiscopalis, die 14 *Nov.* 1840, tamquam valori matrimoniorum faventem, approbavit. Utilis sane est talis dispositio, qua valor matrimonii non raro salvaretur.

« Attamen cum S. C. C. *die* 20 *Julii* hujus anni in causa *Posnaniensi* declaraverit conventionem similem parochorum Posnaniensium haud esse probandam, S. V. enixe rogatur, ut declarare dignetur :

« 1° An Ordinario liceat parochis civitatis Coloniensis aliorumque oppidorum numerosiorum cum facultate subdelegandi delegare facultatem generaliorem matrimonio assistendi, de qua sermo ? Et quatenus negative ;

« 2° S. V. dignetur Archiepiscopo oratori facultatem concedere, qua talem delegationem assistendi matrimonio in casu exposito parochis civitatis Coloniensis, et oppidorum numerosiorum archidioecesis Coloniensis concedere valeat ;

« 3° S. V. enixe quoque supplico, ut matrimonia, si quae ex hac praxi et conventione invalida in hac archidioecesi Coloniensi contracta sunt, benigne dignetur sanare ».

S. C. C. haec omnia ad examen revocavit in *Coloniensi Dubium matrimonii* 6 *Sept.* 1890, sed propositis dubiis : « 1° An mutua ac generalis delegatio, de qua in precibus, ad validitatem matrimonii valeat in casu ». Et quatenus negative : « 2° An supplicandum sit Ssmo pro convalidatione

Digitized by Google

ejusdem praxis quoad futurum in casu » reposuit : « Dilata, et exquiratur votum consultoris ».

Igitur haec responsio expectanda est, et ab omnibus debita reverentia recipienda. Interim illud indubium videtur has mutuas ac generales delegationes, inconsulto Ordinario, factas, ut in civitate Posnaniensi, minime esse probandas.

951. Tandem haec licentia semel concessa revocari potest, cum sit mere gratuita et omnino pendens a voluntate concedentis. Posita hac revocatione, matrimonium adhuc valet, si sacerdos assistens illam ignorat, aut cognoscit quidem sed indirecte per tertiam personam (1).

Plures putant hanc revocationem innotescere debere tum sacerdoti tum utrique contrahenti ; secus matrimonium valere. Haec sententia, cujus juridicum fundamentum nos latet, firmari videtur ex responsione S. C. C. in *Tricaricensi Matrimonii* 27 *Jun.* 1733. Nam parochus, importunis precibus sponsi impulsus, dederat in scriptis sacerdoti facultatem assistendi matrimoniis in genere in sua parochia ; sed deinde, antequam sacerdos assisteret matrimonio inter Franciscum Mormite et Joannam de Roberto, hanc licentiam revocavit. Sacerdos hanc revocationem patefecit Francisco, sed, hoc non obstante, ex metu incusso adstitit matrimonio, Joanna revocationem ignorante. Quaesitum fuit : « An matrimonium contractum inter Franciscum Mormite, et Joannam de Roberto fuerit nullum in casu ». S. C. reposuit « negative, et amplius ». Nonnulli hanc responsionem intelligunt de matrimonii validitate in ordine ad legitimitatem prolis tantum : sed hanc interpretationem argumentis positivis non probant.

Bangen *III*, *pag.* 13 putat matrimonium esse nullum, si revocationem sacerdos assistens ignorabat, sed noverant contrahentes qui proinde versabantur in mala fide. Haec doctrina nulli innititur solido fundamento.

Etiam morte parochi aut Ordinarii delegantis, vel amissione officii quacumque de causa, cessat licentia : nempe si

(1) Sanchez *III*, *XXXVI*, *n.* 10. Scavini *III*, *n.* 1021.

Digitized by Google

mors aut amissio communiter ignoratur, delegatus valide assistit ; secus matrimonium est nullum (1).

952. Sacerdos delegatus valide matrimonio assistit ubique terrarum, etiam extra territorium delegantis (2). Pro licita vero celebratione publice in ecclesia cum consuetis solemnitatibus indiget consensu parochi aut Ordinarii loci (n. 922). Item delegatus a parocho valide, sed illicite assistit, si suus Ordinarius hanc assistentiam eidem prohibuerit etiam cum clausula irritanti, cum jus assistendi habeat a lege, aut si prohibuerit R. P. sine clausula irritanti. Quod si sacerdoti delegato a parocho hanc assistentiam extra suum territorium Ordinarius non proprius sacerdotis delegati vetuerit, matrimonium erit non modo validum, sed et licitum ; e. g. parochus proprius Parisiensis licentiam dedit Titio presbytero Versaillensi, ut matrimonio sui parochiani *Versailles* commorantis benedicat, quod Archiepiscopus Parisiensis eidem interdicit.

4°. — *Duo vel tres testes.*

953. Praeter testem qualificatum Conc. Trid. *l. c.* exigit pro matrimonii validitate praesentiam *duorum vel trium testium*. Quum Concilium in his testibus nullas qualitates requirat pro validitate matrimonii, sufficit habilitas naturalis, qua quis potest factum dignoscere et de ipso fidem facere (3). Hinc inhabiles sunt ebrii, infantes ante usum rationis, amentes etc. sed habiles sunt mulieres, impuberes, clerici sive regulares sive saeculares, etiam moniales, infideles, excommunicati etiam vitandi, haeretici etc. Statuta dioecesana nonnullos aliquando excludunt, quae profecto servari debent pro licita matrimonii celebratione, licet coram illis initum conjugium valeret. Ita si catholici aut incolae haberi possunt, immerito prorsus acatholicos, infideles, vagos adhibes. « Dubitatum aliquando fuit an, stante bona

(1) De Lugo *Resp. Mor.* 35. Pontius *VIII, XXIV.* Scavini *III, n.* 1022. S. Alph. *III, n.* 728.

(2) Fagn. in *cap.* 2, *De cland. desp. n.* 39 *sequ.*

(3) Sanchez *II, XLI, n.* 4 *sequ.* De Justis *II, XIX, n.* 97. Bangen *III, pag.* 37. S. Alph. *VI, n.* 1086 cum communi.

Digitized by Google

fide, sustineri posset pro valido matrimonium coram parocho et unico teste contractum. At saepedicta C. C. *die 14 Jan.* 1673 negative respondit, ut relatum habetur *lib.* 28 *decret. pag.* 4 *et* 5 » Ben. XIV *De Syn. XII, V, n.* 5.

5°. — *Quomodo testes tum qualificatus tum simplices assistere debeant.*

954. Modus, quo sacerdos aliique testes debent matrimonio adesse, deducitur ex illis Conc. Trid. verbis, *praesente parocho vel alio sacerdote de ipsius parochi vel Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus*, qui omnes de peracto matrimonio fidem facere queant. Exinde haec deducuntur.

955. 1° Assistere debent *simultanee*, ita ut omnes integro quoad substantiam contractui adsint ; secus enim matrimonium coram omnibus ipsis initum dici nequit (1).

Huc spectat responsio S. C. de Prop. Fide 2 *Julii* 1827. Sub n. 3° exponebatur prout sequitur : « S. C. die 5 *Aprilis* 1785 respondit : *Nullam ex caeremoniis (quae more regni a Tunkinensibus fiunt) constituere apud Christianos matrimonium : quaenam vero ex illis facienda sit, ut certum inducat argumentum consensus utriusque ad matrimonium praestiti, pendere ex singulorum casuum circumstantiis quae a prudenti missionario inquiri ac diligenter ponderari debent.* Quaero ergo utrum post promulgationem decreti Tridentini, quando Christiani, absente missionario, contrahunt matrimonium secundum morem patriae, si ex caeremoniis observatis atque ex aliis circumstantiis prudens missionarius certum deducat argumentum consensus utriusque conjugis ad matrimonium praestiti, attamen duos testes invenire non possit, qui de omnibus iis caeremoniis simul sumptis et a contrahentibus observatis testimonium ferant, quippe qui ejusmodi caeremoniis nuptialibus, iis praecipue ex quibus missionarius certum deducat argumentum consensus utriusque conjugis ad matrimonium praestiti, non simultanee sed successive interfuerunt, cum tamen sufficientes inveniantur ex ipsis, qui singillatim pro singulis cae-

(1) Sanchez *III, XLI, n.* 3. De Justis *II, XIX, n.* 100 cum communi, Lehmkuhl *II, n.* 779.

Digitized by Google

remoniis testes esse possint, utrum, inquam, in tali casu matrimonium sit validum? » S. C. reposuit *negative*.

At valeret matrimonium, si coram omnibus primo solus sponsus, deinde, absente sponso, sola sponsa consensum exprimeret, indicata omnino certe ac indubie persona, quacum contrahitur: plerumque autem foret illicitum tum propter alias rationes, tum quia dubium oriri potest, num prior in suo consensu interim permanserit (1).

956. 2° Valet matrimonium etiamsi casu praesentes aut transeuntes matrimonio assistant, aut dolo, metu gravi, vel etiam vi adducantur et retineantur: nam semper verum est matrimonium, ipsis praesentibus, fieri ita ut de eo testimonium ferre possint, quod Concilium unice exigit (2). In cit. *Giennensi* proposito tertio dubio: « Si invitus et compulsus per vim adsit sacerdos dum contrahitur matrimonium, praecedente vel non praecedente dicta prohibitione (nempe prohibitione Ordinarii assistendi tali matrimonio), utrum tale matrimonium subsistat ». S. C. respondit *subsistere*. Quam responsionem Ben. XIV *l. c. n.* 4 ita illustrat: « Et revera cum parochi praesentia verificetur, etiamsi per vim inducta sit, idemque parochus fidem facere possit Ecclesiae, celebratum vere fuisse coram se matrimonium, etiamsi illius celebrationi sponte non interfuerit, sed coactus; nihil videtur in hoc casu deesse quod necessarium ad matrimonii validitatem judicetur. Unde in *l. Coram Titio* 209 *ff. De verb. signif.* ita legitur: *Scire autem, non etiam velle is debet: nam eo invito, recte fit* ». Et in eadem *Giennensi* proposito quinto dubio: « Si adsit sacerdos, dum contrahitur matrimonium, casu, non cogitans se esse ad id vocatum, sed aliquid agens audit duos inter se contrahentes matrimonium, utrum sit validum tale matrimonium in quo fuit praesens, non tamen certioratus, neque ad id expresse vocatus, neque interponens suam auctoritatem dicto vel facto; vel potius sit nullum, quasi assistentia auctoritativa per Concilium requiratur, et non nuda vel casua-

(1) Lehmkuhl, *l. c.*
(2) Sanchez *III, XXXIX, n.* 9 *sequ.*

Digitized by Google

lis praesentia ». S. C. respondit: « Valere etiamsi parochus aliam ob causam adhibitus sit ad illum actum ».

957. 3° Non requiritur ut testis qualificatus (et multo minus simplices testes), aliquid vel agat vel dicat, vel auctoritatem suam interponat : ita ut valeret matrimonium, si sponsi coram ipsis tacentibus consensum exprimerent, prouti revera fit in matrimonio mixto.

958. 4° At non sufficit si physice tantum adsint : oportet enim ad matrimonii validitatem ut moraliter quoque praesentes sint, seu ut percipiant matrimonium contrahi vel ex verbis, vel ex nutibus, signis, actibus praecedentibus, concomitantibus, subsequentibus, et de illo reddantur adeo certi, ut probe valeant sufficiens de inito matrimonio testimonium perhibere, ut legitur in *Neapolitana Matrimonii* 6 *Maii* 1741 (1). Ben. XIV *De Syn. XIII, XXIII, n.* 6, citata responsione S. C. C. in *Romana super dubiis matrimoniorum die* 7 *mart.* 1700, qua improbata fuit eorum opinio, qui contendebant ad validitatem matrimonii praesentiam parochi mere physicam satis esse, subdit : « Parochus enim interest matrimonio tamquam testis auctorizabilis pro Ecclesia..... Parochus autem non potest testem agere tantae in Ecclesia auctoritatis, nisi et videat contrahentes, et vel eorum audiat verba, vel, ea non percipiens, signa saltem videat et intelligat, quae mutuum significent utriusque partis consensum juxta textum in cit. *l. Coram ff. De V. S.* cujus verba sunt haec : *Coram Titio aliquid facere jussus, non videtur, praesente eo, fecisse, nisi is intelligat. Itaque si furiosus, aut infans sit, aut dormiat, non videtur coram fecisse.* Cui conformis est *can. testes* 3, *q.* 9 ubi glossa v. *praesentia* inquit : *Dum tamen intelligant ; nam aliter non dicuntur praesentes ;* et *can. in primis* 2, *q.* 1 ubi eadem glossa v. *praesente* subdit : *Et intelligente, alias non diceretur praesens...* »

Si parochus ac testes ignari sunt idiomatis, et interpres eis explicet verba prolata, quae consensum exprimunt, id sufficit juxta probabiliorem sententiam (n. 839).

(1) Sanchez *II, XXXIX, n.* 2 cum communi.

Digitized by Google

Nec opus est ut contrahentes cognoscant : nam satis est ut eos (quasi qui pertranseuntes viderint aliquem v. g. furantem vel occidentem), recognoscere possint (1).

Si parochus (idemque de aliis testibus repetas) est caecus, audit verba exprimentia consensum, et notas habet contrahentium voces, non convenitur inter DD. de matrimonii validitate. Plures negant ob deceptionis periculum (2) : proinde si hoc abest, affirmativa sententia certa esse videtur (3).

Item valet matrimonium, si parochus est surdus, sed ex signis vel aliter probe percipit matrimonium contrahi.

959. Doctrinae expositae una est limitatio, si limitatio dici potest. Matrimonium enim est nullum, parocho non intelligente, *nisi tamen affectasset non intelligere*, uti reposuit S. C. C. in *Giennensi*, cujus verba habes n. 961. Idemque de aliis testibus repetas. Ben. XIV *l. c. n.* 10, inquirens verum sensum hujus limitationis, varias recenset DD. opiniones ac tandem concludit : « Alii denique affirmant matrimonium validum fore, quod celebratum fuerit coram parocho, qui, si nec vidit nec intellexit, ipse sibi in causa fuit ut non videret, nec intelligeret, propterea quod vel aures sibi obstruxerit, vel faciem velaverit, ne audire et aspicere cogeretur. Et hic verus videtur esse illius decreti sensus, sicut colligitur ex Fagn. in *cap. Quoniam n.* 25, *De constitut.* et in *cap. Quaesitum n.* 7 *et* 8 *De poenit. et remiss.* ». Si enim parochus hoc sensu affectat non intelligere, reipsa intelligit. Equidem non audit verba, non videt signa, sed tamen intelligit matrimonium contrahi, et ideo praecise aures obstruit ac faciem velat : quod satis est (n. 961).

Deinde sapientissimus Pontifex tradit parochum debere quidem pro viribus haec clandestina matrimonia prohibere et evitare, sicque contrahentes ad Ordinarium denuntiare convenienti poena forte puniendos ; sed minime debere au-

(1) D'Annibale *III*, § 328. Sanchez *III, XXXIX, n.* 11.

(2) De Justis *II, XIX, n.* 105. Barbosa *De offic. Episc. all.* 32, *n.* 38. Maschard. *De probat. concl.* 278, *n.* 7.

(3) D'Annibale *l. c.* Menoch. *De probat. concl.* 207, *n.* 10. Croix *VI, III, n.* 758 ibique Sanchez, Pontius, Fillucc. Aversa.

Digitized by Google

res obstruere, ne audiat, faciem et oculos velare, ne videat, aliaque hujus generis facere, quae sunt sane ridicula, matrimonii validitatem ex dictis non impediunt, et ad id solum valent ut animos contrahentium aliquando scrupulis torqueant, ipsosque in mala fide ponant.

960. 5° Tandem nec satis est parochum et testes intelligere quod agitur, nisi fuerint *formaliter ad hoc adhibiti*. Id satis innuit S. C. in responsione relata n. 956 in fine ; sed clarius edixit in rescripto, quod cum aliis refert Schmalz. *IV, III, n.* 236 : « An sit matrimonium, si duo contrahant per verba de praesenti, proprio parocho praesente et aliis requisitis non omissis, cui contractui parochus formaliter adhibitus non fuit, sed dum forte convivii vel confabulationis vel aliud tractandi causa adesset, audit hujusmodi contractum geri, et postea alter contrahentium velit ab hujusmodi contractu ratione defectus resilire? S. C. respondit posse, nisi alia intervenerint quae parochum a contrahentibus adhibitum fuisse arguant » (1).

Jam vero haec formalis adhibitio, quae in praxi non leves difficultates parere posset, importat sponsos matrimonium inire scienter coram ipsis, ita ut ipsos velint implicite vel explicite testes esse conjugii, quod contrahunt.

Hinc si sponsi coram parocho et testibus dolo adductis nuptias contrahunt, quin ipsos moneant accersitos esse ut iisdem interessent, matrimonium valet (n. sequ.) quia testes ipso facto monentur.

Item si aderant plures, inter quos parochus, consensum exigens, putabat esse testes formales ac designatos, qui de facto aberant : nam cum matrimonium coram pluribus celebratur, omnes uti testes implicite adhibentur. Huc spectat responsio S. C. de Prop. Fide 2 *Julii* 1827. Quaerebatur : « 2° Utrum post promulgationem decreti Tridentini, quando ob persecutionem vel ob alias rationabiles causas non est Christianis facilis aditus ad missionarium, proindeque matrimonium ii contrahunt secundum morem

(1) Ben. XIV *l. c. n.* 5. Pontius *V, XXI, n.* 4. Fagn. *in cap.* 2, *De cland. desp. n.* 34. Feje *n.* 299. Bangen *III, pag.* 25. Gury-Ballerini *II, n.* 851.

Digitized by Google

patriae coram parentibus, cognatis et propinquis utriusque conjugis qui celebrationi matrimonii assistunt, non rogatis testibus determinatis neque formaliter adhibitis, qui de matrimoniali illo contractu, si opus fuerit, fidem facere possint, cum aliunde sint plures, qui, licet nec rogati nec formaliter adhibiti fuerint, de matrimonio tamen more patriae inito et de consensu utriusque conjugis, si non verbis, signis tamen sensibilibus expresso, possent facere fidem, si de ea re interrogarentur, sit tunc validum matrimonium tali modo contractum ? » S. C. reposuit : « Affirmative, quatenus testibus certo constet de praestatione consensus (1).

Item ob eamdem rationem si sacerdos assistens non erat proprius parochus nec delegatus, sed parochus proprius urbanitatis causa praesens erat (n. 946) (2) ; aut si expressioni consensus unus tantum formalis testis aderat, sed devota mulier in extremitate ecclesiae omnia vidit et audivit (3) : sponsi enim matrimonium publice in Ecclesia ineuntes, omnes qui in Ecclesia sunt, testes velle videntur ; licet parochus cautius agat, si absentiam testis advertens alium formalem testem substituat, ut recte monet Bangen *III*, *pag.* 35.

E contrario putamus matrimonium irritum esse, si parochus et testes, arrectis auribus, audiunt sponsos in alio cubiculo maritalem consensum exprimere (4) ; aut hoc audiunt fortuito per silvam transeuntes, nec a sponsis visi (5) ; aut audiunt convivii vel confabulationis vel aliud tractandi causa adstantes, sponsis prope fenestram inter se submissa voce consentientibus (6). In his enim casibus parochus et testes nullo modo adhibiti sunt : et matrimonium *praesente parocho et testibus*, si proprie loqui velimus, non est celebratum.

961. Praesentia moralis testium et praesertim parochi

(1) Vide aliam responsionem in Collect. Paris. *n.* 997.
(2) Bangen *III*, *pag.* 11.
(3) Bangen *III*, *pag.* 35.
(4) De Justis *II*, *XIX*, *n.* 104.
(5) Bangen *III*, *pag.* 25.
(6) S. C. C. supra citata.

Digitized by Google

saepe difficultates ingerit. Unde abs re non erit nonnulla exempla ex thesauro S. C. C. afferre. Plura habet folium S. C. in *Romana Matrimonii* 28 *Julii* 1730 quod proinde transcribimus :

« *Super dubio an affectante parocho non audire verba, vel non videre nutus attentantium clandestine contrahere matrimonium, et revera illa non audiente vel istos non videnle, validum sit matrimonium coram ipso attentatum*, acerrima est controversia inter theologos et canonistas, ut latissime videre est apud advoc. Ursajam *discept.* 2, *t.* 1, *p.* 2 *et disc.* 21, *t.* 4, *p.* 1 juxta Venetam impressionem. Quo vero ad resolutiones hujus S. C., plures adsunt quarum aliquas ad opportunitatem indicare mei muneris erit.

« In *Romana super dubiis matrimoniorum* de ordine Ssmi discussum fuit supradictum dubium, ac alterum : *An praesentia parochi debeat esse moralis humano modo et cum advertentia ita ut possit esse testis matrimonii actualiter et de facto contracti non vero voluntatis contrahendi ; vel sufficiat potius sola praesentia physica vel materialis.* S. C. sub *die* 7 *Martii* 1700 ita respondit: *Reprobata opinione quod sufficiat praesentia parochi pure physica seu materialis, providendum esse in casibus particularibus.*

« Deveniendo nunc ad casus particulares in *Giennensi* 26 *Julii* 1582 proposito dubio (4°) : *Si sacerdos adfuerit, nihil tamen eorum, quae agebantur vidit, neque audivit ; utrum tale matrimonium valide contrahatur, vel potius tamquam sine sacerdote nullius sit ponderis et momenti,* S. C. ita respondit : *Non valere, si sacerdos non intellexit, nisi tamen affectasset non intelligere*, ut in *lib.* 3 *decret. fol.* 59 *tergo...*

« In *Sarzanensi Matrimonii* 15 *Febr.* 1646 quaesitum fuit : *An matrimonium contractum absque denuntiationibus et sine licentia Ordinarii coram testibus et parocho contradicente, qui audivit tantummodo verba consensus per sponsum praestiti, dum prae manibus habens sponsam dixit :* QUESTA È MIA MOGLIE, *et audivit, quod sponsa dixit nonnulla verba, quae tamen non intellexit, an sit de jure validum et subsistat ?* S. C. ita respondit : *Matrimonium*

Digitized by Google

sustineri, etiamsi parochus non intellexerit verba sponsae, dum tamen de illius consensu ex aliis juxta juris communis dispositionem legitime constet.

« In *Patavina Matrimonii* 11 *Mai* 1669 responsum fuit pro validitate matrimonii clandestine contracti coram parocho, qui consensum sponsae non audivit; duo testes tamen adhibiti deponebant de verbis sponsae exprimentibus suum consensum, ut *lib. decret.* 26, *fol.* 227 *tergo.*

« In *Tolentina Matrimonii* 28 *Nov.* 1671 pariter responsum fuit pro validitate matrimonii, non obstante quod parochus non audiverit verba sponsae, non affectate, sed ex animi perturbatione : idem tamen parochus ex antecedentibus et subsequentibus credebat sponsos habuisse animum contrahendi, testes quoque deponebant de consensu sponsae ut *lib.* 27 *decret. fol.* 257 *tergo et sequ.*

« In *Venetiarum Matrimonii* 11 *Martii* 1673 S. C. pariter resolvit pro validitate matrimonii contracti coram parocho, qui tantum audivit verba foeminae, sed viri annuli traditionem aspexit : testibus deponentibus de utriusque expresso consensu *lib.* 28 *fol.* 41.

« In *Romana Matrimonii* 6 *Aug.* 1712 responsum etiam fuit pro validitate matrimonii contracti coram parocho, qui non audivit verba sponsi : sponsus pariter testatus est ipsum nullum verbum dixisse coram parocho : at mater puellae cum juramento deposuit fuisse explicitum utriusque conjugis consensum : et de hoc etiam deponebant plures connubii testes, asserentes etiam potuisse voces conjugum percipi a parocho, ut *lib. decret.* 62, *fol.* 293.....

« In *Amerina Matrimonii* proposita *die* 15 *Dec.* 1714 et resoluta 12 *Jan.* 1715 resolutum quoque fuit pro validitate consimilis matrimonii celebrati coram parocho, Missam celebrante, qui ita deposuit : *Mentre io celebravo Messa sentii un mormorio, che io stimai fosse qualche pazzo, e percio non mi voltai, ma continuando l'Evangelio, il medemo Tomasso Trenta replico, e non intesi altro, che queste precise parole :* QUESTA È LA MIA SPOSA, *ed io allora mi voltai un poco, e mi protestai, che non volevo assistere al preteso matrimonio, nè intesi altro dal detto To-*

Digitized by Google

masso Trenta, e molto meno dalla detta Maria Angelica, quale non parlo mai, nè fece atto alcuno, dal quale si potesse dedurre il suo consenso, etc. (1). Depositionem parochi ratificarunt duo testes praesentes celebrationi matrimonii qui solum addiderunt, quod sponsus brachio arripuerat sponsam genuflexam, ut rursum se erigeret, et quod illius manum tenebat. Quaedam vero mulier examinata, et alius testis deposuerunt utrumque conjugem protulisse verba mutuum consensum expresse designantia, ut exponitur in folio *diei* 12 *Jan.* 1715 *lib.* 65, *fol.* 1 *tergo et* 2.

« In *Balneoregiensi Matrimonii* 24 *Jan.* 1611 ad dubium propositum : *An constet de validitate matrimonii?* responsum fuit : *Renovandum esse consensum ad cautelam coram parocho et testibus ad formam Concilii.* Ibi enim parochus, sacrum celebrans, solum audivit sponsos asserentes : *Signor Curato state per testimonio*, eosque increpavit, dubitans quod matrimonium attentare vellent : testes praesentes deponebant fuisse interpellatos a viro ut testimonium perhiberent de matrimonio quod tunc contrahebant, et quod sponsi sese prae manibus habebant et unus ex illis deposuit quod : *Inginocchiatisi tutti due assieme, e tenendosi per la mano a piedi della pradella*, vir dixerit : *Signor Curato io voglio qui sposare Orsella, la voglio per mia moglie, ci volete voi sposare? e parole simili*, ut *lib.* 61 *decret. fol.* 36 *et sequ.* » (2).

Huc usque folium S. C. C. in cit. *Romana Matrimonii* 28 *Julii* 1730. Etiam in hac ipsa causa S. C. reposuit : « Renovetur consensus ad cautelam coram parocho et testibus

(1) *Latine* : Dum ego Missae sacrificium celebrabam, audivi strepitum quem putavi ab aliquo demente excitatum, et ideo non me verti ad adspiciendum, sed me prosequente Evangelii recitationem, idem Thomas Trenta rursus locutus est, et nihil aliud ego audivi quam haec verba exacta : *Haec est mea sponsa* ; et tunc ego me verti aliquantulum, protestans me nolle assistere praetenso matrimonio, neque aliud audivi a dicto Thoma Trenta, ac multo minus a dicta Maria Angelica, quae numquam locuta est, neque actum aliquem edidit a quo suus consensus deduci posset, etc.

(2) *Latine* : Genuflexis ambobus simul et se invicem manu tenentibus ad pedes summi gradus altaris, vir dixerit : *Domine paroche, ego volo ducere hanc Orsellam, volo eam in meam uxorem ; visne nos matrimonio jungere?* et similia verba.

Digitized by Google

juxta formam sac. Concilii ». Sponsi enim circa primam noctis horam convenerant in ecclesia parochiali S. Laurentii in Lucina, ubi vocato parocho sub mendicato titulo cujusdam gravis negotii, nullo adstante lumine, ambobus se ad invicem manu tenentibus, testibus praesentibus, vir dixit: *Padre Curato, questa è la mia sposa.* Ex quibus verbis parochus ipsum recognovit, et intelligens ex antecedentibus notitiis, quod tunc coram ipso matrimonium clandestine contrahere intendebat, statim exclamavit, et, vi omni adhibita, non curata vestis laceratione, aufugit. Ambo nupturientes et frater sponsi deponebant etiam sponsam consensum suum verbis statim postea manifestavisse, et ambo parati erant rursus matrimonium inire, si contractum foret nullum.

Omittimus posteriores S. C. resolutiones, quae eamdem prorsus doctrinam confirmant (1).

III

Personae quae decreto Tridentino obligantur.

962. Ut hanc materiam satis implexam clare exponamus, loquemur in primis de locis *in quibus decretum certe promulgatum fuit*; deinde de locis *in quibus certe promulgatum non fuit*; tandem de locis, *in quibus promulgatio est dubia.*

963. Ante omnia vero generaliter animadvertendum, quod si una pars ratione loci in quo habitat, vel ratione societatis in qua vivit, exempta est; ejus exemptio, propter individualitatem contractus, etiam alteri parti communicatur, ideoque neutra tenetur formâ Tridentina quoad validitatem matrimonii, et ita matrimonium clandestinum est validum, licet illicitum. Ben. XIV *De Syn. VI, VI, n.* 12, enarrat omnes qui in S. C. C. coram ipso Pontifice expenderunt quaestionem de validitate matrimonii clandestini haereticorum inter se aut mixti in Statibus Foederatis Belgii et Hollandiae, semel admissa validitate matrimonii haeretico-

(1) In *Segnensi* 22 *Sept.* et 17 *Nov.* 1736, *Carthaginensi Matrimonii* 7 *Apr.* 1 et 22 *Sept.* 1753, *Niciensi* 13 *Febr.* 1751, etc.

Digitized by Google

rum inter se, concordibus suffragiis admisisse quoquè validitatem matrimonii mixti (1), « quoniam cum conjugum alter tum ratione loci in quo habitat, tum ratione societatis in qua vivit, exemptus sit a Tridentinae synodi lege, exemptio qua ipse fruitur, alteri parti communicata remanet propter individuitatem contractus, vi cujus exemptio quae uni ex partibus competit, ad alteram secundum etiam civiles leges extenditur eidemque communicatur ». Ante Ben. XIV hoc principium nonnulli admittebant, alii negabant: sed post Ben. XIV omnes et in foro et in scholis illud retinent. Hoc tamen principium valet tantum pro matrimonii forma, non vero pro aliis impedimentis : proinde in his, etsi una tantum pars ligetur, e. g. in impedimento aetatis, disparitatis cultus etc., matrimonium irritum est. Non dubitamus hoc principium applicandum quoque esse matrimonio inter fidelem et infidelem, ita ut exemptio infidelis a forma Tridentina communicetur etiam fideli, et exemptio fidelis a forma civili forte constituta communicetur etiam infideli, ideoque matrimonium sine forma Tridentina et sine forma civili sit validum, obtenta dispensatione a *disparitate cultus* ; nisi in hac dispensatione aliud statuatur, aut aliud obsit impedimentum (n. 297).

964. 1° Si *in parochia decretum publicatum fuit* (nec postea revocatum), regula generalis est omnes obligare, ideoque matrimonium clandestinum inibi contractum esse nullum : omnes, inquam, tum incolas, ut patet, tum alienigenas et vagos, licet in ea parochia domicilium vel quasi-domicilium non obtinuerint, aut e loco veniant ubi decretum non viget. Nam quamquam peregrinus probabilius non teneatur legibus particularibus nec sui territorii, nec locorum per quae transiit, tamen quoad contractus subjicitur legibus sive scriptis sive non scriptis locorum in quibus fit contractus ex *cap. ult.*, *De foro competenti*, et *l.* 6 *ff. De evictionibus* (2). Hinc adagium juridicum hac in re : *locus regit actum*. Proinde e. g. matrimonium clandesti-

(1) Canonistae autem consulti non omnes id admiserant. Vide De Rosckovany *De matr. mixtis I*, § 49.

(2) S. Alph. *I*, *n.* 156 cum communi.

Digitized by Google

num in Galliis est irritum etiam inter Anglos transeuntes aut vagos.

Haec est doctrina communis (1), quae auctoritate SS. CC. RR. confirmatur contra Carriere *Comp. Matr. p.* 3, *c.* 4, *n.* 190 aliosque, qui probabilius putant valere matrimonium eorum qui e loco ubi lex Tridentina non viget, peregre profecti in loco ubi viget, clandestine contrahunt.

965. At cessat obligatio et matrimonium clandestinum est validum, imo et licitum, si lex in eo loco jam sit observatu impossibilis. Et quidem si per hypothesim observantia est impossibilis tum quoad praesentiam parochi, tum quoad testium praesentiam, obligatio penitus cessat. Si vero observantia est possibilis quoad praesentiam testium et impossibilis quoad praesentiam proprii sacerdotis ; obligatio cessat quoad parochi praesentiam, sed urget quoad praesentiam testium, ita ut matrimonium sit irritum, nisi coram duobus saltem testibus ineatur. Haec certissima sunt, et a SS. CC. RR. pluries tradita, quarum nonnulla documenta vide apud Ben. XIV *De Syn. XII, V, n.* 5, quibus alia addi facile possent. Ratio est quia in casu lex Tridentina opponitur juri naturali ad matrimonium ; in quo conflictu hoc praevalere debet.

Impossibilitas quoad praesentiam testium vix potest verificari, cum quilibet masculus aut foemina, usum rationis habens, possit esse testis, ut supra diximus. At impossibilitas quoad praesentiam proprii sacerdotis potest utique verificari, ut in Galliis tempore publicae perturbationis circa finem saeculi elapsi, et praesertim in locis missionum. Circa hanc igitur paulo immoramur, rem melius determinantes.

966. Et in primis impossibilitas hic intelligitur physica vel moralis in sensu lato ita ut comprehendat etiam seriam difficultatem, quando lex Tridentina « *observatu impossibilis aut difficilis fuerit* » ut ait S. C. S. Officii in instructione 6 *Julii* 1817. Nempe quando nupturientes *non possunt omnino parochum legitimum habere* (Pius VI ad Episcopum Lucionensem 28 *Maii* 1793) ; vel *nonnisi difficil-*

(1) Pirhing *IV, III, n.* 10. Sanchez *III, XVIII, n.* 26.

Digitized by Google

lime et periculosissime ad eum recurrere possunt (Pius VI, ad Episcopum Genevensem 5 *Oct.* 1793) ; vel *tutus accessus ad illum non est* (S. C. C. 18 *Jan.* 1863) ; vel ob persecutionem *non est Christianis facilis aditus* ad missionarium (S. C. de Prop. Fide 2 *Julii* 1827 *ad* 2um) ; vel *facilis ad eosdem* (parochos) *et tutus non patet accessus* (S. C. S. Officii 6 *Julii* 1817).

Casum singularem hujus impossibilitatis agit S. C. de Prop. Fide in instructione ad Praefectum missionum Insulae Curaçao *an.* 1785 circa matrimonia pauperum. Praefectus exposuerat auctoritatem civilem insulae legem tulisse, qua praecipiebatur catholicis matrimonium coram magistratu acatholico vel ministro protestante ante matrimonium religiosum coram parocho sub poena 500 florenorum. Ut autem contraherent coram magistratu acatholico vel ministro protestante solvendi erant ab ipsis contrahentibus 50 floreni, ita ut si illi vere pauperes essent et non haberent hujusmodi summam, contrahere matrimonium nullo modo possent, et nec parochus posset assistere, ne inflicta 500 florenorum mulcta puniretur. Quaerebat igitur quomodo parochus sese gerere deberet, si duo catholici matrimonium inter se contrahere vellent, et modum solvendi 50 florenos non haberent. S. C. respondit nihil obstare quominus matrimonium civile coram magistratu acatholico ante religiosum coram parocho catholico inirent, dummodo nullus sacer ritus, preces aut benedictio intervenerint. Deinde subdit : « Cum vero inopes et miserabiles personae, si cogantur magistratum aut ministrum protestantem adire, nequeant persolvere 50 florenos..., hinc parochus catholicus, constito primum sibi nullum inter contrahentes intercedere canonicum impedimentum ac illorum inopiam veram esse, permittat ut absque etiam sua assistentia matrimonium ineant, sed tamen praesentibus tribus vel saltem duobus testibus integrae fidei : ac ita celebrato matrimonio, teneantur conjuges citius quam fieri potest, illud parocho significare, qui in codice matrimoniorum illud saltem secreto adnotet cum indicatione diei ac nominibus testium qui praesentes fuerunt ».

Digitized by Google

967. Praeterea hujusmodi impossibilitas aut difficultas debet esse *diuturna*: non enim si parochus et Ordinarius per diem aut per hebdomadam desunt, fideles possunt coram testibus tantum matrimonium inire. S. C. S. Officii *die* 1 *Julii* 1863 respondens ad Episcopum Vallispranensem haec habet: « Iidem EE. PP. declararunt: Quando difficilis nec tutus est accessus, et ignoratur quandonam parochus haberi possit, et *praevidetur spatium saltem unius mensis a loco* abfuturus, nullusque alius sit, qui vices parochi suppleat, matrimonium valere absque praesentia parochi, servata tamen in eo quo potest, forma Concilii, nempe adhibitis saltem duobus testibus » (1).

Ballerini ad Gury *II*, *n.* 840 merito subdit: « Unde fit, ut quando prudenter censeri queat intra mensem non affore facultatem tuti accessus ad parochum, jam ex nunc et alia mora non interposita, ea forma matrimonium valide ac licite contrahi possit ».

968. Insuper debet esse *communis*. Casus impossibilitatis particularis idest pro uno et non pro aliis verificatur praesertim in articulo mortis, quando ad matrimonium ineundum parochus deest. Communissima sententia est matrimonium absque parocho et testibus initum in casu esse nullum (2), quia, ajunt, necessitas nequit reddere habilem, quem Tridentinum declarat omnino inhabilem. Nonnulli pauci apud Sanchez *l. c. n.* 3 putant probabile esse matrimonium in casu valere. His accedit Ballerini ad Gury *II*, *n.* 840; nam, ait iste, in casu perplexo valde probabile est ex benigna interpretatione voluntatis Ecclesiae cessare impedimentum (n. 767 sequ.), nempe necessitatem particularem reddere habilem, qui lege erat inhabilis: proinde a pari etiam in particulari impossibilitate valde probabile est impedimentum clandestinitatis cessare; in quo dubio juris impedimentum certe non urget (n. 254). Haec argumentatio difficile dissolvitur; sed in praxi non est recedendum a doctrina communi.

(1) Apud Konings *II*, *pag.* 395, et Marc *n.* 2071.

(2) Sanchez *III*, *XVII*, *n.* 4. D'Annibale *III*, § 326, *not.* 39. Pirhing *IV*, *III*, *n.* 7. S. Alph. *VI*, *n.* 1079. Santi *IV*, *III*, *n.* 47. Feje *n.* 304. Scavini *III*, *n.* 877.

Digitized by Google

At e contrario, stante communi impossibilitate, lex Tridentina obligat eum, qui adhuc potest adire proprium sacerdotem vel delegatum, aut saltem per litteras potest infra mensem obtinere a proprio sacerdote idest a parocho, vel ab Ordinario, vel ab ipso R. P. delegationem alteri sacerdoti, qui matrimonio assistat (3).

969. Quando haec impossibilitas praevidetur, ac illi occurri potest per delegationem aliis sacerdotibus factam assistendi matrimoniis, Ordinarius (ac forte ipse etiam parochus) tenetur hanc delegationem facere. S. C. de Prop. Fide 13 *Junii* 1625 : « Districte praecipiendo mandavit, ut ad majorem contrahentium commoditatem in diversis Japoniae locis sacerdotes saeculares vel regulares constituat (Episcopus) cum facultate speciali assistendi matrimoniis ». At si deficiente proprio sacerdote ac delegato, haberi queat alius sacerdos, necesse minime est pro validitate matrimonii ut coram eo una cum testibus celebretur, quia nihil ad stabilitatem conjugii praesentia ejus sacerdotis conferret. S. C. Cardinalium pro negotiis ecclesiae Gallicanae specialiter deputatorum *die* 22 *Apr.* 1795 in responsione *ad* 6um declaravit in iis rerum adjunctis *conveniens esse*, ut a quolibet sacerdote catholico *benedictio* recipiatur.

970. S. C. de Prop. Fide in epistola encyclica ad Episcopos et Vicarrios Apost. in Sinis, Tunkino, Cocincina *diei* 23 *Junii* 1830 indicat etiam modum, quo matrimonium in casu contrahi debet : « Si missionarius adiri nequeat et ineundi matrimonii urgeat necessitas, atque aliunde nullum omnino obstet impedimentum, tali casu parentes duos testes eligant, qui una cum sponso et sponsa, eorumque propinquis ad ecclesiam se conferentes, flexis genibus, consuetos fidei, spei, charitatis, contritionis actus in communi recitent, sicque sponsus et sponsa ad contrahendum matrimonium recte se disponant. Post haec surgentes sponsus, et sponsa coram praedictis testibus per verba de praesenti mutuum exprimant consensum, et post actas gratias Deo domum revertantur. Si autem ad ecclesiam ire nequeant, in privatis domi-

(1) Feje *n.* 304.

Digitized by Google

bus praedicta observentur. Postea vero data opportunitate, novi conjuges et testes missionarium adeant, ut ipsi de matrimonio rite inito legitime constet, et ab eodem benedictionem accipiant » (1).

De hac benedictione postea a proprio sacerdote petenda sermo erit n. 1022. Interim animadvertimus matrimonium fuisse validum, etsi hae caeremoniae servatae non fuissent : insuper testes in hisce casibus, si fieri potest, debere esse catholicos, vel saltem Christianos, uti pluries SS. CC. docuerunt (2), licet etiam coram paganis testibus matrimonium initum valeat.

971. Modo de haereticis agendum est, utrum et ipsi decreto Tridentino adstringantur ; quae quidem quaestio non sine aliqua confusione penes nonnullos AA. exponitur, et difficultate non vacat. Haereticis vero merito accensentur hac in re apostatae et schismatici. Infideles non teneri palam est.

972. Principii loco statuimus et haereticos *per se* hoc decreto obligari, ideoque clandestina matrimonia haereticorum inter se aut mixta irrita esse. Sane nusquam declarantur exempti, imo potius declarantur adstricti. Id ex ipso Conc. Trid. deducitur. Nam ut supra narratum est (n. 885). Concilium ideo praecepit singularem illum promulgationis modum, ut cum credibile non esset decretum promulgandum fore in haereticorum territoriis, ita eorum clandestina matrimonia valida remanerent. Hoc autem ostendit Concilium putavisse decretum publicatum afficere quoque haereticos, et hos non excludi nisi ex non peracta promulgatione. Clarius S. C. C. 8 *Jan.* 1678 probante Inn. XI declaravit : « Haereticos quoque, ubi decretum est promulgatum, teneri talem formam observare ac propterea etiam ipsorum matrimonia absque forma Concilii, quamvis coram ministro haeretico, vel magistratu civili contracta irrita et nulla esse ». Eamdem declarationem dederat eadem S. C. *die* 8 *Jan.* 1663. Et die 3 *Sept.* 1772 in instructione ad Episcopum Genevensem : « Intorno al 1° e 2° dubbio, che risguarda i matrimo-

(1) Collect. Paris. *n.* 994.

(2) S. C. pro negotiis ecclesiae Gallicanae, probante Pio VI, in epist. Cardinalis De Zelada ad Episc. Lucionensem 23 *Maii* 1793.

Digitized by Google

nii clandestini i quali si contraggono contro la legge del Concilio di Trento, è da osservarsi come, dove i contraenti hanno fissato il loro domicilio o quasi-domicilio in paesi nè quali è stata promulgata la legge Tridentina, siano pure eglino cattolici o eretici, sono tenuti a contrarre il matrimonio con quelle condizioni, che dalla medesima legge sono prescritte; altrimenti contraggono invalidamente... » (1).

973. Diximus tamen *per se* : nam si decretum in loco aut non fuit publicatum ; aut fuit publicatum pro catholicis, non autem pro haereticis (n. 891) ; aut saltem haec publicatio pro ipsis dubia est ; aut fuit publicatum quando omnes vel fere omnes catholici erant, et deinde nova haereticorum societas introducta est quae ea publicatione non afficitur (n. 895 *c.*) ; aut tandem pro haereticis fuit consuetudine contraria, vel potius R. P. auctoritate revocatum ; tunc admittimus ipsos illo non teneri. Proinde merito Pius VII ad Archiep. Moguntinum 8 *Oct.* 1803 de sententia quae tenet matrimonia haereticorum coram ministro acatholico inita generatim nulla esse, atque adeo validas fore secundas eorum nuptias, si modo coram catholico parocho contrahantur, ait : « Nec undique vera est nec satis tuta, neque idcirco in praxi quibuscumque in casibus indiscriminatim sequenda. Probe enim novit Fraternitas Tua hujus generis matrimonia rata et firma consistere iis in locis in quibus Conc. Trid. decretum vel numquam publicatum fuit, vel numquam observatum tamquam ejusdem Concilii decretum, vel si quando observatum fuit, longo dein temporis intervallo in desuetudinem abiit. Hinc factum est ut praefata opinio, quae matrimonia inter haereticos contracta coram ministro acatholico generatim nulla et irrita esse propugnat, adversarios semper habuerit et numero plures et auctoritate praestantissimos, adeo ut vix aliquem retinuerit probabilitatis gradum, maxime post editam a Ben. XIV

(1) *Latine* : Circa primum ac secundum dubium respiciens matrimonia clandestina quae contrahuntur contra legem Conc. Trid., observandum est quod ubi contrahentes domicilium vel quasi-domicilium stabiliverunt in locis in quibus lex Tridentina est promulgata, etiamsi sint catholici vel haeretici, tenentur ad contrahendum matrimonium cum illis conditionibus quae ab eadem lege praescriptae sunt ; secus contrahunt invalide...

Digitized by Google

an. 1741 pro matrimoniis Hollandiae celeberrimam declarationem ».

974. Utrum vero decretum Tridentinum in hoc aut illo loco censendum sit promulgatum vel non, revocatum vel non pro haereticis, saepe clarum nullatenus est, si praescindamus ab authenticis declarationibus Sedis Apostolicae. Proinde, cum ex alia parte de re agatur magni momenti, regula practica tenenda haec est : matrimonia haereticorum inter se vel mixta absque Tridentina forma valida sunt in illis locis, pro quibus S. Sedes ea valida declaravit ; sunt nulla in illis locis pro quibus S. Sedes nulla declaravit; deficiente declaratione, recurrendum ad S. Sedem. Modo non nullas hujusmodi declarationes recenseamus.

975. Ben. XIV edidit celebrem declarationem quae incipit *Matrimonia* pro foederatis Statibus Belgii et Hollandiae 4 *Nov.* 1741. Notandum est decretum Tridentinum publicatum in Belgio fuisse cura Philippi II Hispaniarum Regis, cui Belgium subdebatur; licet nonnulli putaverint, non sine fundamento, hanc promulgationem factam non fuisse ad normam Conc. Trid. (1). At deinde *an.* 1672 mutata est in Belgio rerum facies ; Belgium Hollandiae unitum est ; Respublica Batavorum intestinis bellis vexata ; fides catholica e provinciis proscripta; publica quoque sacramentorum administratio edictis vetita ; leges R. P. constantissime spretae. Atque ita societas religiosa catholica fere disparuerat et in ejus locum successerat haereticorum societas.

Quaeri tunc coepit utrum matrimonia clandestina haereticorum inter se aut mixta valida essent ob promulgationem decreti Tridentini prius factam. In praxi communi et constanti quaestio soluta fuerat pro validitate : sed plures canonistae ac theologi, ipsa S. C. C., et ipse Bellarminus in epist. ad Nuntium Apost. in Germania, Episcopum Tricaricensem, *an.* 1600, steterant pro nullitate. Sub Clem. XII haec quaestio rursus ad examen revocata fuit, ut decretoria decisione definiretur ; et Lambertinus, tunc in minoribus constitutus, consultus, aliis aliud sentientibus, opinatus est pro validi-

(1) De Roskovany *De matrimoniis mixtis*, *I*, § 47.

Digitized by Google

tate. Quum Clem. XII supremum diem obiisset, hanc quaestionem resolvit Ben. XIV *l. c.*, praevia sententia S. C. C. declarans valida pro illis Statibus matrimonia tum haereticorum inter se tum mixta, sine Tridentina forma, licet illicita, nisi aliud obesset dirimens impedimentum.

Rationes propter quas theologi et canonistae consulti concludebant matrimonia clandestina haereticorum inter se valida esse, variae fuerunt; easque refert idem Ben. XIV *De Syn. VI, VI, n.* 7 *sequ.* et fusius De Rosckovany *op. cit.*, § 49. Alii scilicet ita concludebant, quia facta promulgatio etiam pro catholicis certo non constabat; alii, quia, admissa etiam promulgatione, enata postea erat nova haereticorum societas quae illa promulgatione adstringi non poterat; alii, quia mens Conc. Trid. fuit haereticos eximere; alii tandem, quia putabant id religioni catholicae expedire. Quaenam ex istis fuerit ratio decidendi pro validitate, Ben. XIV non dicit.

Putamus fuisse alteram: nam non potuit esse prima, quia tunc etiam matrimonia clandestina catholicorum valida dicenda fuissent; non tertia, quia id absolute positum non est verum, licet verum videatur in hypothesi ab alterius rationis assertoribus considerata; non quarta, quia ex hoc tantum locus est potius dispensationi quam declarationi validitatis (1).

Semel vero admissa validitate matrimoniorum haereticorum inter se, omnes in Congr., concordibus suffragiis, ait Ben. XIV *De Syn. l. c., n.* 12, existimarunt valida quoque esse, licet illicita, matrimonia mixta ob principium n. 963 expositum.

976. Haec declaratio Ben. XIV verius non est dispensatio, sed simplex declaratio, ut nomen indicat, seu authentica legis Tridentinae interpretatio; non reddidit proinde valida matrimonia clandestina postea contrahenda, neque sanavit antea contracta, sed declaravit decretum in territorio promulgatum, juxta mentem Conc. Trid., non afficere haereticos in casu. Id tradit Pius VII, cujus verba retuli-

(1) De Rosckovany, *op. cit.*, § 51.

Digitized by Google

mus n. 891, colligitur aperte ex ipso declarationis textu, et indicat ipse Ben. XIV in epist. *Singulari Nobis* 9 *Febr.* 1747, § 17 : « Ex verissimis..... argumentis conjecturisque probatum est, Conc. Trid. cum novum illud dirimens impedimentum constituit, decretum suum ad ea matrimonia non extendisse, quae disceptationi a Nobis *an. 1741* solutae occasionem dedere » (1).

977. Quaesitum fuit a S. C. S. Officii : « An pro intelligentia celebris declarationis Ben. XIV pro Hollandia comprehendi possint sub nomine haeretici quinque sequentes classes : 1° Illi qui catholice baptizati a pueritia nondum septennali in haeresi educantur, ac haeresim profitentur ; 2° Qui non tam in haeresi quam ab haereticis educantur, nulla scilicet vel vix ulla haereticae doctrinae instructione accepta et cultu non frequentato, licet aliquoties participato ; 3° Qui adhuc pueri in manus haereticorum incidentes haereticae sectae adjunguntur ; 4° Apostatae ab Ecclesia catholica ad haereticam sectam transeuntes ; 5° Qui nati et baptizati ab haereticis adoleverunt quin ullam solemnem haereseos professionem emiserint ac veluti nullius religionis..... Igitur quid sentiendum sciscitatur Episcopus de istorum matrimoniis cum parte catholica initis ?... » S. C. 6 *Apr.* 1859 respondit : « Ad effectum matrimonii supra numeratos comprehendi in laudata Ben. XIV declaratione » (2).

978. Huc etiam spectat responsio ejusdem S. C. 17 *Nov.* 1835. Nam inter varia dubia 4um ita se habebat : « 4° Cum catholicus se simulat protestantem aut apostatam eo consilio, ut matrimonium ineat cum muliere catholica coram ministro protestante et duobus testibus, ejusmodi matrimonium est ne validum ? Resp. Negative. Cum enim alter conjugum haeresim simulet aut apostasiam, non ideo catholicam fidem ex animo deserit. Quocirca cum ambo conjuges sint reapse catholici, clandestinitatis impedimento tenentur. Quod si conjugum alter non haec simularet solum, sed vere animo a catholica fide deficeret ad haereticam

(1) Contrarium putat De Angelis *IV, III, n.* 8 ; sed verba Pii VII *l. c.* peremptoria sunt, sicut et relata verba Ben. XIV.

(2) Feje *n.* 319.

Digitized by Google

transiens pravitatem, tunc profecto mixtum exurgeret matrimonium quod ratum habendum esse ex superius dictis apparet ». Vide etiam responsionem S. C. S. Officii relatam n. 481 in nota.

979. Quamquam Ben. XIV *l. c.* emiserit simplicem declarationem, quae proinde similibus rerum adjunctis applicatur, tamen cum errandi periculum grave sit in re tanti momenti, S. Sedes saepius edixit Benedictinam declarationam non posse ad alia loca extendi, nisi a S. Sede : ipsa enim sua auctoritate, etsi facti species eadem non foret, potest ea matrimonia valida declarare. Loca ad quae extensa fuit, recensent Zitelli *l. c.* Mansella *l. c.*, eaque habes in Alleg. VI.

980. In aliis locis haeretici lege Tridentina tenebantur, sed Sedes Apostolica eosdem dispensavit : unde eorum matrimonia clandestina aut mixta jam valida sunt. Haec loca recenset Mansella *l. c.* et Zitelli *l. c.* Sunt autem *Bavaria* ex instructione Apostolicae Sedis 12 *Sept.* 1834 ; *Hungaria* ex instructione S. C. Neg. Extr. Ecc. 30 *Apr.* 1841 ; *Hibernia* ex decreto S. Officii *mense Martio* 1785 ; *Universum Regnum Russiacum et Regnum Poloniae eidem subiectum* ex decreto S. C. Neg. Extr. Ecc. *an* 1844 ; *Provinciae Renanae sub ditione Borussica* ex brevi Pii VIII ad Episcopos Borussiae Renanae *an.* 1830 ; *Georgia* ex decreto S. Officii *an.* 1845. Putamus autem nomine haereticorum ad effectum matrimonii etiam in hisce locis venire omnes illos, de quibus supra n. 977-978.

981. Ex dictis resolve casum peregrini aut vagi, qui ex loco ubi non viget, transit in aliquem ex his locis ubi matrimonia haereticorum inter se aut mixta valida sunt, licet decretum pro catholicis vigeat, ac ibi clandestine contrahit. Nam si peregrinus aut vagus est catholicus, vel contrahit cum catholica, et matrimonium est nullum ; vel contrahit cum haeretica, et matrimonium est validum, licet illicitum. Si autem peregrinus aut vagus est haereticus, semper validum est, etsi cum catholica initum sit illicitum : nam pro haereticis illis in locis decretum Tridentinum non viget. Quod si hic peregrinus aut vagus haereticus e loco veniat

Digitized by Google

ubi decretum Tridentinum viget, illius matrimonium potest esse quoque nullum juxta ea quae n. 984 sequ. dicemus.

982. E. contrario declaratum pluries fuit clandestina matrimonia haereticorum inter se aut mixta irrita esse in Galliis. S. Poenitentiaria *die* 28 *Martii* 1834 interrogata: « Utrum matrimonia ab haereticis inter se aut cum catholicis juxta solas leges civiles, seu coram ministro haeretico sine praesentia parochi catholici inita, valida sint in Galliis et in aliis regionibus, ubi, uti in Galliis, protestantes et haeretici omnes habent suos ministros, templa, seu statum legalem a gubernio probatum » ; reposuit : « Negative, exceptis regionibus, de quibus loquitur Ben. XIV in declaratione *diei* 4 *Nov.* 1741, atque ad quas per successores suos illa eadem declaratio extensa est ». Plura alia S. C. S. Officii responsa in eumdem sensum vide, si lubet, apud Perrone *II*, *p.* 222 *sequ.*

Id confirmatur ex responsione S. C.S. Officii data 31 *Aug.* 1887. Sophia S. Romae nata, religione schismatica ortodoxa, natione Russica, una cum suis parentibus ejusdem religionis et nationis domicilium vel quasi-domicilium habebat in civitate Nicensi. Matrimonium ibi contraxit cum Angelo G. Parisiensi, e secta protestantium, et matrimonium celebratum fuit tum in templo protestantium coram pastore, tum in ecclesia Russica coram sacerdote, non vero coram parocho catholico et testibus. Post varios annos vitae conjugalis mulier divortium civile petiit et obtinuit. Postea, conversa ad catholicam religionem, voluit ad alias nuptias transire cum viro catholico: proinde petiit a S. C. S. Officii ut vellet nullitatem primi matrimonii declarare, ideoque sibi permittere novum matrimonium cum viro catholico. S. C. respondit : « Praevio juramento ab oratrice Sophia S. in curia Ebroicensi praestando, quo declaret matrimonium clandestine initum ab ipsa cum Angelo G. non fuisse ab iisdem, scientibus illius nullitatem, ratificatum in loco ubi Tridentinum non viget, detur mulieri documentum libertatis ex capite clandestinitatis ».

Eodem proinde jure matrimonia clandestina haeretico-

Digitized by Google

rum aut mixta irrita sunt absque ullo dubio in Italia, in Hispania...

Huc usque de personis quae decreto *Tametsi* adstringuntur in locis in quibus hoc decretum promulgatum fuit.

983. 2° Si *in parochia decretum promulgatum non fuit* (aut fuit postea revocatum consuetudine vel auctoritate R. P.) regula generalis est neminem teneri, cum lex non promulgata non obliget. Proinde matrimonium clandestinum ibi celebratum est validum, licet initum absque benedictione sacerdotis illicitum sit. Id verum est, sive jure sive injuria omissa sit promulgatio (1).

984. Quaeritur utrum et alienigenae ibi valide contrahant sine forma Tridentina. Et quidem si alienigenae illuc appulerint e loco ubi pariter non viget, certum est, nemine dubitante, matrimonium valere, quicumque tandem fuerit eorum animus ; nulla enim est ratio nullitatis. Quaestio autem salebrosa est, si contrahentes illuc venerint e loco ubi viget ; e. g. si e Gallia pergant in Angliam, ibique matrimonium civile ineant.

Basis responsionis debet esse celebris declaratio S. C. C. *diei* 5 *Sept.* 1626. Proposita enim fuerunt ab Archiepiscopo Coloniensi Electore sequentia dubia : « An incolae tam masculi quam foeminae loci in quo Conc. Trid. in puncto matrimonii est promulgatum, transeuntes per locum in quo dictum Concilium non est promulgatum, retinentes idem domicilium, valide possint in isto loco matrimonium sine parocho et testibus contrahere ; 2° Quid si eo praedicti incolae tam masculi quam foeminae solo animo sine parocho et testibus contrahendi se transferant, habitationem non mutantes ; 3° Quid si iidem incolae tam masculi quam foeminae eo transferant habitationem illo solo animo, ut absque parocho et testibus contrahant ? Iidem Cardinales ad 1um et 2um non esse legitimum matrimonium inter sic se transferentes ac transeuntes cum fraude ; ad 3um vero dubiorum hujusmodi, si domicilium vere transferatur, matrimonium esse validum responderunt et resolverunt ».

(1) Mansella *I, IV, IV.* D'Annibale *III*, § 327. Santi *IV, III, n.* 41 cum communi.

Digitized by Google

Haec S. C. C. responsio dici etiam solet *decretum Urb. VIII*, quia Urb. VIII ad instantiam procuratorum Archiepiscopi Coloniensis, eam confirmavit brevi *diei* 14 *Aug.* 1627 (1).

Hanc responsionem exponimus ad examen revocantes tres casus propositos eisque connexos.

985. *a*) Titius et Sempronia e Gallia pergunt in Angliam, vel *transeunt* per Angliam, absque animo matrimonium ineundi, sola e. g. itineris vel negotiorum causa, retinentes domicilium vel quasi-domicilium in Gallia, quin uterque vel alteruter novum domicilium, vel quasi-domicilium in Anglia acquirat; et ibidem matrimonium clandestinum contrahunt, idest sine praesentia proprii parochi aut Ordinarii in Galliis aut sacerdotis de proprii parochi vel Ordinarii licentia, et duobus saltem testibus. Hic est primus casus S. C. propositus, ut ex verbis ipsis et ex contextu patet.

Jam vero de validitate istiusmodi matrimonii DD. inter se non conveniunt.

Plerique putant matrimonium valere. Ballerini ad Gury *II*, *n.* 839 haec habet: « *Communior* sententia cum Sanchez *III*, *XVIII*, *n.* 28. Pont. *V*, *IX*, *n.* 2. Reiff. *IV*, *III*, *n.* 123. Engel *IV*, *III*, *n.* 20, *concl.* 3 etc. tenet istos valide contrahere, etiamsi contractui illi nec parochum nec testes adhibeant. Ratio est quia peregrini non adstringuntur patriae legibus, quando extra eam vagantur, et praesertim quoad contractus, cujusmodi est matrimonium, cum in iis subjiciantur legibus et sortiantur forum locorum, in quibus versantur, uti edicitur *cap. fin. De foro comp.*, et *l.* 6 *ff. De evictionibus*. Neque obstat quod Tridentinum inhabilitaverit personas ad contrahendum sine praescripta solemnitate; inhabilitatio autem, ut dici solet, personam sequatur, sicut umbra sequitur corpus. Hoc enim procedit dumtaxat, quando persona inhabilitata fuerit absolute ac simpliciter et in individuo per sententiam judicis, secus vero si inhabilitatio sit generalis ex lege: tunc enim sequitur naturam legis et consequenter ubi lex non obligat, ibi nec obli-

(1) Ben. XIV in cit. epist. ad Archiepiscopum Goanum 19 *Mart.* 1758 (Alleg. VII). De Lugo *Resp. Mor. 1*, 36.

Digitized by Google

gat inhabilitatio, nec actus sequitur annullatio. Ita praeter allegatos etiam Barbosa *De off. Episc. p. II, all.* 32, *n.* 153, et Schmalz. *IV, III, n.* 110 ». Hanc doctrinam amplectuntur et illustrant etiam scriptores *Act. S. Sedis VII, pag.* 557 his verbis : « Et quidem admodum temperate cl. Ballerini hanc doctrinam mere dixit *communiorem*, quando ceu absolute *communem* eam tradiderunt et Reiff. *l. c.* et Pichler *IV, III, n.* 14, et Marcus Struggl *De Matr. lib. III, n.* 180 et Ferraris *v. impedimentum art.* 2, *n.* 110, quin et *communissimam* Georgius Gobat *tract. IX. n.* 484 eam professus est. Adde quod et Ferraris *l. c.* et Pichler *l. c.* et La Croix *l. VI, p. III, n.* 712 in hujus doctrinae confirmationem declarationes S. C. afferunt. Alioquin vero perpaucos omnino reperies, qui contrarium docuerint ». Tandem haec sententia confirmari videtur ex ipsa responsione S. C. C. Nam cum primum dubium respiciat hunc casum *sine fraude*, alterum respiciat casum *cum fraude*, et S. C. ad 1um et 2um respondeat matrimonium esse nullum in casu fraudis, sequi videtur esse validum in casu non fraudis. Et clarius etiam S. C. de Prop. Fide rescribens ad Episcopum Heliopolitanum 7 *Julii* 1670. Nam inter plura dubia proposita tertium hoc erat : « An qui in propria parochia Concilii decretum circa matrimonia audivit, possit in aliis locis in quibus non est publicatum decretum, sine parocho matrimonium contrahere ». S. C. reposuit : « Ad 3um licere juxta decretum ejusdem S. C. C., modo non fiat in fraudem » (1).

Alii minus communiter sed longe verius censent matrimonium in casu nullum esse (2). Ratio est quia lex Tridentina est localis simul et personalis, ita ut quatenus localis afficiat territorium, et quatenus personalis afficiat personas easque sequatur etiam in loco ubi lex non viget. Ita S. C. S. Officii, cujus verba retulimus n. 902. Confirmatur manifeste ex cit. decreto Urb. VIII. Nam certum est primum dubium respicere casum nostrum : atqui S. C. C. respondet

(1) Collect. Paris., *n.* 981. Decretum S. C. C., ad quod fit allusio, est decretum datum ad Episcopum Tricaricensem circa matrimonia Batavorum, uti ex responsione ad 1um dubium patet

(2) Scavini *III, n.* 874.

Digitized by Google

ad 1um *et* 2um *non esse legitimum matrimonium* inter sic se transferentes ac transeuntes cum fraude. Ad rem Ben. XIV ad Archiep. Goanum : « Hujus vero definitionis contextu bene perpenso facile intelligitur matrimonia primo et secundo loco exposita irrita ac nulla ab eadem Congr. decerni, eo quia fraus intercessit ». Et S. C. S. Officii in instructione 7 *Jun.* 1867 (n. 916) : « Juxta ea quae in hoc decreto (Urb. VIII) sanciuntur, qui domicilium habent et retinent in loco ubi Trid. lex viget, nequeunt valide matrimonium inire in loco ubi non viget, nisi ibi nedum habitationem, sed etiam vere domicilium fixerint, quo fraudem, si quae intercesserit, purgare omnino debeant ». Tandem idem probat, quidquid contra dicant *Acta S. Sedis l. c.*, responsio S. C. C. in *Parisiensi Matrimonii*, 25 *Jan.* 1873, de qua n. 989.

Si autem dicas nullam in casu *fraudem* adesse, respondemus : Cum partes teneantur ex dictis contrahere coram proprio parocho aut Ordinario in Gallia, nuptias clandestinas in Anglia ineuntes, ipso facto fraudem committunt, idest proprium parochum aut Ordinarium *fraudant* jure suo assistendi matrimonio per se vel per alium sacerdotem delegatum ; et hoc sensu *fraus* in subiecta materia sumitur, praecisiane facta ab interna contrahentium intentione. Hinc Ben. XIV in *Inst. Ecc.* 33, *n.* 9 ait : « Si quis domicilium suum minime relinquens e civitate vel oppido in quo degit, in alium locum proficiscatur, ibique matrimonium ineat, quin antea domicilium sibi vel quasi-domicilium comparaverit, illud omnino irritum (est), quia *cum fraude in proprium parochum conjungitur* ». Hic est sensus responsionis S. C. de Prop. Fide supra citatae.

His positis, in praxi si agitur de matrimonio ineundo matrimonium in Anglia fieri non debet nisi coram parocho aut Ordinario proprio in Gallia, aut coram alio sacerdote de eorum licentia, et duobus saltem testibus ; sed etiam si agitur de matrimonio contracto et ad forum contentiosum deducto, Officialis debet, ni fallimur, ob auctoritatem SS. CC., pro nullitate pronuntiare.

986. Quid vero si utraque vel alterutra pars est vaga? De hoc casu non loquitur S. C. C., atque ita responderi

Digitized by Google

potest. Si pars ita vaga est ut nullam habeat commorationis sedem, vel quia numquam habuit, vel quia locum in quo morabatur in Gallia, deseruit absque animo revertendi, certum est matrimonium valere ; nam pars vaga non tenetur decreto Tridentino, ideoque nec alia ob communicatam exemptionem (n. 963). Si autem locum commorationis in Gallia pars vaga deseruit cum animo revertendi, in sententia eorum (n. 917) qui putant proprium ipsius parochum esse quemlibet in mundo, matrimonium valet ; in sententia eorum qui censent proprium ipsius parochum esse tantum parochum loci commorationis in Gallia, est eadem quaestio, quam n. praec. exposuimus, quia pars vaga quae in Gallia tenetur, pergit in Angliam, ubi decreto non tenetur.

987. *b*) Titius et Sempronia e Gallia pergunt in Angliam solo animo sine parocho et testibus contrahendi, retinentes domicilium vel quasi-domicilium in Gallia, quin uterque vel alteruter acquirat novum domicilium vel quasi-domicilium in Anglia ; et ibidem matrimonium clandestinum contrahunt. Hic est alter casus propositus S. C. ; quae a fortiori respondet matrimonium esse irritum.

Notum est DD., agentes de legibus in genere, communiter admittere peregrinum lege particulari patriae suae non obligari juxta principium *cap. ult. De constitut. in* 6° : « Cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune ». Hoc autem posito, quaerunt utrum lege teneatur saltem peregrinus e loco discedens in fraudem legis. Nonnulli affirmant, inter quos Ben. XIV *De Syn. XIII, IV, n.* 10, qui id ostendit ex hac responsione pro matrimoniis, et ex. Clem. X Const. *Suprema*, 2 *Aug.* 1670, pro casibus reservatis. Alii negant, qui pro matrimoniis et casibus reservatis rem explicant ex positiva lege Ecclesiae, quae has duas exceptiones regulae generali fecit. Quidquid sit de quaestione generali, certum apud omnes est ex relato Urb. VIII decreto illum qui, in patria sua lege Tridentina obligatus, transiit in locum exemptum solo animo sine parocho et testibus contrahendi, lege ipsa nihilominus adstringi (1).

(1) Schmalz. *IV, III, n.* 112 ; De Lugo *l. c.* ; Reiff. *IV, III, n.* 108 cum communi post Urb. VIII decretum contra aliquos ante hoc decretum.

Digitized by Google

988. Quod dicitur in proposito dubio *solo animo* significat animum praecipuum, sine quo partes non discessissent (1). Ideoque matrimonium foret aeque nullum, si partes cum principali intentione, de qua mox, profectae, hanc nactae occasionem, aliquod deinde negotium in Anglia expedirent. *Sine parocho et testibus contrahendi,* idest contrahendi matrimonium in Anglia, seposito proprio parocho aut Ordinario in Gallia, quacumque tandem de causa nuptias in Anglia inire velint. Hinc « non valere matrimonium initum ab iis qui legem ignorabant, censuit S. C. C. 23 *Aug.* 1873 ; vel qui eam scientes alio discesserant ut ab injusta parentum (S. C. C. 3 *Apr.* 1841, 16 *Jun.* 1866) vel legis civilis vexatione (ex S. U. I. prob. Ssmo 22 *Apr.* 1858) sese redimerent; vel ut matrimonium inirent coram parocho consanguineo (ex S. U. I. prob. Ssmo 17 *Maii* 1804)..... » D'Annibale *l. c.*

Ex omnibus declarationibus, quas hic auctor verbis relatis indicat, sufficiat referre datam in *Gratianopolitana Matrimonii* 3 *Apr.* 1841. Vir nobilis matrimonium cum puella conditionis longe inferioris inire cupiens, cum timeret ne id vetitum esset per leges civiles quae parentum consensum necessarium statuunt, Londinum cum puella, omnibus insciis, est profectus, ibique post octo vel decem dies coram missionario in capella catholica matrimonium inivit. Quaestione mota de illius validitate, ac delata ad S. C. C., haec certior facta per S. C. de Prop. Fide missionarios Anglicos facultatibus peculiaribus ad assistendum matrimoniis non esse praeditos, declaravit : « Ex hactenus deductis non constare de validitate matrimonii, sed ad declarationem nullitatis esse procedendum confectione processus, servata saltem in substantialibus forma Const. s. m. Ben. XIV *Dei miseratione* incipientis, inspecto praesertim animo et tempore quo asserti sponsi commorati sunt nedum Londini sed etiam in districtu illius apostolici vicariatus ; quatenus autem Episcopo magis expedire visa fuerit matrimonii convalidatio, renovato consensu secreto, pro facultate

(1) D'Annibale *III*, § 327, *not.* 43.

Digitized by Google

dispensandi supra quovis impedimento juris ecclesiastici tantum, juxta solitas clausulas, quatenus adsit, ac etiam pro facultate sanandi in radice juxta formam, quatenus id necessarium duxerit, facto verbo cum Ssmo super omnibus ».

Quomodo vero *fraus* in sensu decreti Urb. VIII verificetur, quocumque tandem animo partes velint nuptias in Anglia contrahere sine parocho (proprio) et testibus, vide n. 987 in fine.

989. Quid vero si una tantum pars Angliam petit solo animo contrahendi sine parocho et testibus? E. g. Titius jam est in Anglia negotiorum causa sine domicilio vel quasi-domicilio, dum Sempronia, videns suos parentes continuo magis matrimonio obstare, Angliam petit ut ipsi nubat. Dubium propositum S. C. C. ejusque responsio respiciebat utramque partem hoc animo discedentem: sed ex dictis solutio quaestionis facilis est. Nam Sempronia per se tenetur lege Tridentina (n. prace.). Si Titius ratione loci quem inhabitat, hac lege non teneretur, statim sequeretur ex notissimo principio de communicatione habilitatis, matrimonium valere. At cum nec ipse Titius verius exemptus sit (n. 985), nulla superest ratio pro validitate.

Confirmatur ex responsione S. C. C. in *Parisiensi Matrimonii* 25 *Jan.* 1873, cujus haec est species. Albertus L. *an.* 1867 illicitis amoribus sese implicuit cum Armanda R. muliere perditissimis moribus. Aegro animo parentes hanc Alberti calamitatem ferebant, et nihil intentatum reliquerunt ut a pessima consuetudine juvenem abducerent. Tandem indignatione parentum, bonorum interdictione ac vitae turpitudine defatigatus Albertus melioris consilii propositum amplecti visus est, atque, ejus matre suadente, in Americam profectus, eo appulit *die* 10 *Mart.* 1868. Hoc animo iter suscepit ut, peregrinatione distractus, obscoenum amorem deponeret; et revera in America continuo huc illuc vagatus est. Interim Armanda juvenem litteris tentare coepit; deinde *die* 11 *Augusti*, in Neo-Eboracensem civitatem pervenit; et triduo post in eadem civitate, in qua decrētum Tridentinum pro catholicis publicatum non fuit, coram sacerdote rectore ecclesiae catholicae S. Vincentii de Paula ac

Digitized by Google

duobus testibus matrimonium initum fuit. S. C. C. edixit nullum hoc matrimonium; et tamen una Armanda discesserat ex intentione contrahendi matrimonium.

990. Tandem supponamus contrahentes, qui eo animo e Gallia pergunt in Angliam ibique clandestinas nuptias ineunt, esse vagos, quia in nulla parochia in Gallia domicilium vel quasi-domicilium habent, aut quia discedentes in Angliam illud dereliquerunt. Neque de hoc casu agit Urb. VIII decretum, cum loquatur *de retinentibus domicilium*; et eadem est responsio quam simili quaestioni dedimus n. 986. Nimirum si pars ita vaga est ut nullam habeat commorationis sedem, matrimonium valet; secus matrimonii valor incertus est, ideoque pro eodem stare in praxi debemus. Plures AA. e. g. Schmalz. *IV*, *III*, *n.* 112, Reiff. *n.* 129, de hoc casu agentes, solutionem ex alio principio desumunt, quod abs re esse putamus.

991. *c*) Titius et Sempronia e Gallia pergunt in Angliam solo animo matrimonium ineundi; sed ante matrimonium domicilium vel quasi-domicilium in Anglia obtinent. Hic est tertius casus propositus S. C.; quae respondit matrimonium valere etiam sine proprii parochi aut Ordinarii in Gallia praesentia aut delegatione. Nimirum in genere lex Tridentina obligat in fraudem discedentes e patria in qua ipsa viget, etiam in loco a lege libero; sed Urb. VIII excipit illos, qui in eodem domicilium vel quasi-domicilium ante nuptias acquisiverunt. Neque in hac re fuit umquam aliquis DD. dissensus.

992. Quid vero si una tantum pars in Anglia domicilium vel quasi-domicilium obtinuit, alia autem in fraudem discessit? Matrimonium est validum, quia prior pars est habilis ex dictis, ideoque et altera ob communicationem habilitatis. Nusquam enim legimus fraudem unius communicationem habilitatis excludere. Hic casus occurrit in *Parisiensi Matrimonii* 12 *Aug.* 1882, cujus speciem dedimus n. 693. S. C. nullum quidem declaravit matrimonium, sed plures aliae aderant nullitatis causae, praesertim defectus consensus, qui videtur fuisse ratio decidendi. Caeterum haec doctrina videtur esse communis: eam tenent Engel *IV*, *III*,

Digitized by Google

n. 20, Feje *n.* 338, Bangen *III, pag.* 19, Schmalz. *IV, III, n.* 108, Reiff. *IV, III, n.* 121.....

993. 3° Tandem si *in parochia dubia est decreti promulgatio*, nemo pariter incolarum tenetur, cum lex dubia non obliget. Proinde matrimonia, clandestine inita, illicita quidem sed valida sunt et remanent, etsi postea, re melius perpensa, peractae publicationis certitudo appareat.

Hinc exorto dubio num decretum fuerit rite promulgatum in Promontorio Bonae Spei, S. C. S. Officii 22 *Jul.* 1840 decrevit: « Non satis constare decretum Tridentinum ibi fuisse publicatum ; *optime autem se gerere* missionarios, dum matrimonia in forma Tridentini celebrare satagunt ». Et S. C. C. interrogata: « An quando mulier catholica cum haeretico, vel e contra, matrimonium, praesente ministro haeretico, contrahit in loco in quo dubitatur an sacrum Conc. Trid. fuerit publicatum, debeat coram parocho catholico iterum contrahere » respondit *die* 13 *Nov.* 1638 : « Si non constat de publicatione sacri Conc. Trid. in parochia contrahentium, non esse invalida matrimonia coram ministro haeretico contracta; si vero constat de publicatione sacri Concilii in parochia saltem ex illius observantia per aliquod tempus tamquam decreti sacri Concilii, ad validitatem matrimonii requiri ut coram parocho catholico iterum contrahant ».

IV

Sanctio a Conc. Trid. suo decreto apposita.

994. In primis Conc. Trid. *l. c.* « parochum vel alium sacerdotem qui cum minore testium numero, et testes qui sine parocho vel sacerdote hujusmodi contractui interfuerint, nec non ipsos contrahentes graviter arbitrio Ordinarii puniri praecipit ». Episcopus posset etiam poenas latae sententiae pro sua dioecesi ferre (1). Deinde vero statuit: « Quod si quis *parochus vel alius sacerdos* sive regularis sive saecularis sit, etiamsi id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiae sponsos, sine illorum parochi licentia, matrimonio *conjungere aut*

(1) Sanchez *III, XLVII, n.* 9.

Digitized by Google

benedicere ausus fuerit, ipso jure tandiu *suspensus maneat*, quamdiu ab *Ordinario* ejus parochi, qui matrimonio interesse debebat, aut a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur ».

In *Clem.* 1ª *De privilegiis* regularis sub poena excommunicationis latae sententiae prohibetur sine parochi licentia matrimonia solemnizare. Haec poena jam sublata erat per Tridentinam suspensionem, quidquid contra dicat Sanchez *III*, *XLVIII*, *n.* 8, ita declarante S. C. C. apud Thesaurum *De poenis cap. I*, *v. Matrimonium* et Gallemart ad cit. *cap. I*, *sess. XXIV* Conc. Trid. (1); sed si non suspensione Tridentina, certe Const. *Apostolicae Sedis* illa excommunicatio evanuit.

Sufficiat igitur declarare poenam suspensionis, quae etiam post cit. Const. perdurat, utpote lata a Conc. Trid.

995. In primis hanc suspensionem incurrit *parochus* vel *sacerdos* : unde non clericus inferior qui, cum neque parochus sit neque sacerdos, conjungit aut benedicit alienos parochianos sine debita licentia; nomine enim sacerdotis in materia poenali non veniunt diaconus, subdiaconus aliique (2). At si clericus non sacerdos esset parochus, incurreret suspensionem, quia respectu parochi Concilium qualitatem sacerdotii non exigit. Imo illa verba Concilii *parochus vel alius sacerdos* stricta significatione non videntur comprehendere Ordinarium, qui proinde ab ea censura foret immunis.

996. Praeterea Concilium *l. c.* ait *ausus fuerit*. Atqui quando canon poenas infligit in illos, qui aliquid facere *ausi fuerint*, *praesumpserint*, *ausu temerario fecerint*, vel quid simile, excusat quaelibet ignorantia tum invincibilis, tum vincibilis, etiam crassa et supina, et etiam affectata juxta meliorem sententiam saltem ex principio reflexo. Igitur in casu nostro parochus aliusve sacerdos ignorans hanc censuram evitabit.

997. Insuper haec suspensio manet parochum aut sacerdotem qui ausus fuerit *conjungere* aut *benedicere*, *etc.*

(1) Giraldi *I*, *sect.* 891.
(2) Sanchez *III*, *XLIX*, *n.* 3.

Digitized by Google

Conjungere; scilicet consensum matrimonialem recipere sive cum caeremoniis Ritualis, sive his praetermissis, quin officiat hanc conjunctionem esse nullam. Quod si alienus parochus aut sacerdos alias caeremonias Ritualis suppleat, omissa expressione consensus, quae antea locum habuerat, censuram non incurrit, quia sponsos non conjungit. *Benedicere*; ea scilicet benedictione, quae habetur in Missali. Excipe casum necessitatis, quo proprius parochus desit: tunc enim haec benedictio a quolibet sacerdote catholico peti et dari potest (n. 969). Si in dioecesi alia benedictio recepta sit, putamus, ea impertita, alienum parochum aut sacerdotem censura non irretiri; quia lex poenalis restringenda videtur ad benedictionem juris communis. Item censuram effugit, si ausu temerario alteri sacerdoti licentiam concedit conjungendi aut benedicendi, sed ipse nec conjungit nec benedicit (1).

998. Quaeritur *a quo* suspensus sit? Huic quaestioni ita respondet Giraldi *l. c.*: « Huic dubio satis apte, meo judicio, respondet Sanchez *tract. de censur. disp.* 31, *sect.* 3, § 6, *n.* 18, *pag.* 570, *tom.* 5, *edit. Venetiis an.* 1606 sentiens neque parochum alienum, neque sacerdotem beneficiatum in hoc delinquentem suspensum esse ab officio et respective beneficio, sed ab officio sacerdotali, eo pari modo quo suspensus dici deberet simplex sacerdos tam saecularis quam regularis. *Non est verosimile* (sunt ejus verba) *voluisse Concilium suspendere illos sacerdotes ab omni officio et beneficio, ut verbum illud simpliciter prolatum indicare videtur, tum quia peccatum illud non apparet dignum tanta poena, tum etiam quia illa poena indifferenter fertur in parochos et simplices sacerdotes tam regulares quam saeculares, et ita videtur solum suspensione communi omnibus illis. Censeo igitur illam esse suspensionem ab officio sacerdotali, quia juxta canonum intelligentiam ex materia subiecta determinatur poena, ut in eo quis puniatur, in quo deliquit* (2).

(1) Sanchez *III, XLIV, n.* 2.
(2) D'Annibale *III*, § 328, *not.* 50. Suarez *De censuris III*, 31, 18. San-

Digitized by Google

999. Tandem ab hac censura absolvit *Ordinarius* proprii parochi; hinc et Vicarius Generalis (1) aliique Ordinarii.

Articulus II

De nuptiarum ritu.

1000. Nuptiarum ritus, uti alias diximus, consistit in illis caeremoniis Ritualis Romani, quae ipsam matrimonii celebrationem comitari solent, et in subsequenti benedictione nuptiali in Missa votiva *pro sponso et sponsa*, quae prostat in Missali. At « si quae provinciae aliis, ultra praedictas, laudabilibus consuetudinibus et caeremoniis hac in re utuntur, eas omnino retinere S. Synodus vehementer optat » Conc. Trid. *l. c.*; quod et Rit. Rom. circa finem monet. Ita nonnullae dioeceses praeter illam Missalis, aliam quoque habent nuptialem benedictionem quae extra Missam datur. Caeterum pro commoditate parochorum in qualibet dioecesi adest parvus liber qui omnia, quae agenda sunt, describit: parochus igitur illum sequatur.

Aliquando ipsae caeremoniae Ritualis appellari solent *benedictio nuptialis*, et revera continent benedictionem. At proprie loquendo haec appellatio reservatur benedictioni Missalis (aliique in dioecesi receptae) post initum matrimonium: nam Conc. Trid. *l. c.* aperte distinguit inter conjunctionem et benedictionem sponsorum, et ex Rit. Rom. nullum potest esse dubium. Ad confusionem evitandam benedictio Missalis a nonnullis appellatur *solemnis nuptiarum benedictio* (2).

Loquemur in primis de caeremoniis Ritualis; deinde de nuptiali benedictione.

chez eamdem sententiam retinet *III, LI, n.* 13. Pirhing *IV, III, n.* 43.

(1) Giraldi *l. c.* cum Sanchez *III, LII, n.* 4.

(2) Ben XIV *Inst. Ecc.* 80, *n.* 9 *sequ.* Bangen *III, pag,* 59. Feje *De matr. mixtis, pag.* 250.

Digitized by Google

§ 1. — *De caeremoniis Ritualis.*

1001. Parochus *in genere* tenetur in conscientia easdem sedulo servare, ita ut negligens a peccato excusari non posset. Omissio omnium grave peccatum foret; singularum leve, si forte excipias juxta nonnullos sponsorum interrogationes (1). Sane ritus ab Ecclesia praescripti in administratione et susceptione sacramentorum negligi sine piaculo non possunt; atqui ii sunt ritus ab Ecclesia praescripti in administratione et susceptione sacramenti matrimonii.

Etiam in secundis nuptiis, licet mulier vidua sit et jam benedicta, omnes caeremoniae Ritualis servandae sunt: nam in casu prohibetur tantum benedictio solemnis Missalis, prouti edixit S. C. de Prop. Fide 21 *Sept.* 1843. Insuper quaesitum fuit: « Utrum in nuptiis, quae secundae dicuntur, omittenda sit benedictio annuli »? S. R. C. 27 *Aug.* 1836 reposuit negative.

Haec benedictio Ritualis est functio parochialis; et si fiat ab alieno parocho aut sacerdote sine debita licentia, matrimonium est nullum, et censura incurritur, de qua supra.

1002. Diximus tamen *in genere* has caeremonias servandas esse. Nam in sequentibus casibus ex parte vel ex toto licite praetermittuntur.

1° In matrimoniis *mixtis*, in quibus parochus passive habere se debet, prout exposuimus n. 457.

1003. 2° Quando uterque conjux infidelis vel alteruter ad religionem catholicam convertitur, attendenda est sequens S. C. S. Officii responsio. Ad dubia: « 1° Se siano da supplirsi le ceremonie nuziali, allorchè richiedansi dai conjugi sposati nell' infedeltà, nel caso che ambedue siansi convertiti; 2° Se siano da supplirsi le stesse ceremonie nel caso che uno dei conjugi sia battezzato, e l'altro sia rimasto nel l'infedeltà » (2). S. C. 2 *Jun.* 1860 reposuit: « Ad 1um con-

(1) Sanchez *III, XXXVIII, n. 6 sequ.* Bangen *III, pag.* 56. Pirhing *IV, III, n.* 22.

(2) *Latine*: An sint supplendae caeremoniae nuptiales, cum requiruntur a coniugibus desponsatis in infidelitate, in casu quo uterque eorum conver-

Digitized by Google

juges infideles, si fideles facti sint, optime facere, si Ecclesiae benedictionem recipiant; adstringi tamen ad id non debere. Ad 2um negative ».

1004. 3° Si matrimonium jam contractum fuerat, ita ut nullum dubium sit de illius validitate, debent quidem aliae caeremoniae suppleri, sed non debet consensus renovari, nec parochus debet pronuntiare formulam: *Ego vos conjungo*, sed reliqua tantum peragere, declarans haec non ad validitatem conjugii, sed ad ritum tantum pertinere.

Haec illustrant sequentes declarationes.

1005. Proposita fuere S. C. de Prop. Fide plura dubia, inter quae quartum ita se habet: « 4° Quando datur benedictio nuptialis iis qui jam valide matrimonio juncti sunt, debetne recitari formula: *Ego vos conjungo in matrimonium*, sine renovatione consensus? Quid quando dubitatur, (ut saepissime) an jam valide contraxerint necne? » S. C., 5 *Julii* 1841, reposuit: « Ad 1am partem detur instructio *an.* 1806, quae est non teneri conjuges hujusmodi consensum renovare, ubi nullum adsit dubium de matrimonii jam contracti validitate ob aliquod impedimentum, neque sacerdotem recitare debere formulam: *Ego vos* etc., sed reliqua tantum peragere, quae in Rit. Rom. de benedictione traduntur. Ad 2am partem consulat probatos AA. » (1).

1006. Et *die* 29 *Febr.* 1836 eadem S. C. scribebat ad Vicarium Generalem Nankini: « Refers nonnullos missionarios negligere nuptiarum benedictionem, et quaeris utrum ipsi compellendi sint ad nuptias benedicendas. Non ignoras in instructione super matrimoniis, quae in istis regionibus contrahuntur, absente missionario, *praecipi conjugibus*, ut cum missionarius ad eos visitandos accesserit, coram eo se sistant ut benedictionem accipiant nuptiarum, quamvis eae jam valide contractae censeantur, ob quam causam abstinere debent a consensus renovatione. Quamobrem vides reprehensione dignum esse missionarum qui hujusmodi benedictionem petentibus negligat impertiri. Utinam omnes his

tatur; 2° An sint supplendae eaedem caeremoniae in casu quo alter e conjugibus sit baptizatus, alter remanserit in infidelitate.

(1) Collect. Paris, *n.* 1043.

Digitized by Google

benedictionibus cumulari studerent! Facilior enim in dies evaderet via medendi scandalis, quae a clandestinis matrimoniis oriuntur ».

1007. Item in instructione *diei* **14** *Jan.* 1821 (Alleg. II) eadem S. C. haec habet: «... Contrahentes (coram duobus testibus sine parocho in casu impossibilitatis), ne sacramenti dignitas vilescat, *obligentur lege* sistendi se coram missionario vel parocho quandocumque reduci, ut rite ab eo benedictionem accipiant. Missionarius autem vel parochus redux, quando sibi de consensu conjugum constiterit, antequam conjuges benedicat, eos condocefaciat hujusmodi benedictionem ad ritum unice, non ad validitatem pertinere conjugii, ac propterea non committat ille ut rursus consensio per nova verba exprimatur ».

1008. Et S. C. S. Officii *die* 6 *Julii* 1817: « Hisce tamen in casibus conjugatorum dispositio se praesentandi, cum primum licuerit, proprio parocho seu vices ejus obtinenti, ut nuptialem benedictionem consequantur, laudari meretur, non quidem ea de causa quod haec pro validitate ipsorum matrimonii jam valide in ejus absentia contracti necessaria sit, sed potius ut gratias et peculiaria auxilia, sacro huic ritui adnexa, consequantur, atque statim ac valent, eoque modo quo valent, satisfaciant Ecclesiae praecepto implorandi a proprio sacerdote earum nuptiarum benedictionem, quae sine ipso jam antea initae valide fuerunt. Neque supervacaneum erit hic memorare etiam ante Tridentini irrita matrimonia clandestina reddentis decretum, matrimonii sine parocho et testibus celebrationem illicitam atque peccato obnoxiam fuisse..... Quamobrem illis in locis, ad quae Tridentini lex haud extenditur, seu quia minime publicata fuerit, aut in desuetudinem abierit, vel quod observatu impossibilis aut difficilis fuerit, matrimonium quidem, non servata conciliari formâ, irritum et nullum non est; illicitum tamen atque culpabile erit ob actualem ad eam violandam comparationem respectu ad eos qui ipsius observandae, ubi opportunitas aderit, animum minime habent. Hinc factum est ut S. haec C. in instructione quam *an.* 1780 ad Vicarium Apost. Lutchuan transmisit, dum consensus

Digitized by Google

renovationem ante proprium sacerdotem haud necessarium esse declaravit, quoties matrimonium extra ejus praesentiam valide contractum fuisset, simul tamen adjecerit: *Voluisse Sanctitatem Suam adhortandos esse fideles, ut missionario reduci se sistant ab eoque benedictionem petant, praevia tamen declaratione a missionario facienda benedictionem hujusmodi ad matrimonii validitatem neutiquam pertinere.* Non itaque fundamento caret opinio P. Francisci a Brenno (*Manual. Miss. lib. III, cap. V, quaest.* 24, § *h*) qui eos haud absolutionis capaces esse propugnat, qui nuptias coram parocho ad accipiendam ab ipso nuptialem benedictionem inire recusant, licet sine illo illiusque benedictione valide contrahere valeant, adeoque tali pacto se prave ad recipiendam sacramentalem absolutionem dispositos ostendunt ob eam, quam gerunt, minime obtemperandi Ecclesiae voluntatem, et quidem, ut ille ait, in re tam gravissima: unde concludit: *Nolentes autem Ecclesiae obtemperare nedum sacramentalis absolutionis incapaces sunt, utpote prava affecti voluntate, verum etiam ut ethnici et publicani ab Ecclesia merentur omnino repelli juxta Christi D. oraculum* (*Math. XVIII*) ».

1009. Ex dictis clarum est, inito valide matrimonio, praeceptum grave manere sponsos petendi hanc Ritualis benedictionem. Si quandoque dicitur *hortandos esse fideles*, haec est hortatio ad praeceptum implendum, uti ex declarationibus allatis constat. Haec vera sunt non modo de matrimonio defectu parochi coram testibus contracto, sed in genere de matrimoniis validis clandestinis.

Modo breviter de singulis caeremoniis in specie.

1010. Matrimonium celebrari solet ante altare majus, sive, hoc impedito, ante aliud altare.

Sponsus stat a dextris sponsae, testes prope adstant vel juxta vel retro post sponsos ut videre et audire possint.

In nonnullis dioecesibus inoleverat usus ut in celebratione nuptiarum velum album explicaretur super utrumque sponsum. S. R. C. interrogata die 7 *Sept.* 1850 in *Rupellensi* hunc usum prohibuit et reprobavit.

Digitized by Google

Sacerdos indutus est superpelliceo, sicut clericus qui librum et vas aquae benedictae defert.

De lumine adhibendo nil habet Rituale : unde attendenda consuetudo.

1011. Statim sponsi interrogantur lingua vulgari, prius vir, deinde mulier, et uterque suum consensum exprimit verbis, aut signis (si verbis uti nequit), ita ut parochus et testes de illo dubitare nequeant. Mutuo contrahentium consensu intellecto, sacerdos jubet eos invicem nudas jungere dexteras, dicens : *Ego vos conjungo* etc., vel aliis usus verbis juxta receptum uniuscujusque provinciae ritum. Ita Bangen *III*, *pag.* 53 narrat in sua dioecesi Monasteriensi hanc esse formulam : « Et ego matrimonium per vos contractum confirmo et ratifico in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen ». Quae melius exprimit theologicam doctrinam de ipsis contrahentibus sacramenti ministris.

1012. Sequuntur benedictio annuli aliaeque preces. Si plura matrimonia eodem tempore celebrantur, possunt in communi fieri numero plurali. S. C. S. Officii 1 *Sept.* 1841 declaravit : « Quando plures simul copulantur, accepto primum singulorum consensu, et rite celebratis singulis matrimoniis, dictaque pro singulis a parocho forma : *Ego vos conjungo in matrimonium* etc., nihil obstat quominus benedictiones annulorum et reliquae benedictiones fiant in communi per verba generalia ».

In nonnullis dioecesibus non unus, sed duo annuli benedicuntur, alter pro sponso, alter pro sponsa. Alibi una cum annulo benedicitur numisma (*une médaille*), quod in memoriam initi conjugii servatur ; aut etiam nummus (*une monnaie*) ; quam ultimam consuetudinem reprobare non audemus, sed minus laudabilem invenimus.

Usus, quo in mutuae dilectionis ac fidei signum annulus traditur, antiquissimus est. Materia, ex qua annulus conficiendus est, non est determinata. Si annulus in ordine ad illud matrimonium jam fuerat benedictus, omittitur benedictio ; secus si fuerat benedictus in ordine ad aliud matrimonium. Quando frangitur, amittitur, aut usu teritur, novus benedicitur eadem Ritualis formula.

Digitized by Google

Vir annulum benedictum de manu sacerdotis acceptum immittit in digitum annularem sinistrae manus sponsae: quia antiquitus invaluerat opinio ab eo digito nervum quemdam aut, ut alii dixerunt, venam usque ad cor pergere.

Dum vir annulum digito sponsae inserit, parochus pronuntiat verba: « *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen* ».

In nonnullis locis mos est ut junctae manus sponsorum infima stolae parte tegantur aut ligentur; qui mos nulla censura dignus videtur (1).

§ 2. — *De benedictione nuptiali.*

1013. Expletis Ritualis caeremoniis, si nuptiae benedicendae sunt, celebratur Missa votiva *pro sponso et sponsa.* In ea sunt duae orationes, una post orationem Dominicam, et altera post *Benedicamus Domino*; quae orationes sunt benedictio nuptialis.

1014. Principii loco notandum est hanc benedictionem non posse abstrahi a Missae celebratione et dari extra Missam, non obstante contraria consuetudine. S. R. C. interrogata: « An vigentem pluribus in locis consuetudinem matrimonium celebrandi hora pomeridiana, simulque benedictionem nuptialem, sic extra Missam, etiam tempore vetito, ex Ordinarii licentia, dandi, liceat retinere, cum vix spes sit fideles adigendi vel ad mutandum celebrationis matrimonii tempus vel ad benedictionem supplendam? » reposuit *die* 7 *Sept.* 1850 in *Rupellan*: « Servetur Rituale Romanum ». Porro ex Rit. Rom. benedictio nuptialis dari non potest nisi intra Missam. Possemus et alias SS. CC. RR. responsiones et declarationes citare, sed in re certissima inutile putamus.

Equidem S. R. C. *die* 1 *Sept.* 1838 rescripserat hanc benedictionem posse extra Missam dari; sed deinde *die* 23 *Jun.* 1853 ab illa decisione recessit. Id exponit ipsa S. R. C. in *Emolen.* 26 *Mart.* 1859: « Eme, et Reme Dne Obme. Etsi S. R. C. *an.* 1838 *die* 1 *Sept.* rescripserit in *Eysteten.* nihil ob-

(1) Bangen *III, pag.* 55-56.

Digitized by Google

stare, quominus benedictio nuptiarum in Missali praescripta intra Missam, extra ipsam Missam detur, attamen *an.* 1851 *die* 23 *Jun.* in una *Limburgen.*, re maturius perpensa, ab illa decisione recedens, mandante S. D. N. Pio PP. IX decrevit benedictionem nuptialem nonnisi in Missa impertiendam esse, nec diversimode declaravit anno mox elapso 1858 *die* 14 *Aug.*, dubiis respondens ea de re propositis a Rmo Episcopo Montis Albani. Quum itaque novissima S. C. decreta solemnem nuptiarum benedictionem abstrahi vetent a Missa, E. V. jam videt, dubiis ab ipsa nuper exhibitis, quae id licere supponunt, nullum hodie locum superesse posse, postquam supradictum decretum in *Eysteten.*, quo unice innituntur, fuit revocatum » (1).

Nonnullae tamen dioeceses privilegium a R. P. obtinuerunt ut hanc benedictionem extra Missam dare valeant.

Quod si in dioecesi, praeter benedictionem Missalis, alia nuptialis benedictio recepta sit, haec extra Missam certe dari poterit.

1015. Porro haec Missa cum adnexa benedictione non semper celebrari potest. Nimirum :

a) S. R. C. *die* 7 *Jan.* 1784 decrevit : « In celebratione nuptiarum, quae fit extra diem Dominicum vel alium diem festum de praecepto, seu in quo occurrit duplex primae vel secundae classis, etiamsi fiat officium et Missa de festo duplici per annum sive majori sive minori, dicendam esse Missam pro sponso et sponsa in fine Missalis post alias Missas votivas specialiter assignatam. In diebus vero Dominicis aliisque diebus festis de praecepto ac duplicibus primae et secundae classis, dicendam esse Missam de festo cum commemoratione Missae pro sponso et sponsa ».

Eidem S. C. proposita fuere sequentia dubia in *Derthonen.* circa sensum hujus decreti :

« Cum per decretum generale S. R. C. *die* 20 *Dec.* 1783 dies designentur, quibus Missa pro sponso et sponsa (permittitur) etiam diebus excludentibus duplicia per annum, ideoque etiam infra Octavam Epiphaniae, in Vigilia Pentecostes, et infra Octavam privilegiatam SS. Corporis Christi ;

(1) Collect. Paris. *n.* 1051.

Digitized by Google

alii vero putent iis etiam diebus eamdem Missam vetitam; idcirco parochus petit declarari:

1° An hujusmodi Missa dici possit diebus duplicia excludentibus ut supra notatis;

2° An commemoratio Missae pro sponso et sponsa dicenda prouti ex dicto decreto, in Missis de duplici primae vel secundae classis, dici debeat sub unica conclusione cum oratione festi, vel sub altera conclusione;

3° An talis commemoratio pariter dici debeat, vel sub altera conclusione, prouti solet de aliis commemorationibus occurrentibus in diebus Dominicis et festis de precepto;

4° Quo loco, quando aliae occurrunt commemorationes, ut in proximo quaesito, commemoratio Missae pro sponso et sponsa dicenda sit sub secunda conclusione, an scilicet ultimo loco? ».

S. C. *die* 20 *Apr.* 1822 reposuit: « Ad 1um negative quoad Octavam Epiphaniae, Vigiliam Pentecostes et Octavam privilegiatam SS. Corporis Christi, quatenus privilegium concessum sit ad instar Octavae Epiphaniae ».

« Ad 2um negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad 3um ut in praecedenti.

Ad 4um faciendam primo loco post alias de praecepto (1) ».

1016. *b*) Tempore feriato haec Missa celebrari nequit; imo nec commemoratio Missae pro sponso et sponsa in Missa occurrenti fieri hoc tempore potest (n. 1029).

1017. *c*) Archiepiscopus Quebecensis, 23 *Sept.* 1817, postulavit a S. C. de Prop. Fide: « An concurrente eodem die matrimonii celebratione ac defuncti funere, quae duo ad alium diem differri non possunt, praestet potius Missam celebrare pro sponsis, vel pro mortuo, benedictione nuptiali sponsis absque Missa impertita? » S. C. reposuit « In praeposita concurrentia Missam pro sepeliendo defuncto esse celebrandam ». Attamen benedictio nuptialis de Missali extra Missam dari non potest (n. 1014), ideoque in alium diem transferenda.

(1) Collect. Paris. *n*. 1033-1038.

Digitized by Google

1018. *d*) Tandem si mulier hanc nuptialem benedictionem in priori matrimonio jam receperit, repeti nequit, de qua re infra.

1019. S. R. C. *die* 28 *Feb.* 1818 declaravit atque decrevit Missam pro sponso et sponsa..... « esse votivam privatam, proindeque semper legendam sine hymno angelico et symbolo Nicaeno cum tribus orationibus, prima videlicet ejusdem Missae votivae propria, ut habetur in fine Missalis, secunda et tertia diei currentis, ut in Rubric. *tit. VII, n.* 3 *De commemorat., Benedicamus Domino* in fine, et ultimo Evangelio S. Joannis ».

Et cum Episcopus Eystetensis postulavisset : « An Missae pro sponso et sponsa, quando celebrantur cum cantu, addi queat hymnus angelicus cum symbolo Nicaeno? » S. C. *die* 31 *Aug.* 1831 reposuit : « Negative ad dubium : in paroeciis vero, ubi unus tantum est sacerdos, Dominicis festisque diebus Missae occurrenti addatur commemoratio pro sponso et sponsa in casu ».

1020. Haec Missa pro sponso et sponsa celebranda est vel per se vel per alium a parocho proprio, reprobata a Conc. Trid *l. c.* quacumque contraria consuetudine etiam immemorabili quae potius corruptela dicenda est, vel quocumque privilegio non obstante, nisi proprius parochus desit (n. 969-997). Si alienus sacerdos sine parochi aut Ordinarii licentia eam celebrare ausus fuerit, incurrit suspensionem, de qua supra.

Huc spectat responsio S. C. C. in *Ilerdensi* 24 *Maii* 1785. Ex consuetudine immemorabili parocho cathedralis ecclesiae Ilerdensis jus erat matrimoniis benedicendi initis in tota dioecesi. Episcopus in visitatione id prohibuerat. Proposito dubio : « An standum sit decreto Episcopi, in sacra visitatione posito, statuente quod matrimonia benedicantur a propriis parochis, quorum est matrimoniis interesse, an vero consuetudini immemorabili de benedicendis matrimoniis a solo parocho cathedralis »; S. C. reposuit : « Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, et amplius ».

Quod si sponsi domicilium mutaverunt post initum ma-

Digitized by Google

trimonium ante nuptialem benedictionem, illamque modo petunt, Fagn. in *cap. 3, De secundis nuptiis, n.* 3 docet benedictionem dandam esse a novo parocho proprio.

At sacerdos celebrans non tenetur Missam applicare pro sponso et sponsa, nisi ab iisdem eleemosynam receperit, prouti pluries SS. CC. declaraverunt. Ita S. C. S. Officii 1 *Sept.* 1841 rescripsit : « 1° Sacerdotem non teneri Missam applicare pro sponsis, nisi ab iisdem eleemosynam accipiat ; 2° In eadem Missa posse sacerdotem plures sponsos benedicere ; 3° Ab eodem sacerdote celebrante aspergendos esse aquà benedictà sponsos ante altare genuflexos, non autem ab alio sacerdote ; 4° Non licere sponsos benedicere in Missa defunctorum, sed potius transferendam esse benedictionem ad alium diem ». Ita etiam S. C. de Prop. Fide *die* 10 *Jan.* 1837, et *die* 7 *Jun.* 1853.

1021. Haec Missa cum benedictione est de praecepto, non tantum de mero consilio, nisi adsit justa et rationabilis causa quae illam impediat. Sane proposito dubio : « Se di consiglio, ovvero di precetto sia la celebrazione della Messa *pro sponso et sponsa* in occasione del matrimonio (1)? » S. C. de Prop. Fide 21 *Sept.* 1843 reposuit : « Nisi gravis et rationabilis adsit causa, celebrandam esse Missam pro sponso et sponsa, et quoad applicationem detur decretum *an.* 1837 ». Eam praetermittere sine causa Sanchez *VII, LXXXII, n.* 9 cum communi probabilius putat per se esse peccatum tantum veniale, cui assentitur S. Alph. *VI, n.* 988: Et quidem de regula generali haec benedictio dari debet ipsa matrimonii die. Inter alia dubia, quae S. R. C. *in Montis Albani die* 14 *Aug.* 1858 proposita fuere alterum hoc erat : « 2° Licetne Missam pro sponso et sponsa et benedictionem ad diem proxime sequentem, vel in alium multo remotiorem differre, etsi conjuges ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo cohabitent » ? S. C. reposuit : Ad 2um negative in casu. At Conc. Trid. *l. c. hortatur* conjuges ut ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent ; et

(1) *Latine* : An de consilio vel de praecepto sit celebratio Missae pro sponso et sponsa occasione matrimonii ?

Digitized by Google

Rit. Rom. : « Moneat parochus conjuges, ut ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent, nec matrimonium consumment, nec etiam simul maneant, nisi aliquibus propinquis vel aliis praesentibus ». *Hortatur*: proinde non est praeceptum sed consilium; ideoque si conjuges post celebrationem matrimonii juxta Rit. Rom., ante benedictionem cum Missa, cohabitant et matrimonium consummant, nullum peccatum proprie loquendo admittunt, neque mortale neque veniale, ut docet cum plerisque S. Alph. *VI, n.* 984.

1022. Quaeritur utrum Missa pro sponso et sponsa celebrari postea possit ac debeat, si ipsa matrimonii die praetermissa fuit. In primis *certe potest*. Et quidem si mulier traducta non fuit in domum viri et cum viro non cohabitavit, id patet ex consilio Conc. Trid., de quo supra. Secus Giraldi *p.* 2, *sect.* 116 refert S. C. C. *an.* 1594 censuisse benedictionem nuptialem non esse permittendam : sed plures sunt posteriores declarationes quae illam permittunt et suadent. Ita S. C. de Prop. Fide (n. 1017) tradit in concurrentia matrimonii et funeris, Missam pro sponso et sponsa esse transferendam in alium diem. Et *die* 1 *Febr.* 1871 interrogata : « 2° An sponsi Christiani, qui pridie in hora pomeridiana matrimonium in ecclesia receperunt, et crastina sequenti die ad Missam ambo veniunt, benedictionem intra Missam recipere possint, illis non interrogatis, de continentia in nocte servata ? » ; respondit : « Ad 2um affirmative, neque ullo modo faciendam esse interrogationem, de qua in dubio mentio fit, et ad mentem. Mens est, quod in illis matrimonio jungendis admonitio praetermittenda non sit sacros. Conc. Trid. hortari *sess. XXIV, cap. I de ref. mat.*, ut conjuges ante benedictionem sacerdotalem in templo accipiendam in eadem domo non cohabitent » Pariter S. C. de Prop. Fide 5 *Julii* 1841 proposito dubio : « 3° Benedictio, quae est in Missali, potestne dari illis qui sine illa benedictione jam matrimonio juncti sunt in primis nuptiis, quando mulier jam gravida est vel jam filios peperit ? Item iis qui hic et nunc de praesenti matrimonium contrahunt in primis nuptiis, quando sponsa cognoscitur gravida et jam ante matrimonium filios ex

Digitized by Google

fornicatione genuit? » reposuit: « Ad 3um affirmative » (1). Attamen *non est obligatoria* ; ita ut conjuges hortandi sint, sed non quasi in conscientia vel sub levi teneantur ad hanc benedictionem petendam. Ita S. C. Cardinalium pro negotiis ecclesiae Gallicanae specialiter deputatorum *die* 22 *Apr.* 1795 apud Gury *II*, *n.* 844. Insuper propositum fuit S. C. de Prop. Fide sequens dubium: « S. Sedes hortatur fideles ad supplendam benedictionem nuptialem parochi in matrimoniis clandestine celebratis. Quaeritur utrum intendatur sola benedictio solemnis quae habetur in Missali, an vero etiam benedictio annuli? » S. C. reposuit 10 *Febr.* 1801: « Affirmative in omnibus » (2).

SCHOLION

DE MATRIMONIO CONSCIENTIAE.

1023. Matrimonium *conscientiae* seu *secretum* multipliciter dicitur, ut exponit Ben. XIV *Quaest. Can.* 397 in adnotationibus circa matrimonia conscientiae, et *De Syn. XIII, XXIII, n.* 12. Modo intelliguntur ea matrimonia, quae, dispensatis publicationibus, secreto celebrantur coram parocho proprio, aut alio sacerdote ab Ordinario delegato, et duobus testibus familiaribus; qui omnes matrimonii celebrationis secretum servare debent, et ideo matrimonium conscientiae seu secretum appellatur.

1024. Hoc matrimonium validum esse per se patet, cum forma substantialis servata sit; imo et accidentalis idest Ritualis. Est quoque licitum si contrahatur cum Ordinarii permissione, servatis servandis. Cum vero gravia mala ex eodem sequi facile possint, quae describit Ben. XIV in const. *Satis Nobis*, 27 *Nov.* 1741, hinc laudatus Pontifex in hac constitutione cautelas assignat, prudentiae plenas, servandas in hoc matrimonio permittendo. Haec constitutio Benedictina, ad quam S. Sedes semper remittit quando agitur de matrimonio conscientiae, est in Alleg. VIII, et declaratione non indiget.

(1) Collect. Paris. *n.* 1043. Vide etiam *n.* 1044 et *n.* 1034.
(2) Collect. Paris. *n.* 1035.

Digitized by Google

CAPUT VII

DE TEMPORE AC LOCO QUO MATRIMONIUM CELEBRARE LICET.

Articulus I

De nuptiarum tempore.

1025. Principii loco statuendum est jure communi matrimonium quocumque anni tempore et quacumque diei hora esse validum et per se licitum. Id expresse tradit Caelestinus III in *cap. 4, De feriis* : « ..... Licet ea sit Romanae ecclesiae consuetudo, ut quocumque tempore matrimonium contrahatur, consensu interveniente legitimo de praesenti..... ». Ubi glossa v. *quocumque tempore* subdit : « Et ita quolibet tempore potest matrimonium contrahi, sed nuptiarum solemnitas tantum his diebus, ne carnaliter conjungantur, prohibetur ». Neque aliter SS. CC. RR. constanter reposuerunt. Ben. XIV *Inst. Ecc.* 80, *n.* 20, refert responsionem S. C. C., quae : « Censuit etiam temporibus expressis *cap. X, sess. XXIV, de ref. mat.* posse matrimonium contrahi coram parocho, sed nuptiarum solemnitates, convivia, traductiones ad domum et carnalem copulam prohiberi ». Aliam responsionem S. C. de Prop. Fide habes n. 1028. Cohaeret Rituale Rom. in rubrica *De sacramento matrimonii*, cujus verba n. 1027 referimus.

At haec omnimoda, quoad tempus, libertas aliquibus limitationibus coarctatur.

1026. In primis, ut ex dictis jam satis apparet, ipso communi jure nonnullis anni temporibus, quae vocantur *tempus feriatum* vel *clausum*, prohibentur *solemnitates nuptiarum*.. « Olim ea tempora designabantur a Septuagesima usque in octavam Paschatis, item tribus hebdomadibus ante festum S. Joannis Baptistae, et ab Adventu Domini usque

Digitized by Google

post Epiphaniam *can.* 10, *c.* 33, *q.* 4. Quod dicitur de tribus hebdomadibus ante festum S. Joannis Baptistae, intelligendum est de tribus hebdomadibus, quae incipiunt ab hebdomada Dominicae Ascensionis et finem habent in hebdomada quae sequitur solemnem diem Pentecostes, quemadmodum definitum videtur in *cap.* 4, *De feriis*; ex quo praeterea deducitur varios fuisse ritus et consuetudines ». Berardi *tom. III, Diss. V.*

Conc. Trid. *sess. XXIV, cap. X de ref. mat.* ita hoc tempus limitavit: « Ab Adventu D. N. J. C. usque in diem Epiphaniae, et a feria IV Cinerum usque in octavam Paschatis inclusive antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari S. Synodus praecipit. In aliis vero temporibus nuptias solemniter celebrari permittit, quas Episcopi ut ea, qua decet, modestia et honestate fiant, curabunt: sancta enim res est matrimonium et sancte tractandum ».

Quod tempus incipit a media nocte ante Dominicam primam Adventus (1) et diem Cinerum, et finitur media nocte post Dominicam Epiphaniae et octavam Paschatis.

Cum vero haeretici asserere non dubitarent hanc prohibitionem superstitione infici, eos S. Synodus damnat *l. c. can.* 11: « Si quis dixerit prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam, ab ethnicorum superstitione profectam, aut benedictiones et alias caeremonias, quibus Ecclesia in illis utitur, damnaverit; A. S. ».

Ratio vero prohibitionis est, quia haec sunt sacratiora anni tempora, quibus Ecclesia desiderat, ut toti vacemus vel poenitentiae vel spirituali laetitiae, a quibus profecto nuptiarum solemnitates nimium animos distraherent.

1027. Si autem quaeratur quid solemnitatum nuptiarum nomine prohibeatur tempore feriato, responsionem praebet Rituale Rom. *l. c.*: « Postremo meminerint parochi a Domi-

(1) Sanchez *VII, VII, n.* 2, putat, seclusa consuetudine, hoc tempus incipere a primis vesperis, sed nostra sententia communior ac verior est, cum versemur in odiosis, ac proinde verba Tridentini stricto sensu accipienda sint. Vide Pontium *VII, VIII, n.* 5, Feje *n.* 552 in nota.

Digitized by Google

nica prima Adventus usque ad diem Epiphaniae, et a feria IV Cinerum usque ad octavam Paschae inclusive solemnitates nuptiarum prohibitas esse, ut nuptias benedicere, sponsam traducere, nuptialia celebrare convivia: matrimonium autem omni tempore contrahi potest » (1).

1028. Ut ab hoc ultimo incipiamus, nonnulli putaverunt in perantiqua Ecclesiae disciplina matrimonium tempore feriato irritum fuisse, innixi testimonio S. Petri Damiani in epist. 11, *lib. V*: « Censura canonica nuptias illicitis temporibus institutas, remoto omni scrupulo, dividit » (2).

Id aliis eruditis non arridet, qui potius censent matrimonium tempore clauso numquam non fuisse validum et licitum, sed tantum indictam fuisse eo tempore conjugum separationem juxta Pauli Apostoli institutiones, et hoc latiori sensu verba S. Petri Damiani esse intelligenda (3). Equidem Nicolaus I in responsione ad Bulgaros *can.* 11, *c.* 33, *q.* 4 in Decreto ait: « Nec uxorem ducere, nec convivia facere in quadragesimali tempore convenire posse nullatenus arbitramur »; sed illa verba *uxorem ducere* canonistae omnes explicant *uxorem traducere*, et quidem de solemni tantum traductione esse intelligenda infra dicemus. Caeterum si quandoque tempore clauso ipse matrimonialis contractus jure communi prohibitus fuit, certe haec prohibitio a pluribus jam saeculis obsolevit. Et sicuti matrimonium permissum est, ita et publicationes fieri licere nemo dubitat.

Diximus *jure communi*: nam lege particulari seu scripta seu consuetudinaria ipsae nuptiae, ideoque etiam publicationes tempore clauso prohiberi possunt (nisi necessitas urgeat) sine Ordinarii licentia, quae tamen facile ex justa causa conceditur, e. g. ob periculum incontinentiae. Hinc canones 8, 9, 10 *cit. c.* 33, *q.* 4, in Decreto. Haec consuetudo vel lex sustinetur, et parochus debet ipsi sese accomodare (4). Hinc cum Vicarius Apostol. Tongkini Oc-

(1) Ben. XIV *Inst. Ecc.* 80, hac de re solide pro more agit.
(2) Christianus Lupus *tom. IV Conciliorum, pag.* 43. Ben. XIV *l. c. n.* 19.
(3) Berardi *tom. III, Diss. V.*
(4) Schmalz. *IV, XVI, n.* 34. Ben. XIV *l. c.* Reiff. *IV, XVI, n.* 12. Sanchez *VII, VII, n.* 14.

Digitized by Google

cidentalis plura dubia proposuisset S. C. de Prop. Fide inter quae primum : « Benedictio nuptialis, quae est, in Rituali prohibeturne dari tempore vetito ? An vero hoc tempore prohibetur tantum benedictio, quae est in Missali » ? S. C. *die* 5 *Julii* 1841 reposuit : « Ad 1um : negative ad 1^am^ partem, dummodo non adsit consuetudo non contrahendi matrimonium etiam sine solemnitate tempore vetito; affirmative ad 2^am^ partem » (1). Obtenta licentia, matrimonium celebrari potest, sed sine solemnitatibus nuptiarum, quas Episcopus permittere nequit. Si autem sponsi ad diversam dioecesim pertinent, requiritur et sufficit licentia Ordinarii loci in quo matrimonium celebratur, quia prohibitio respicit ordinem externum loci in quo caeremonia peragitur (2).

1029. At in hac matrimonii celebratione prohibetur nuptialis benedictio, quae est in Missali una cum Missa de sponso et sponsa. Hinc Rituale Rom. in fine subdit : « His expletis, si benedicendae sint nuptiae, parochus Missam pro sponso et sponsa, ut in Missali Romano, celebret ». Vide responsionem S. C. de Prop. Fide n. praec. relatam.

Si sponsi sacrum exposcunt in quo, uti par est, divinam Eucharistiam simul sumant, parochus Missam illius diei celebret sine commemoratione pro sponso et sponsa. Nam propositis dubiis : « 1° Quando nuptiae celebrantur tempore Adventus vel Quadragesimae, debetne fieri commemoratio Missae pro sponso et sponsa per Collectam, Secretam et Postcommunionem ; 2° Licetne recitare supra sponsos preces seu orationes in Missali positas post orationem Dominicam et *Ite Missa est* ? 3° Quando praedictae orationes non sunt recitatae in Missa nuptiarum debentne recitari extra Missam, elapso tempore prohibito ». S. R. C. in *Montis Pessulani* 31 *Aug.* 1839 reposuit : « Serventur rubricae Missalis ac generalia memorata decreta quibus edicitur ut, quoniam temporibus ab Ecclesia vetitis locum habere nequit solemnis benedictio nuptiarum, ita pariter inhibetur commemoratio pro sponso

(1) Collect. Paris. *n*. 1043. In Galliis haec consuetudo vel lex in omnibus dioecesibus viget.

(2) Feje *n*. 553, Carr. *n*, 921.

Digitized by Google

et sponsa in Missa occurrente, neque orationes resumendae extra Missam, tempore prohibito jam elapso ».

DD. communiter a gravi non excusant parochum, qui hanc solemnem nuptiarum benedictionem tempore clauso impertiretur; nec Episcopus id permittere ullo modo potest. Huc spectat responsio ejusdem S. R. C. in *Montis Albani die* 14 *Aug.* 1851. Cum quaereretur: « 3° Utrum prohibitio nuptiarum tempore Adventus et Quadragesimae intelligi tantum debeat de Missa pro sponsis ac de precibus pro nubentium benedictione in Missali positis, an ipsum etiam attingat matrimonium, quod cum solis celebratur caeremoniis et precibus, quae in Rituali reperiuntur? 4° An facta per Episcopum licentia contrahendi matrimonium temporibus a S. Conc. Trid. vetitis, censeatur etiam permissa benedictio conjugum per preces et orationes in Missa pro sponsis contentas? Et quatenus negative, an possit Episcopus in casu eam facultatem concedere »? S. C. reposuit: « Ad 3um: affirmative ad 1^am^ partem, negative ad 2^am^, dummodo accedat Episcopi venia (1). Ad 4um: negative in omnibus » (2).

Transacto tempore vetito, hanc Missam cum benedictione posse celebrari, fideles bene agere, si illam petant, sed nulla obligatione ad id teneri, diximus n. 1022.

1030. Celebrato matrimonio, prohibetur, clauso tempore, sponsae in domum viri traductio. Non pauci affirmant quamcumque sponsae traductionem vetitam esse innixi praesertim relatae responsioni Nicolai I ad Bulgaros *can.* 11, *c.* 33, *q.* 4, qua sponsam ducere seu traducere in genere prohibetur tempore quadragesimali (3). Hinc juxta ipsos sponsa postinitas nuptias deberet ad paternos lares remeare.

Id quidem antiquis Ecclesiae canonibus forte conformius est, qui vel hanc sponsae traductionem interdicunt, vel saltem ab ea dissuadent: ipsum Conc. Trid. *sess. XXIV, cap. I*

(1) Quia scilicet in ea dioecesi lex aut consuetudo, de quâ n. praec., vigebat.

(2) Hinc errat Sanchez *VII, VII, n.* 6. Giovine *I*, § 374, *n.* 3, aliique qui putant Episcopum hanc licentiam dare posse.

(3) Fagn. *cap.* 4 *De feriis, n.* 10 aliique apud Schmalz. *IV, XVI, n.* 36,

Digitized by Google

de ref. mat. hortatur : « Ut conjuges ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent » ; quae tamen benedictio tempore clauso dari nequit. At hodie communis sententia distinguit inter sponsae traductionem *solemnem* quae fit cum conviviis, choreis, aliisque laetitiae signis, et *privatam* e. g. horis serotinis, vel curru clauso ; illamque dicit prohibitam tempore feriato, hanc permissam, quia illa tantum dedecet hujus temporis sanctitatem (1). Ipse S. Thomas, qui ceu patronus rigidae doctrinae perhibetur, de solemni tantum traductione agere videtur in *4 dist.* 32, *q.* 1, *a.* 5, *q.* 4 : « Quia quando novae sponsae traducuntur, animus conjugum magis ex ipsa novitate ad curam carnalium occupatur, et ideo in nuptiis consueverunt signa multa laetitiae dissolutae ostendi, et propter hoc illis temporibus, in quibus homines praecipue debent se ad spiritualia elevare, prohibitum est nuptias celebrari ». Praeterea haec distinctio valde firmatur ex sequenti responsione S. C. C., quam refert Ben. XIV *l. c. n.* 22. Proposito dubio : « An concessa per Episcopum licentia contrahendi matrimonium temporibus a S. Concilio vetitis in iis locis, in quibus dispositio ejusdem Concilii ad ipsum quoque matrimonii contractum reperitur a consuetudine extensa, dicatur etiam permissa traductio sponsae seu uxoris ad domum viri ». S. C. reposuit : « Affirmative, dummodo traductio fiat absque solemnitatibus ». Tandem haec distinctio fundatur in consuetudine, quae solemnem traductionem illicitam, privatam licitam habet.

DD. communiter censent solemnem traductionem esse mortale : sed Sanchez *l. c.* horum rigorem moderatur, et in solemni sponsae traductione nullam culpam agnoscit, si fiat moderate, venialem, si aliquantulus sit excessus ; mortalem autem tantum, quando nimius esset excessus, ita ut sanctitati praedictorum temporum notabiliter detraheretur et ansa notabilis offensionis et scandali spectantibus praeberetur : hancque doctrinam approbat S. Alph. *l. c.*

(1) Sanchez *VII, VII, n.* 16. Bellarminus *De matr., I, XXI.* Navarrus *XXII, n.* 71. Schmalz. *IV, XVI, n.* 37. Ben. XIV *l. c, n.* 20 *sequ.* S. Alph. *VI, n.* 984. Giovine *I,* § 373, *n.* 4. Feje *n.* 555.

Digitized by Google

1031. Sponsa in domum viri traducta, licite conjuges possunt rei matrimoniali operam dare, et matrimonium consummare. Nonnulli censent tempore clauso vetitam esse matrimonii consummationem, inter quos est Fagn. *cap. 4, De feriis, n.* 11, qui ait hanc esse communem fere omnium canonistarum sententiam, cui favere videtur S. C. C. relata n. 1025. Imo juxta ipsos ideo sponsae traductio vetita erat, quia matrimonii consummatio prohibebatur.

Ita quidem fortasse attenta veterum canonum rigorosa expressione: sed hodie certum est matrimonii consummationem temporibus vetitis licitam esse, idque aperte deducitur ex dictis n. praec. Nam sponsa deducitur in domum mariti pro matrimonii consummatione : si ergo privata sponsae deductio licita est, etiam carnalis copula licita erit. Accedit hoc onus adeo durum post matrimonii celebrationem nulla lege clare praescribi ; proinde non est imponendum (1). Haec tamen conjugum separatio infligi ab Episcopo potest in poenam, si sponsa solemniter contra canonicam legem traducta fuit, quod probabiliter significare voluit S. C. C. *l. c.* (2), vel si matrimonium contra legem dioecesanam initum fuit. Hinc Concilium Ilerdense *can.* 10, *c.* 33, *q.* 4, postquam dixisset non oportere temporibus prohibitis nuptias celebrare, subjungit: « Quod si factum fuerit separentur ». Ubi glossa v. *separentur* addit *ad tempus*. Animadvertunt autem interpretes in utroque casu, si adest periculum incontinentiae (quod fere semper aderit) a praedicta separatione esse abstinendum et aliam poenam injungendam (3).

1032. Ulterius tempore clauso nuptialia interdicuntur convivia, quod et Nicolaus I in rel. *can.* 10, *c.* 33, *q.* 4 habet. Sed hic aliique canones ad illud tempus referuntur quo jejunium Quadragesimae rigidissimum erat. Hodie ex consuetudine haec convivia permittuntur, quae matrimonii naturalis quaedam sequela sunt, et tantum erit culpa levis vel gravis, si excessus verificetur, juxta ea quae de solemni sponsae traductione diximus (4).

(1) Ita omnes AA. supra citati qui privatam traductionem permittunt.
(2) Ben. XIV *l. c. n.* 20.
(3) Sanchez *VII, VII, n.* 5. Schmalz. *IV, XVI, n.* 31.
(4) Sanchez *l. c., n.* 18. S. Alph. *VI, n.* 984.

Digitized by Google

Ex quibus omnibus concludi potest cum Sanchez *l. c.* : « Quamvis... jura rigidius loquantur, ut constat ex *c. Non oportet* 33, *q.* 4, ubi uxorem duci et convivia fieri absolute prohibetur, at generalis consuetudo hunc juris rigorem temperavit, et *fere ad solam nuptialium benedictionum prohibitionem reduxit* ».

1033. Tandem aliae laudabiles consuetudines et caeremoniae praeter jus commune, quae in loco servantur in celebratione matrimonii, quasque Conc. Trid. *l. c.* optat retineri, ex ipso usu vel Episcopi lege erunt feriatis temporibus prohibitae vel permissae.

1034. Praeter feriata tempora leges et consuetudines particulares saepe praecipiunt, matrimonium nonnisi matutino tempore celebrari. Et quidem merito : tum quia experientia docet, si matrimonii celebratio ad vespertinum usque tempus protrahatur, inter rudes et agrestes non raro accidere ut comitatus jam fere inebriatus ad ecclesiam accedat ; tum quia laudabilis illa et antiquissima consuetudo, qua nuptiae inter sacrosanctum Missae sacrificium benedicuntur, omnino evanescit (1). Etiam S. Carolus Borromaeus pro dioecesi Mediolanensi idem sanxit. Alicubi nobiles permittuntur vespere nuptias inire ; sed parochus curet ut omnes mane ad ecclesiam accedant. In Galliis lex civilis, sub gravibus poenis exigens civilem caeremoniam ante matrimonium religiosum, efficit ut hoc saepe nonnisi paulo post meridiem celebrari in ecclesia possit : cujus rei tristes effectus omnes deplorant.

1035. Praeterea aliquando jure particulari prohibetur ne matrimonia fiant diebus Dominicis aliisque festis : quia non modo cultus divinus per nuptiales caeremonias facile perturbatur, sed occasio quoque praebetur, qua comitatus a debita festorum celebratione detineatur, imo per compotationes et saltationes injuriam sanctis diebus et scandalum fidelibus ingerat (2). At posito etiam hoc particulari jure, justa causa facile poterit ab eodem excusare.

(1) Bangen *III, pag.* 56-57.
(2) Bangen *l. c.*

Digitized by Google

Articulus II

De loco celebrandi matrimonii.

1036. Rituale Romanum in rubrica *De sacramento matrimonii* docet: « Matrimonium in ecclesia maxime celebrari decet: sed si domi celebratum fuerit, praesente parocho et testibus, sponsi veniant ad ecclesiam benedictionem accepturi ». Haec cohaerent iis, quae habet Conc. Trid. *sess. XXIV, cap. I de ref. mat.* statuens, factis publicationibus, ad celebrationem matrimonii *in facie ecclesiae* esse procedendum, *ubi* parochus... Hoc verbum *ubi* satis indicat illud *in facie ecclesiae* significare praesertim *in ecclesia.*

1037. Proinde maxime dedecet matrimonium celebrari in domibus privatis etiam ante altare ad hoc specialiter erectum. Non pauci AA. affirmant id Episcopum lata lege prohibere non posse, quos ita redarguit Monacelli *tom. I, tit. X, form.* 2: « Matrimonia per verba de praesenti juxta monitum Conc. Trid. *sess. XXIV de ref. mat. cap. I* fieri debent in ecclesia, si non de necessitate praecepti, saltem de honestate, ut dixit Rota coram Coccin. *decis.* 1887, *n.* 37. Unde quamvis plures AA. affirment, quod Episcopus non possit prohibere ne matrimonia domi celebrentur, sed tantum hortari ut in ecclesia fiant, nihilominus in praxi contrarium semper tenui; quia cum ecclesia sit proprius locus sacramentorum et maxime deceat in ipsa ministrari eadem, laudandi sunt Episcopi, qui id prohibent fieri sine eorum licentia extra illam, sequendo vestigia divi Caroli in Conc. Mediol. 2 *tit.* 1°, *dec.* 28. Et est laudabilis usus et praxis Urbis: nam Cardinalis Vicarius nec etiam principibus et magnatibus hujusmodi licentiam concedere solet (1). Ritus porro ab Ecclesia praescripti non possunt variari absque culpa. Cum agitur de administratione solemni sacramenti, non potest parochus ad libitum ritum contemnere et domi

(1) Sed hodie in Urbe haec praxis adeo rigida non est: imo principes et magnates in privatis oratoriis matrimonium, obtenta licentia, potius celebrare solent.

Digitized by Google

illud conficere, ut definitum legimus a S. Conc. Trid. *sess. VII De sacram. in gen. can.* 13. Cum igitur ritus qui habentur in Rituali Rom. sint ab Ecclesia recepti et approbati, non video qua ratione nonnulli moderni auctores affirment, quod Episcopus non possit prohibere, ne sacramentum matrimonii celebretur domi sive extra ecclesiam sine sua licentia ».

Data etiam speciali prohibitione, parochus in casu gravissimae infirmitatis alterutrius contrahentium matrimonio domi assistere potest, inaudito Ordinario; sed si alia justa causa matrimonii celebrationem in privata domo exigat, consulat Ordinarium, qui id permittere potest, e. g. ob periculum scandali aut prudentem metum ne bona contrahentium fama laedatur, aut matrimonium malitiosa oppositione impediatur, etc.

1088. Pariter nec decet matrimonia fieri in domus privatae oratorio privato, in quo sacrosanctum Missae sacrificium celebrari valet; licet Episcopus facilius id permittere possit. Propositis dubiis: « 1° An extra casum infirmitatis gravissimae in alterutro ex contrahentibus celebrari possit matrimonium in privata domo ante altare ad hoc specialiter erectum? 2° An extra dictum casum in oratoriis privatis in quibus Missa celebratur? 3° An Missa nuptialis in dictis oratoriis celebrari possit ». S. R. C. 31 *Aug.* 1872 reposuit: « Ad 1um: providebitur in sequenti. Ad 2um: matrimonium in facie ecclesiae, seu in ecclesia maxime celebrari decet. Haud tamen vetitum est locorum Ordinariis ut, si nullum immineat periculum, ac laudabiles concurrant causae, illud celebrari quandoque pro sua prudentia permittant in privatis oratoriis, in quibus sacrum fieri valeat. Ad 3um affirmative, servatis rubricis ».

Unde cum nobiles petunt matrimonium in privatis eorum oratoriis celebrari, parochus eos edoceat ex mente Conc. Trid. omnino praestare ut in ecclesia parochiali publice contrahant; et ipsis insistentibus, recurrat ad Ordinarium.

1089. In oratoriis autem publicis, cum haec oratoria in omnibus ecclesiae aequiparentur, matrimonium etiam sine Ordinarii licentia celebrari licet: unde parochus fidelibus

Digitized by Google

petentibus ut ibi celebretur potius quam in parochiali ecclesia, annuere potest, sed non tenetur.

Idem dicendum de oratoriis privatis domus publicae, e. g. de capella hospitalis, carceris etc., nisi specialis ipsius oratorii destinatio matrimonia excludat, e. g. capella seminarii.

Item matrimonium celebrari licet, prouti experientia ipsa docet, in capella palatii Episcopi, aut Nuntii Apostolici, cum et haec oratoria, etsi privata domus privatae, tamen privilegio aequivaleant publicis seu privatis publicae domus.

1040. Tandem Bangen *III*, *pag.* 59 haec habet: « Usus... ex quo nonnulli parochi hiemali praesertim tempore majoris commoditatis causa in armario sive sacristia, ut vocant, copulationes habere solent, utique vituperandus est. Si enim Tridentinum statuit in facie ecclesiae celebrandum esse matrimonium, non modo in genere locum sacrum designat, sed procul dubio etiam intendit nuptias publice coram fidelibus esse solemnizandas ».

SCHOLION 1

DE SECUNDIS NUPTIIS.

1041. Doctrina catholica est secundas et ulteriores nuptias (polygamiam vel polyandriam successivam) esse licitas, at simul esse minus honorabiles quam primas et quam castam viduitatem, sive quia indicant quamdam concupiscentiae immoderantiam, sive quia non bene referunt imaginem unionis Christi cum Ecclesia et primi matrimonii in paradiso terrestri. Haec fusius theologi ostendunt ex S. Scriptura et ex traditione.

1042. Nobis duo sufficiat animadvertere, de quibus agitur tit. *De secundis nuptiis XXI lib. IV Decret.*

1° Si benedictio in primo matrimonio data fuit, haec repeti in altero matrimonio nequit, sive mulier sive vir ad secundas nuptias transeat ex *cap.* 3 *cit. cit.* Est autem aliqua differentia: nam si mulier transit ad secundas nuptias et in primis fuit benedicta, haec benedictio cum Missa pro sponso et sponsa repeti numquam potest, et contraria con-

Digitized by Google

suetudo reprobanda est. Quaesitum fuit a S. R. C. : « Si mulier esset vidua, debetne omitti Missa pro sponso et sponsa, ut omittendae sunt benedictiones infra eam descriptae post orationem Dominicam, et *Ite Missa est* ». S. C. *die* 3 *Martii* 1761 reposuit : « Si mulier est vidua non solum debet omitti benedictio nuptiarum, sed etiam Missa propria pro sponso et sponsa » (1). Quod si mulier transiens ad secundas nuptias non fuerat in primis benedicta, per se nil impedit quominus haec benedictio detur. Hinc S. C. S. Officii ad dubium : « Utrum gentiles mulieres nuptae vel viduae vel notorie corruptae, quae ex gentilitate conversae Christianum recipiunt matrimonium, possint recipere benedictionem nuptialem intra Missam » ? reposuit 1 *Febr.* 1871 *affirmative*. Sin autem vir solus transit ad secundas nuptias et fuit in primis benedictus, haec benedictio repeti potest tantum si id ferat loci consuetudo (2).

1043. 2° Juxta juris Romani dispositionem, quam recentiores legislationes sequuntur, non permittebatur mulieribus alterum matrimonium, nisi post annum luctus ; et prius nubentes infamia mulctabantur, aliisque poterant plecti poenis *l.* 1, *ff. De iis qui not. inf.*, et l. 1, C. *De secundis nuptiis* ; « Ne turbaretur sanguis et de prole dubitaretur » ait Glossa *cap.* 4 *cit. tit. v. legalis infamia.* Ecclesia ad vitandum incontinentiae periculum sustulit necessitatem anni luctus, licet hic conveniens omnino sit, et moribus sit receptus. Hinc Urb. III cit. *cap.* 4 *cit. tit.* ait : « Super illa quaestione, qua quaesitum est an mulier possit sine infamia nubere infra tempus luctus secundum leges definitum ; respondemus, quod cum Apostolus dicat : *mulier, viro suo mortuo, soluta est a lege viri sui ; in Domino nubat, cui voluerit,* per licentiam et auctoritatem Apostoli ejus infamia aboletur ». Eademque repetit Inn. III *cap.* 5 *cit. tit.*

1044. De irregularitate quae ex bigamia oritur, in alio tractatu agitur ; de probatione mortis prioris conjugis, ut secundae nuptiae permitti valeant, vide n. 633.

(1) Collect. Paris. *n.* 1032.
(2) Scavini *III*, *n.* 954, et ita expresse Rit. Rom.

Digitized by Google

SCHOLION II.

DE LIBRO MATRIMONIORUM.

1045. Conc. Trid. *sess. XXIV, cap. I de ref. mat.* praescribit: « Habeat parochus librum in quo conjugum et testium nomina diemque et locum contracti matrimonii describat, quem diligenter apud se custodiat ». Hinc Rituale Rom. *De sacramento matrimonii* in fine: « Peractis omnibus, parochus manu sua describat in libro matrimoniorum nomina conjugum et testium et alia juxta formulam praescriptam, idque licet alius sacerdos vel a se, vel ab Ordinario delegatus matrimonium celebraverit ». Hic liber est unus ex libris parochialibus, de quibus Rituale Romanum in fine *Formulae scribendae in libris habendis a parocho.*

1046. In primis omnes admittunt parochum, qui librum matrimoniorum non habet aut matrimonia in eo inscribere negligit, peccare mortaliter (1). Imo Baruffaldo *l. c.* docet: « ..... Puniendus est (parochus) gravi mulcta, quia praeter peccatum mortale commissum in re gravis momenti ob spretum decretum Concilii..... infert grave damnum tertio, et tenetur ad damna et interesse, quae parochianis ex tali negligentia et respective omissione obvenirent.... atque ideo parochiani habent actionem contra parochum ex quasi contractu, qui dum acceptavit officium cum honoribus et oneribus, quasi sit mercede conductus tenetur, unde in utriusque commodum suscepit officium ; ac propterea tenetur non solum de lata sed etiam de levi culpa.... Sicut tutor, qui ex negligentia damnificavit pupillum tenetur ad interesse *l. nisi eam, l. si tutoris ff. De adm. tut.* ».

Haec obligatio parochum aeque manet, etsi magistratus quoque civilis eumdem matrimoniorum librum servet. Debet, inquam, parochus habere *librum:* unde non sufficiunt folia abrupta et volantia, quibus nulla tribuitur auctoritas, cum non videantur esse sub custodia.

1047. Quid vero si parochus neglexit matrimonia in li-

(1) Bangen *III, pag.* 71-72, Monacelli *tom. I, tit. X, for.* 8, *n.* 7. Baruffaldo *Comm. in Rit. Rom. tit.* 42, *n.* 82.

Digitized by Google

brum referre, aut liber periit e. g. incendio combustus ? Et quidem si ipse parochus memoria retinet matrimonium contractum cum sponsorum ac testium nominibus, cui forte ipse adstitit, jam poterit in consuetum vel novum librum illud inscribere. Secus S. C. C. *die* 19 *Sept.* 1684 decrevit : « Ut accepto illorum testimonio qui praesentes adfuerunt, cum matrimonium celebratum fuit, et elicito a conjugibus jurejurando de matrimonii jam contracti veritate, in consuetum (vel novum) librum parochus referat matrimonium ». At in hoc casu parochus consulat Ordinarium omniaque de illius mandato agat (1).

1048. Praestat ut parochus matrimonium in libro inscribat statim post illius celebrationem. Laudabilis igitur mos est, quo parochi librum tenent in sacrario, ita ut vix ac matrimonium celebratum est, conjuges pro facienda inscriptione illuc accedant : et e contrario vituperanda est illorum praxis, qui matrimonium solent interim scribere in pagellis volantibus, animo deinde illas transcribendi in libro. Et parochus *sua manu* debet matrimonium in librum referre, etsi alter de Ordinarii vel ipsius parochi licentia matrimonio adstiterit : de qua re vide Rituale Rom. *l. c.* Quod si parochus senio confectus aut morbo detentus scribere nequeat, illius coadjutor vel vicarius, qui regulariter illius vices supplet, matrimonium describet ; sed in ipso libro declaret se id facere ex speciali commissione parochi legitime impediti.

Est autem abusus vel maxime vituperandus, quod librorum parochialium et nominatim libri matrimoniorum redactio custodibus ecclesiae committatur : id enim canonicis decretis adversatur et laicis ministris nimiam tribuit auctoritatem, quam et parochiani saepius aegre ferunt. Bene tamen possunt custodes scribere exemplaria librorum parochialium, quae a parocho probata in curia episcopali asserventur (n. 1051) (2).

1049. Parochus in suo libro scribere debet ; 1° Matrimonium eorum, quorum uterque est parochianus, etsi alius

(1) Bangen *l. c. pag.* 73-74.
(2) Bangen *l. c. pag.* 75.

Digitized by Google

sacerdos vel parochus de sua vel Ordinarii licentia eidem adstiterit vel in parochia vel extra parochiam : cum enim in hoc ultimo casu parochus assistens per se nullum jus habeat tales sponsos matrimonio uniendi nisi ex delegatione, nemo in ejus ecclesiae registris testimonium quaereret contracti matrimonii, ac proinde opus est ut initum matrimonium etiam in libro propriae sponsorum parochiae adnotetur ; 2° Matrimonium eorum quorum neuter est parochianus, in sua parochia contractum, adnotans in libro a quonam parocho vel Ordinario delegationem ipse vel alius sacerdos assistens obtinuerit ; simul autem utriusque sponsi parochum proprium de inito matrimonio quantocius moneat ; 3° Matrimonium eorum quorum alteruter tantum est parochianus, sive in sua sive in aliena parochia contractum, ut supra. Ast aliquorum locorum praxis est, ut solus sponsae parochus matrimonium in libro scribat. Monet vero Instructio Austriaca § 78 : « Casu quo civis Austriacus petit ut matrimonium ab eo in exteris terris initum libro copulatorum parochiae, ubi nunc domicilium fixit, inseratur; parochus libellum supplicem simul cum probationibus de conjugio rite inito allatis Episcopo proponet, ac ejusdem expectabit mandata ».

1050. Quomodonam matrimonium in librum referri debeat quidve notari, clare indicat Rituale Rom *l. c.* Heic addere sufficiat matrimonium ita in libro scribendum esse juxta formulas Ritualis Rom. ut nulla adnotatio aut verbum adhibeatur alicui injuriam vel infamiam inferens, etsi veritati innitatur : et cum in *Melitensi an.* 1780 a quodam parocho in hac parte peccatum fuisset, S. C. EE. et RR. easdem adnotationes et verba ita deleri jussit ut nullum vestigium superesset.

Quoties matrimonium nulliter contractum ob publicum impedimentum revalidatur pro foro externo coram parocho et testibus, id notatur in margine inscriptionis prius factae, vel melius nova fit inscriptio, habita simul relatione ad priorem inscriptionem. Addit Instructio Austriaca § 90 : « Quando autem conjunctio invalida in alia parochia contracta fuerit, res hujus praeterea loci parocho communicanda

Digitized by Google

est, ut ipse convalidationem peractam inscriptioni, quae de matrimonio invalido facta sit, diligenter adjungat ». Haec non valent si revalidatio matrimonii facta sit pro foro interno tantum.

Pariter omnes parochi, qui matrimonium in suo libro retulerunt, adnotare debent, si matrimonium postea fuit declaratum invalidum, vel, quatenus dumtaxat ratum, solutum fuerit professione solemni religiosa, vel dispensatione R. P.

Episcopi vel eorum vice visitatores in sacra dioecesis perlustratione libros parochiales a parochis et aliis qui eos retinere tenentur, sibi exhiberi omnino jubeant ut explorent an rite confecti sint, et si quid abnorme ibidem deprehenderint, corrigi et reformari decernant ad monitum Crispini *Vis. Past.p.* 3, § 9, *n.* 6 (1).

1051. Libros parochiales parochus debet apud se, vel etiam in sacrario, sub clavibus tamen, custodire, ne quis valeat illos quoquo modo corrumpere, ut expresse praecipit Conc. Trid. *l. c.* S. C. C. in *Carpectoraten. die* 15 *Sept.* 1781 ad 3um definivit custodiam librorum parochialium ita privative spectare ad curatos seu vicarios curatos cathedralis, etiamsi ii ad nutum amoveri possent a capitulo cui inerat cura animarum habitualis et actualis, ut iidem libri nec etiam custodiendi essent sub duobus clavibus, quarum saltem altera retineretur a capitulo, una enim parochorum clavis satis erat.

Episcopus autem cogere potest parochum ad exemplar librorum parochialiam ab ipso parocho recognitum et subscriptum in episcopalem curiam deferendum; quod plures Synodi dioecesanae praecipiunt. Hinc S. C. EE. et RR. in *Ipporegien. Librorum parochialium* 19 *Maii* 1832, cum Episcopus id parochis praecepisset, proposito dubio: « An et quomodo decretum Episcopi *diei* 26 *Nov.* 1830 sit confirmandum vel infirmandum in casu » reposuit: « Affirmative in omnibus ad 1^am^ partem; negative ad 2^am^ » (2). At Episcopus exigere nequit ut ipse liber originalis in curia

(1) Lucidi *De Vis. SS. LL. vol. I, pag.* 372.
(2) Lucidi *op. cit. vol. II, pag.* 612.

Digitized by Google

episcopali custodiatur. Barbosa *De off. et. pot. I, VII, n.* 19 *sequ.* refert S. C. EE. et RR. 3 *Jun.* 1604 Episcopo Cavensi rescripsisse hos libros non esse ab Episcopo de potestate parochorum extrahendos, sed penes illos conservari debere. Et in *Eugubina* 2 *Mart.* 1860 edixit librum baptismalem (eademque de aliis res est), ab Episcopo in sacra visitatione extractum, et ad curiam asportatum, quam primum parocho restituendum esse (1).

1052. Libri parochiales legitimam constituunt probationem, dummodo fides extracta sit e libro de verbo ad verbum, sicut jacet; secus attestatio parochi quibuscumque verbis concepta non probat (2). Barbosa *l. c.* docet quod parochus teneatur: « De illis fides facere necessarias, et potest accipere pro sua mercede illud, quod in loco solitum est dari: si vero solitum est fieri gratis, gratis et ipse faciet; quia S. C. negotiis EE. et RR. proposita Episcopo *Cavensi* sub *die* 3 *Jun.* 1604 rescripsit nihil pro hujusmodi fide recipi posse... »

SCHOLION III

DE TEMPORALIBUS PAROCHI JURIBUS PRO ASSISTENTIA PRAESTITA MATRIMONIO.

1053. Jus commune nihil hac in re determinavit. Imo in *cap.* 8, 9, 28, *De simonia* prohibetur aliquid exigere pro benedictionibus nubentium, sed Inn. III in *cap.* 22 *ejusd. tit.* simul praecipit servandas esse laudabiles consuetudines, quibus fideles aliquid offerebant.

Ad abusus compescendos in pluribus dioecesibus etiam haec fidelium oblatio vel eleemosyna decreto synodali determinata est. Proinde parochus exigere potest id quod ferunt usus, vel decreta synodalia, etsi ex peculio privato habeat, unde vivat; et vicissim fideles illud solvere tenentur. At ultra id parochus nil exigere potest sine simoniaca labe, licet sponte oblatum possit acceptare. Quod si fideles aliquid extraordinarium et indebitum petant e. g. Missam solemnem,

(1) Lucidi *op. cit. vol. I, pag.* 373.
(2) Lucidi *l. c. n.* 248.

Digitized by Google

applicationem Missae pro sponso et sponsa etc., pro eo speciale stipendium solvi debere evidens est.

1054. Jura temporalia exclusive ad parochum pertinent, non obstante quacumque consuetudine, cum matrimoniorum assistentia pertineat ad actus parochiales: idque etsi, parocho impedito, illos praestet capellanus, qui ut parochum adjuvet et suppleat, annuum habet stipendium, nisi specialis ea de re conventio inita fuerit.

Si sponsi ad diversam parochiam pertinent, jura pro assistentia matrimonio pertinent ad parochum sponsae, qui assistere ex receptis moribus solet: et si sponsos ad parochum sponsi vel ad alium sacerdotem juxta eorum votum dimittit, jura temporalia sarcta tectaque habere debet, nisi loci consuetudo aliud ferat.

Curiae episcopali pro inito matrimonio nulla temporalia jura sunt.

Digitized by Google

CAPUT VIII

DE INDIVIDUA VITAE CONSUETUDINE.

1055. Huc usque de matrimonio ineundo egimus. Si initum matrimonium est validum, praeter gratiam quae conjugibus non ponentibus obicem ex opere operato confertur, statim enascitur individua vitae consuetudo, quae est matrimonium *in facto esse*, et de qua modo agendum est. Diximus n. 205 hanc vitae consuetudinem essentialiter esse vinculum seu ligamen matrimoniale; quod in normali rerum statu sequitur communio tori, mensae et habitationis, nec non unio aliqua bonorum et voluntatum.

Loquemur in primis de vitae consuetudine conjugum in se spectata, scilicet tum praesertim de matrimoniali vinculo, tum de communione tori, mensae et habitationis inter conjuges; deinde de hujus vitae consuetudinis solutione, idest de divortiis. Nam de unione bonorum inter maritum et uxorem pertractat jus civile, et videri possunt, si lubet, canonistae in *tit. De donationibus inter virum et uxorem et de dote post divortium restituenda XX, lib. IV. Decret.* De aliis obligationibus mariti erga uxorem et prolem, uxoris erga maritum et prolem confer moralistas.

Articulus I.

De vitae consuetudine inter conjuges in se considerata.

§ 1. — *De vinculo matrimoniali.*

1056. *Conjugale vinculum* quod oritur ex valido contractu matrimoniali consistit, prout diximus cit. n. 205, in jure mutuo exclusivo et perpetuo cum relativa obligatione

Digitized by Google

in corpus alterius in ordine ad prolem generandam et educandam ; hoc enim jure cum relativa obligatione una pars alteri moraliter *ligatur* ita ut vir sit mulieris, et mulier viri, juxta illud Apostoli 1. *Cor. VII, 4.* : « *Mulier sui corporis potestatem non habet sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet sed mulier* ». Equidem vox *vinculi* directe indicat potius obligationem, sed obligatio supponit jus ; unde vinculum, plene spectatum, utrumque complectitur.

Hoc igitur vinculum, ad instar cujusdam dominii in corpus alterius conjugis, duo praestat, quae sedulo notanda sunt ; 1° Quaelibet pars habet jus ad copulam pro prolis procreatione, et ejus juri respondet in altera obligatio praebendi suum corpus ; 2° Caeteri omnes ab his excluduntur. Hoc alterum, idest exclusio caeterorum, semper verificatur, donec vinculum seu matrimonium perdurat ; sed primum idest jus ad copulam, subsistente vinculo, potest non exerceri, et potest quoque amitti tum ad tempus, tum etiam in perpetuum, seu moraliter tantum, seu physice et moraliter : quod mox declarabimus.

Obligationem juri conjugali respondentem Apostolus 1 *Cor. VII*, 3 appellavit *debitum* : « *Uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro* ». Idest uterque conjux ad petitionem alterius suum corpus praebeat. Hinc intelligitur *quid sit petere ac reddere debitum*. Et quoties conjuges vinculo matrimoniali alligati rem habent inter se, est *copula* seu *actus conjugalis*.

De jure ac debito conjugali nos heic agentes pauca attingimus, praesertim de quibus sunt specialia capita in corpore juris, aut de ipsis rerum conceptibus. Leges morales quae regunt exercitium juris conjugalis et adimplementum conjugalis obligationis, per te ipsum vide, benevole lector, apud probatos AA. ; sed memento salebrosam hanc materiam non esse attingendam nisi recto fine, urgente necessitate opportunisque adhibitis cautelis, quibus peccandi periculum removetur.

1057. Diximus jus ad copulam aliquando amitti moraliter tantum vel ad tempus vel in perpetuum. Scilicet pro-

Digitized by Google

prie loquendo jus ad copulam (juridicum seu radicale, ut ajunt), permanet, sed prohibetur illius exercitium. Actus igitur conjugalis numquam tunc erit peccatum contra castitatem, sed petitio aut redditio hic et nunc prohibita erit peccatum contra virtutem aut legem seu naturalem seu positivam quae illam prohibet. In hoc casu facile intelligitur quomodo matrimoniale vinculum subsistat, utpote quod non solum caeterorum exclusionem praestat, sed etiam jus ad copulam radicale (n. praec.).

1058. Jam vero illa amissio juris ad copulam accidit praesertim in sequentibus casibus.

1° Si conjux tenetur voto castitatis ante vel post matrimonium emisso : tunc enim petere nequit, quia ageret directe contra votum (n. 438). Sed alter petere utique potest, quia suum jus intactum est, ideoque vovens reddere et potest et debet.

Quaerunt DD. an possit vel debeat reddere, si vovens, non obstante voto, petit ? Et certe potest, quia utitur jure suo ; probabilius etiam debet ; « prout si quis votum emitteret non exigendi a te pecuniam debitam, si ille postea petit, teneris tu reddere, quia per votum creditor non amisit jus suum, et eo casu tu reddendo minime cooperaris formaliter ejus peccato, cum non sis causa cur ille debitum exigat, sed tantum ad materiale peccati, quod tu non potes impedire, cum debeas rem suo domino reddere, ideoque nec teneris impedire quia impediendo actum injustitiae committeres ». S. Alph. *VI*, *n.* 944. Attamen ex charitate monere debet voventem ut a petitione desistat ; insuper reddere non potest, quoties alter jus petendi non habet, e. g. primo bimestri aut commisso incestu.

1059. 2° Si exinde periculum sanitatis immineat. Si periculum est remotum, aut malum quod timetur leve, utraque pars potest petere et tenetur reddere. Id eruitur ex *cap.* 2, *De conjugio leprosorum*, ubi Alex. III postquam docuisset leprosum posse uxorem ducere, si aliquam, quae sibi nubere velit, invenerit, subdit : « Quod si virum, sive uxorem leprosum fieri contigerit, et infirmus a sano carnale debitum exigat, generali praecepto Apostoli, quod exigitur,

Digitized by Google

est solvendum; cui praecepto nulla in hoc casu exceptio invenitur ». Ratio est quia cum copula brevi fiat, non imminet ex ea periculum infectionis. At DD. conjugem sanum leproso debitum non reddentem a peccato excusant, si tantum horroris habeat ad coeundum, ut id sit ei moraliter impossibile.

Si autem periculum infectionis est ita grave, ut ipsa vita periclitetur, uterque conjux nequit petere aut reddere; quia nemo est dominus vitae suae. Excipe nisi proles sit necessaria ad bonum commune, aut ipse vel compars versetur in proximo incontinentiae periculo, aut petat vel reddat ad fovendum amorem conjugalem, evitanda magna dissidia etc; quibus in casibus conjux potest quidem, sed non tenetur petere, reddere et cohabitare, quia charitas non obligat cum tanto incommodo. Hinc Alex. III in *cap.* 1, *De conjugio leprosorum* ait: « Quoniam..... cum vir et mulier una caro sint, non debet alter sine altero deesse diutius; mandamus, quatenus ut uxores viros et viri uxores, qui leprae morbum incurrunt, sequantur, et eis conjugali affectione ministrent, sollicitis exhortationibus inducere non postponas ».

Exinde patet quid dicendum in casu, quo experientia certum est uxorem parere non posse sine probabili vitae periculo, aut parituram fore filios mortuos, quod magnum vitae matris periculum includit: nempe uterque conjux petere aut reddere potest tantum in casibus praecitatis, non tamen tenetur.

At si proles nascitura praevidetur infirma vel deformis, non ideo conjuges a matrimonii usu abstinere debent. Ad rem D. Thomas 4 *dist.* 32, *q. un. a.* 1, *ad* 4um: « Uxor tenetur viro leproso reddere debitum: et quamvis proles gigneretur infirma, tamen melius est ei sic esse, quam penitus non esse ».

Tandem si ex usu conjugii periculum imminet non mortis, sed morbi, aut alterius damni notabiliter gravis, uterque conjux potest quidem petere ac reddere, sed non tenetur; e. g. si ex coitu cum leproso adsit, judicio medicorum, periculum infectionis notabiliter noxiae (1).

(1) S. Alph. *VI, n.* 950, citans pro omnibus punctis plures auctores.

Digitized by Google

1060. 3° Si conjux rem habuit cum persona consanguinea compartis, atque ita huic affinis evasit. Conjux scilicet adulter, in poenam adulterii, ratione affinitatis inde contractae (1), privatur jure petendi ex *cap.* **1**, 4 et *ult. De eo qui cognovit,* ideoque alter liberatur ab obligatione reddendi: sed hic conservat utique suum jus petendi, etsi adulterii aliquo modo particeps (2), ideoque etiam ille obligationem reddendi. Privatio autem juris petendi debitum, cum sit poenalis, non est extendenda ad tactus et torum, nisi propter periculum pollutionis, aut vetitae petitionis (3). Neque ad hanc poenam incurrendam aliquid refert num peccatum publicum sit vel occultum (4). Pariter haec poena incurritur tum a viro qui consanguineam uxoris cognovit, prout in citatis juribus aperte statuitur, tum a muliere, quae consanguineo viri commixta est, quod ex constanti DD. interpretatione receptum est (5), cum in hisce rebus vir et uxor aequiparentur ex *cap.* 8, *De divortiis.* Ea vero copula requiritur, quae affinitatem producit (n. 1065).

E contrario haec poena non incurritur, si copula habita fuit cum affini compartis (6), quia id nusquam cavetur; vel cum consanguinea sed coacte, ut si uxor vi oppressa fuit, quia tunc nulla est culpa, ideoque poena applicari non debet; vel etiam si pars metu gravi ad incestum adacta est, quia licet metus gravis a peccato contra naturae legem non excuset, excusat tamen a poena lege ecclesiastica imposita(7). Item haec poena non manet ignorantem, sive ignoret adesse legem humanam, quae talem incestum peculiariter prohibet (8), sive ignoret illam mulierem esse consanguineam suae uxoris (9), sive tandem ignoret hanc poenam esse illi

(1) Schmalz. *IX, XIII, n.* 9.
(2) D'Annibale *III,* § 340, *not.* 41 contra Sanchez *IX, XXVII, n.* 3.
(3) S. Alph. *VI, n.* 933.
(4) Schmalz. *IV, XIII, n.* 22. Sanchez *VII, XV, n.* 13 contra alios qui peccatum notorium exigunt ex *cap.* 3 *De eo qui cognovit....*
(5) Schmalz. *l. c. n.* 35. D'Annibale *l. c. not.* 40.
(6) De Justis *II, VII, n.* 85. D'Annibale *l. c.*
(7) S. Alph. *VI, n.* 1071 ex communiori et probabiliori sententia.
(8) S. Alph. *l. c.* probabilius ac communius.
(9) S. Alph. *l. c.* cum communi.

Digitized by Google

peccato lege Ecclesiae adnexam (1); etsi haec omnia ignoret ignorantia crassa et supina.

Proinde in praxi raro admodum, huic poenae locus erit, quia fideles plerumque illam ignorant.

Jure antiquo haec poena statuta erat ob incestum cum consanguinea uxoris (vel mariti) usque ad 7um gradum ; jure novo Decretalium usque ad 4um; jure Tridentino usque ad 2um : nam S. C. C. probante Greg. XIII declaravit decretum Conc. Trid. *sess. XXIV, cap. IV de ref. mat.*, limitans impedimentum dirimens affinitatis ex copula illicita ad 2um gradum restringere etiam hanc poenam (2).

Quamquam obligatio non petendi gravis sit, tamen non videtur urgere, si conjux incestuosus in magno incontinentiae periculo versaretur, nec dispensationem statim petere posset, quia cum lex sit solum ecclesiastica, non obligat cum gravi incommodo (3).

Caeterum ab hac obligatione dispensat praeter *Datariam Apostolicam*, si peccatum est publicum, et *S. Poenitentiariam* si est occultum, *Episcopus* etiam extra casum necessitatis juxta communissimam sententiam, si non explicita dispositione juris, saltem ex consuetudine, et potest etiam hanc potestatem alteri delegare non solum in particulari sed etiam in generali (4). Dispensant pariter ex privilegio omnes *confessarii regulares mendicantium* a provinciali ad confessiones deputati aliique religiosi ampla privilegiorum communicatione gaudentes.

Praeter poenam privationis petendi debitum, alia etiam antiquitus manebat conjugem incestuosum, quae amplius in usu non est. Nempe uterque complex incestuosus jure Decretalium prohibebatur cum quacumque alia muliere nuptias inire ; aliis verbis, copula incestuosa cum persona consanguinea conjugis secumferebat impedimentum impe-

(1) S. Alph. *l. c.* satis probabiliter, Sanchez *IX, XXXII, n.* 21 *et* 50 probabiliter, D'Annibale *l. c.*

(2) S. Alph. *VI, n.* 1070. De Angelis *IV, XIII, n.* 4.

(3) Marc *n.* 2031.

(4) S. Alph. *VI, n.* 1076. Cum vero explicita juris dispositio desit, inde fit, quod S. Poenitentiaria Episcopis aut confessariis hanc dispensandi potestatem in pagella facultatum concedere soleat.

Digitized by Google

diens universaliter et absolute ex *can.* 23, *c.* 32, *q.* 1 in Decreto et *cap.* 1, 2, 4, *De eo qui cognovit...*, etiamsi perpetrata fuisset post mortem uxoris, ut colligitur ex cit. *cap.* 4, et cum persona consanguinea usque ad 4um gradum jure Decretalium, usque ad 2um jure Tridentino (1). Hoc impedimentum disparuit ex communi DD. consensu, licet scripta revocatio non habeatur (2). Unde hodie conjux incestuosus, mortua comparte, illiusque complex valide et licite alias contrahunt nuptias. Thesaurus *l. c.* affirmat. S. Poenitentiariae stylum in concedenda dispensatione ad debitum petendum esse ut haec eadem prohibitio addatur: quod negat De Angelis *l. c.* De incestu cum propria consanguinea vide n. 684 (3).

1061. Ulterius diximus n. 1056 jus ad copulam, extante vinculo, aliquando amitti physice et moraliter, nempe si superveniat impotentia in una vel in utraque parte. Si impotentia est temporanea, hoc jus potius suspenditur, quam amittatur; sed si est perpetua, extinguitur prorsus, et usus matrimonii evadit illicitus. Ab nihilominus corpus unius est adhuc res alterius quoad prolis generationem, nec potest legitime in aliorum potestatem transire; atque ita concipitur vinculum persistere, scilicet quoad solum effectum alios excludendi.

Sed ad pleniorem declarationem quaeritur an conjuges, perdurante impotentia, valeant matrimonio uti; impotentia, inquam, quia simplex sterilitas certe matrimonii usum non impedit. Jam vero alios tactus et aspectus sive pudicos sive turpes ideoque communionem tori citra periculum pollutionis iis conjugibus licere facile DD. admittunt (4). At si copula conjugalis, qua conjuges fiunt una caro et matrimonium consummatur, est certe ac prorsus impossibilis, alia certe non

(1) Sanchez *VII, XV, n.* 4.

(2) Giraldi *I, sect.* 714. Thesaurus *I, v. Incestus limita IV.* De Angelis *IV, XIII, n.* 4. Sanchez *VII, XVII, n.* 8 *sequ., et VIII, XXV, n.* 8. Coninch *dist.* 30, *n.* 25. Schmalz. *IV, XVI, n.* 57. Pirhing *IV, XVI, n.* 12. Pontius *VI, XIV, n.* 4.

(3) Poenas temporales a Sixto V, in Const. *Volentes Non. Apr.* 1587 pro Statu Pontificio statutas contra incestuosos lege apud Giraldi et De Angelis *l. c.*

(4) S. Alph. *VI, n.* 938-1095. Marc *n.* 2095.

Digitized by Google

licet, quia non est nisi mera pollutio (1); e. g. si vir totaliter extra vas seminat. Diximus si *copula conjugalis est certe ac prorsus impossibilis*. Nam si impotentia dubia est, omnes admittunt conjuges posse ad copulam conari, cum in dubio jus eorum possideat (2), et idem dicas si aliqua spes est copulam utcumque imperfectam fore sufficienter aptam. Proinde ab usu matrimonii non sunt prohibendi conjuges, si ob senectutem vel aliam causam accidat, ut semen extra vas effundatur, « modo adsit spes probabilis seminandi intra vas, quia semper ac adest talis spes jus habent ad copulam, et si semen effunditur, hoc per accidens evenit » S. Alph. *VI*, *n.* 954. Praeterea cum juxta physiologorum sententiam semen, ad orificium vasis muliebris tantum appositum, possit aliquando ad vaginam permeare, imo et ad uterum ac ovaria pertingere ac ovulum foecundare, sequi videtur congressum maritalem licitum esse, si id saltem possibile est.

Exinde advertit Ballerini-Gury *II*, *n.* 855 perrarum esse casum, quo ratione impotentiae matrimonium consequentis congressus conjugalis quasi illicitus interdici debeat. Idem auctor hanc doctrinam applicat etiam in casu quo uxor ratione infirmae valetudinis aut status organorum pleniorem congressum ferre non posset.

1062. Praeterea in primo bimestri suspenditur obligatio reddendi pro conjuge, qui cogitat de statu religioso amplectendo, licet petitio et redditio non prohibeatur. Id desumitur ex *cap.* 7, *De conversione conjugatorum*, cujus haec est species. Mulier ante matrimonii consummationem, derelicto viro monasterium ingressa est. Vir eam repetens causam detulit ad Episcopum Brixiensem, qui matrimonium approbavit et mulieri praecepit, ut, ad virum rediens, eidem conjugalem affectum exhiberet: et cum illa renueret, vinculo excommunicationis adstricta fuit. Alex. III mandat Episcopo

(1) Marc *l. c.* Gury *II*, *n.* 855. S. Alph. *cit.* *n.* 1095. At Sanchez *VII*, *CII*, *n.* 7 putat virum post initas nuptias castratum adhuc posse rei maritali operam dare, cui adhaeret D'Annibale *III*, § 337, *not.* 12, *cum Toleto*.

(2) S. Alph. *VI*, *n.* 1003. Sanchez *IX*, *XVII*, *n.* 20 cum communi ex *cap. Laudabilem*, *De frigidis et maleficiatis*.

Digitized by Google

ut mulierem a censura qua tenetur, absolvat, ita ut mulier, data sufficienti cautione, infra bimestre debeat vel ad religionem vel ad virum redire : et si ad religionem redierit, uterque restituat alteri quod ab eo noscitur recepisse. Exinde canonistae deducunt conjugem habere bimestre, quo cogitans de ingredienda religione reddere non tenetur, et potest etiam cohabitationem declinare.

Hoc bimestre putamus incipere a die matrimonii (1), contra alios qui censent incipere a die praefixionis a judice factae ita ut conjux cogitans de religione ingredienda posset in conscientia recusare debitum in indefinitum, et alter ut huic rerum statui finem imponat, deberet Episcopum adire qui illi praefigat tempus (2). Caeterum Episcopus posset hoc tempus vel restringere, vel prorogare ultra bimestre (3). Donec matrimonium consummatum non est, conjux potest semper ad religionem, etiam altero invito, transire : et tunc hic debet, ut alias nuptias inire possit, illius solemnem professionem expectare, qua vinculum prioris matrimonii solvitur. Si vero matrimonium consummatum est infra tempus, a jure concessum, vi, metu, fraude, conjux innocens, qui de religione amplectenda cogitabat, adhuc potest sua vota sequi, ne culpa noceat innocenti et faveat reo, uti pluribus ostendit Fagn. in comm. cit. *cap.* 7, *n.* 27 *sequ.* (4), licet per accidens posset impediri ratione prolis nasciturae ; non autem idem potest conjux reus. Utrum vero in hoc casu professione religiosa solvatur matrimonium necne, seu aliis verbis, num ea copula matrimonium consummatum fuerit, DD. non conveniunt ; sed responsio affirmativa nobis verissima est (5).

Concludimus triplici animadversione : nempe haec non respiciunt nisi religionem cum votis solemnibus ; insuper peccaret conjux qui, comparte non praemonita, matrimo-

(1) Barbosa in cit. *cap.* 7, *De convers. conjugat.* Marc *n.* 1981. D'Annibale *III*, § 338, *not.* 15.
(2) Schmalz. *III*, *XXXII*, *n.* 3. Ballerini-Gury *II*, *n.* 759.
(3) Glossa *l. c.* v. *duorum mensium*. Sanchez *II*, *XXIV*, *n.* 12.
(4) Consci *De separatione tori conjugalis III*, *I*, *n.* 32 *sequ.* Reiff. *III*, *XXXII*, *n.* 6. Sanchez *II*, *XXII*.
(5) D'Annibale *l. c.* Sanchez *II*, *XXXII*, Consci *l. c.* *n.* 48.

Digitized by Google

nium iniret volens ingredi religionem ; tandem obligatio reddendi verius non suspenditur conjugi qui reipsa non cogitat de religione ingredienda.

1063. Haec quidem si matrimonium seu vinculum est certum pro utroque conjuge. Si autem alteruter dubitat de conjugii validitate, quaerenti num dubitans possit petere, vel saltem comparti bona fide petenti reddere, Inn. III in *cap.* 14, *De sentent. excomm.* ita respondet : « Inquisitioni tuae respondentes credimus distinguendum, utrum alter conjugum pro certo sciat impedimentum conjugii, an non sciat pro certo, sed credat. In *primo* casu debet potius excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale. In *secundo* distinguimus utrum habeat conscientiam hujusmodi ex credulitate levi et temeraria, an probabili et discreta. Et quidem ad sui pastoris consilium, conscientia levis et temerariae credulitatis explosa, licite potest non solum reddere, sed exigere debitum conjugale. Verum cum conscientia pulsat animum ex credulitate probabili et discreta, quamvis non evidenti et manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet, ne in alterutro vel contra legem conjugii, vel contra judicium conscientiae committat offensam ».

Pro recta hujus capitis intelligentia dicimus in primis conjugem dubitantem debere semper reddere, si alter in fide bona jure petit. Quoad petitionem, conjux dubitans debet rem explorare diligenter, nec ante hanc adhibitam diligentiam petere potest ex *cap.* 2, *De secundis nuptiis* (1). Posthac vero si certo non appareat matrimonium fuisse nullum, *regulariter* standum est pro valore matrimonii in utroque foro ; quo principio reflexo certiorata conscientia, ipse petere potest (2), etiamsi pro valore matrimonii nulla determinata probabilis ratio sit, quae sit e contrario pro ipsius nullitate (3), et licet ipse in mala fide, idest dubius impedi-

(1) S. Alph. *VI, n.* 903. D'Annibale *III,* § 341.
(2) S. Alph. *VI, n.* 904 cum communiori et probabiliori. Sanchez *II, XLI, n.* 46. De Lugo *De I. et I. XVII, n.* 88. D'Annibale *l. c.*
(3) S. Alph. *VI, n.* 905 satis probabiliter D'Annibale *l. c.*

Digitized by Google

menti, matrimonium contraxerit (1). Obstare videntur verba rel. *cap.* 44, *De sent. excomm.* : « Verum cum conscientia pulsat animum ex credulitate probabili et discreta, quamvis non evidenti et manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet ». Communior ac vera responsio est Pontificem vetare petitionem antequam diligentia adhibeatur, et per principium reflexum dubio deposito, conscientia certa efformetur : quod satis apparet ex verbis sequentibus : « Ne in alterutro..... vel contra judicium conscientiae committat offensam ».

Diximus *regulariter* : nam sunt duo casus in quibus dubitans de matrimonii valore petere numquam potest, etsi bona fide matrimonium contraxerit. Nempe 1° si quis prudenter dubitet *de morte prioris conjugis* : tunc enim possidet prius matrimonium, donec certo moraliter constet de illius solutione, et principium reflexum, quo conscientia certa efformetur, est impossibile ex cit. *cap.* 2, *De secundis nuptiis* ; 2° Si constet de impedimento juris ecclesiastici, et non constet de *impetrata dispensatione* : tunc enim pariter possidet impedimentum. Secus vero si constet de dispensatione et dubitetur de ejus valore : quia in dubio standum est pro valore actus (2).

S. Alph. *VI*, *n.* 908 indicat regulas ut cognoscatur quandonam dubium de valore matrimonii probabile sit necne. Scilicet conjux ordinarie loquendo non tenetur credere alteri asserenti se ficte consensisse, licet affirmet cum juramento, nisi ex circumstantiis certum moraliter sit ipsum non mentiri, quo in casu nec petere nec reddere potest, donec matrimonium revalidetur ; item non tenetur credere personis non fide dignis, aut famae incertae de impedimento. E contrario dictum unius testis fide digni de impedimento, aut fama publica ex certo auctore constituit dubium probabile. Igitur in illis casibus conjux erit certus, in istis dubius de jure conjugali, et ideo applicabit regulas supra positas. In dubio impotentiae vide quae diximus n. 262.

1064. Conjuges, rei maritali operam dantes, matrimo-

(1) S. Alph. *VI*, *n.* 906 satis probabiliter D'Annibale *l. c.*
(2) Marc *n.* 2094.

Digitized by Google

nium *consummant*, idest complent. Ad matrimonii consummationem duo simul requiruntur ac sufficiunt: 1° copula carnalis, qua conjuges fiunt una caro ex *cap.* 2, *De convers. conjugat.*; 2° ut huic copulae praecesserit matrimonium ratum seu legitimum. Hinc copula habita ante matrimonii celebrationem non efficit, ut contractum dein matrimonium consummatum censeatur, atque ideo neque indissolubilitatem, neque alios consummati matrimonii effectus operabitur (1).

1065. Primum requisitum paulisper declarantes, dicimus conjuges fieri unam carnem, quando semen virile in vaginam mulieris ingreditur (2).

Hinc si conceptio ex illa copula sequatur, dubitari non potest de matrimonii consummatione, cum ad conceptionem semen virile per vaginam transire debeat ad uterum et ad maturum ovulum foecundandum pertingere (n. 512 in nota).

Praeter casum conceptionis, matrimonium evidenter est consummatum, si vir membro virili vas mulieris penetravit, et, rupto hymene, semen in vaginam deposuit, muliere pariter seminante. Haec copula est undequaque plena ac perfecta: si exinde conceptio non sequitur, vitium est naturae, non copulae.

Idem juxta datas notiones dicatur, etsi mulier non seminaverit. Equidem S. Thomas in 4, *dist.* 41, *q.* 1, *a.* 1, *q.* 4, ad 2um docet « virum et mulierem effici unam carnem per commixtionem seminum » unde sequeretur, foemina non seminante, conjuges non esse effectos unam carnem, ideoque matrimonium non esse consummatum. At haec Angelici Doctoris sententia, salva reverentia, seponenda est: nam ex communi ac certa physiologorum doctrina mulieri verum semen deest, et ille humor viscosus nil refert ad generationem (3). Proinde dicendum virum ac mulierem fieri unam carnem per ingressum seminis virilis in vaginam mulieris, quo sanguines commiscentur, nec contraria sententia vide-

(1) Ballerini-Gury *II*, *n.* 745.
(2) Eschbach *I*, *VIII*, *III*.
(3) Eschbach *Disp. Phisiol.-theolog. I, IV, II.* S. Alph. *VI*, *n.* 918. D'Annibale *I*, § 65, *not.* 12.

Digitized by Google

tur amplius aliqua probabilitate gaudere. Caeterum seminatio mulieris semper praesumitur in utroque foro, praesertim si foemina fateatur magnum voluptatis sensum se expertam, quamvis seminationem non adverterit (1).

E contrario matrimonium habendum est ratum tantum, si hymen qui vaginam claudit, est intactus ; id enim indicat semen in vaginam immissum non fuisse. Medici narrant ipsas mulieres post partum ac meretrices quandoque cum hymene incorrupto repertas fuisse. At ii casus sunt rarissimi ; et praeterea ipse partus aliaque signa, quae medici noscunt, indicant copulam perfectam habitam. Proinde jure meritoque jurisprudentia S. C. C. retinet matrimonium, hymene integro, non esse consummatum, nisi ex medicorum examine et attestatione aliud constet.

Quod si vir non seminavit, aut verum semen non effudit, ut contingit in spadonibus, aut seminavit totaliter extra vas, non consummatio matrimonii evidens est, sive foemina seminaverit sive non. At merito docet S. Alph. *VI, n.* 1075 : « Si vir coierit, et dubitat an seminaverit, vel an intra vas, copula praesumitur perfecta ».

Item affirmanda est consummatio, si vir seminavit partim extra vas, et partim, lacerato hymene, intra : neganda autem, si semen ad externum tantum vasis muliebris orificium apposuit, quia ex communiter contingentibus prudenter judicatur semen in vaginam ingressum non esse (n. 530), nisi aliud constet. Caeterum hoc in casu pro externo foro, si foemina est virgo, non consummatio matrimonii probabitur ex hymene intacto, ut supra ; sed si foemina est corrupta, non videmus quomodonam probari possit.

Tandem heic locus est ut de *foecundatione artificiali* pauca verba faciamus. Saeculo elapso ad finem vertente, Spallanzani, sacerdos Mutinensis in scientiis naturalibus celeberrimus et in Papiensi Universitate professor, publici juris fecit novam theoriam, quod scilicet animalia possint foecundari absque carnali maris et foeminae commixtione, supplente artificiali methodo, qua per syphunculum mas-

(1) S. Alph. *VI, n.* 1075. Ballerini-Gury *II, n.* 811. Sanchez *II, XXI, n.* 8. D'Annibale *l. c.*

Digitized by Google

culum semen in foeminea organa introducatur, dixitque se rem in cane expertum esse (1). Deinde medici hanc doctrinam applicaverunt humanae generationi : et nonnulli ajunt exinde foecundationem sequutam esse, quae dicta est *artificialis* ; alii vero id negant et irrident.

At quidquid sit de veritate foecundationis artificialis, Sanchez *II, XXI, n.* 2 haec habet « Conveniunt (omnes auctores) consummari (matrimonium) quacumque arte semen recipiatur intra vas naturale absque illius penetratione, quia ea copula sufficiens est generationi, per eamque sponsi una caro efficiuntur... Et hoc verum est, quamvis daemonis ministerio semen viri in vase debito recipiatur... »

At admissa etiam possibilitate hujusmodi foecundationis, matrimonium, si nullo alio modo naturali ac licito consummari possit, nullum esse ex capite impotentiae diximus n. 533.

1066. Consummatio matrimonii rite celebrati praesumitur in foro externo ; unde claris argumentis non-consummatio evinci debet. Satis autem probata erit non-consummatio : 1° Si conjuges rei matrimoniali operam dare non potuerunt sive quia numquam neque per paululum temporis soli post initas nuptias fuerunt, sive quia impotentia viri in propatulo est, e. g. quia vir est eunuchus ; 2° Si constat de mulieris virginitate, quae evincitur praesertim corporis inspectione peracta juxta ea quae dicemus n. 1197, et testimonio septimae manus ; 3° Si talia indicia et circumstantiae concurrant, ut simul sumptae moralem certitudinem prudenti judici constituant matrimonium non fuisse consummatum, licet nec mulier virgo sit, quia e. g. erat vidua, aut ab alio viro cognita fuit, nec vir certa impotentia laboret.

1067. Consummato matrimonio, conceptio non semper sequitur. Ballerini-Gury *II, n.* 923, haec habet : « Post accuratiora physiologiae studia jam constat sua stata esse tempora, quibus e conjugali congressu sperari aut non sperari effectus generationis possit : et tamquam exploratum jam habetur sperari illum effectum non posse, a *quarto-*

(1) Eschbach *I, IV, III.*

Digitized by Google

decimo die post incepta menstrua usque ad subsequentis epochae finem, idest ad sequentem usque menstruorum recursum ». Etiam d'Annibale *III*, § 336, *not.* 5, hanc physiologicam legem non solum probabilissimam, sed prope certam dicit. E contrario Eschbach *I*, *V*, *IV*, pluribus citatis praeclarissimis medicis, post accuratiora physiologiae studia docet : « Quamvis conceptui convenientia magis videantur tempora menstruis proximiora, tamen affirmare hodiernae scientiae progressus minime sinit ex copula inter duplicem menstruorum epocham habita sperari effectum generationis non posse » subditque in nota etiam de hac majori convenientia omnimode non consentire physiologos. Cum igitur hoc tempore intermenstruo juxta communiorem sententiam conceptio aut impossibilis aut difficilior sit, quaesitum fuit a S. Poenitentiaria num conjuges ad evitandam prolem possint hoc tantum tempore matrimonio uti, et num confessarius possit id consulere ad ipsos ab onanismi scelere retrahendos. S. Poenitentiaria reposuit *die* 16 *Junii* 1880 : « Conjuges praedicto modo matrimonio utentes inquietandos non esse ; posseque confessarium sententiam, de qua agitur, illis conjugibus, caute tamen, insinuare, quos alia ratione a detestabili onanismi crimine abducere frustra tentaverit ».

1068. Caeterum de infando onanismi crimine confessarius prae oculis habeat sequentes S. Poenitentiariae responsiones :

« An suo muneri satisfaciant illi confessarii, qui cum poenitente, onanismi peccatum accusante, altum silentium servant, et, finita confessione peccatorum, illum verbis generalibus ad contritionem excitant, illique asserenti se detestari omne peccatum lethale, sanctam absolutionem impertiuntur ». S. Poenitentiaria reposuit *die* 14 *Dec.* 1874 *negative.*

Ad dubia : « 1° Quando adest fundata suspicio poenitentem, qui de onanismo omnino silet, huic crimini esse addictum, num confessario liceat a prudenti et discreta interrogatione abstinere, eo quod praevideat plures a bona fide exturbandos, multosque sacramenta deserturos esse ?

Digitized by Google

Annon potius teneatur confessarius prudenter ac discrete interrogare ? 2° An confessarius, qui sive ex spontanea confessione, sive ex prudenti interrogatione cognoscit poenitentem esse onanistam, teneatur illum de hujus peccati gravitate aeque ac de aliorum peccatorum mortalium monere, eumque, uti ait Rituale Rom., paterna charitate reprehendere, eique absolutionem tunc solum impertiri, cum sufficientibus signis constet, eumdem dolere de praeterito, et habere propositum non amplius onanistice agendi », Reposuit 10 *Mart.* 1886 : « Attento... vitium infandum, de quo in casu, late invaluisse..., ad 1um regulariter negative ad 1^{am} partem, affirmative ad 2^{am} ; ad 2um affirmative juxta doctrinas probatorum auctorum ». Illud *regulariter* indicat aliquando confessarium silere debere, ne sine ullius fructus spe bona fides in fidem malam convertatur (1).

1069. Tandem de prole quae ex usu matrimonii validi nascitur, nonnulla dicenda sunt. Juxta glossam in *cap.* 6, *Qui filii sunt legitimi v. repellendus*: « quidam filii dicuntur *legitimi tantum*, ut adoptivi sive arrogati... ; alii dicuntur *legitimi et naturales*, ut nati ex legitimo matrimonio vero vel putativo sive ab initio sive ex postfacto... ; alii dicuntur *naturales et non legitimi*, ut nati ex concubinis in domo... ». Proinde proles quae ex usu matrimonii validi nascitur est naturalis et legitima (*natura-lege*). Proles autem, quae, stante hoc matrimonio, nascitur, praesumitur nata ex usu ejusdem matrimonii seu ex marito ab uxore genita juxta *l.* 5 *ff. De in jus voc.* : « Is pater est quem nuptiae demonstrant » nisi aliud evidentissime probetur *l.* 6, § 1, *De iis qui sui*. Haec probatio evidentissima non est ex simplici facto quod mater adulterium commiserit *l.* 11, § 9, *Ad l. Juliam. De adult.*, quia id solum evidentissime non evincit adulterum et non maritum esse patrem prolis ; ideoque haec habenda est legitima. Imo nec est probatio evidentissima, si mater, fide dignissima, moriens juramento id solemniter affirmaverit, nisi talia proferat indicia quae in foro exteriori satis forent, tum quia « nulla

(1) Lehmkuhl *II*, *n.* 859, in nota.

Digitized by Google

est causa quae unius testimonio quamvis legitimo terminetur » ut habet *cap.* 23, *De testibus*, tum quia non meretur fidem allegans turpitudinem suam *cap.* 8, § *ult. De donationibus*; *l.* 5 *C. De serv. pign. dato* (1). Exinde deducimus nec esse probationem evidentissimam si etiam pater adulter id fassus fuerit (2); ac proinde filius adhuc posset jura legitimorum tuta conscientia sibi vindicare. Quid si filius natus est statim post initum matrimonium vel longe post mariti mortem? Notum est foetum edi nono plerumque mense ex quo conceptus fuit, interdum septimo ineunte, nonnumquam decimo pleno, nempe non ante 180, nec post 300 diem (3). Proinde si filius natus est post 180 diem ab inito matrimonio, nulla in hoc est probatio maritum non esse illius patrem. Si natus est antea, jam est probatio evidentissima non esse conceptum ex matrimonii usu : et tunc si maritus praegnantiam uxoris nesciebat aut filium natum statim repudiavit, praesumitur filius conceptus ex alio viro, et certe est illegitimus; secus praesumitur conceptus ex marito ante matrimonium, et utrum habendus sit legitimus necne vide n. 1071. Pariter si filius natus est ante diem 300 a morte mariti, nulla per se est probatio maritum non esse patrem; si natus est postea, jam est probatio evidentissima non esse conceptum ex marito, ideoque esse illegitimum, nisi matris valetudo, mores et rerum circumstantiae aliud suadeant (4). E contrario est probatio evidentissima maritum non esse patrem prolis et hanc esse adulterinam, si constat quod maritus ob diuturnam absentiam vel temporaneam impotentiam vel aliam similem causam numquam uxori est copulatus (5).

1070. Proles habita ex usu matrimonii validi est legitima juxta exposita, etsi matrimonium sit illicitum et mala fide initum, vel prohibitus illius usus, tum inter fideles tum

(1) D'Annibale *I*, § 49, *not.* 20. De Lugo *De j. et j. XIII*, *n.* 26. S. Alph. *III*, *n.* 654, 924.
(2) Schmalz. *IV*, *XVII*, *n.* 36.
(3) D'Annibale *l. c.*
(4) D'Annibale *l. c.* Reiff. *IV*, *XVII*, *n.* 24. Voet 50, 5, 4 Schmalz. *IV*, *XVII*, *n.* 40.
(5) Schmalz. *IV*, *XVII*, *n.* 39.

Digitized by Google

inter infideles. Hinc in *cap.* 9, *Qui filii sunt legitimi* traditur filios natos ex matrimonio clandestino legitimos esse, quia tunc temporis matrimonium clandestinum ubique terrarum validum erat, etsi illicitum. Tantum quaestio est an legitima sit proles nata ex sacrilego coitu inter maritum et uxorem, postquam, servatis servandis, vel una aut utraque pars, matrimonio consummato, religionem cum votis solemnibus professa est, vel vir ordines sacros suscepit. Certum est hanc prolem esse irregularem ex *cap.* 1, *et* 14, *De filiis presbyterorum...*, id est esse illegitimam quoad effectus canonicos, sed non videtur esse illegitima quoad effectus civiles, successionem scilicet haereditariam caeteraque jura quae secundum leges legitimis competunt, quia ab iis civilibus juribus eae leges ipsam non excludunt (1).

Ad infideles quod attinet Inn. III in *cap. ult. Qui filii sunt legitimi* hanc legitimitatem proli post fidem a parentibus susceptam, utilitate publica suadente, ex favore concedit; sed loquitur juxta glossam *l. c. v. opinionem* de prole nata ex secunda uxore ducta a viro post primam repudiatam secundum infidelium errores, declarans hanc prolem esse legitimam, quae per se foret illegitima.

1071. Quaeritur utrum pro prolis legitimitate requiratur conceptio et nativitas in justis nuptiis, an sufficiat tantum nativitas. E. g. Titius, matrimonio conjunctus cum Caja, rem habet cum Sempronia: moritur Caja, et Titius ducit in uxorem Semproniam, quae paulo post matrimonii celebrationem filium parit ex praecedenti copula. Si pro legitimitate attenditur tantum nativitas in justis nuptiis, hic filius erit legitimus; si attenditur conceptio et nativitas, erit illegitimus. Jam vero Ben. XIV in epist. *Redditae Nobis* 19 *Dec.* 1744, § 3 hanc quaestionem arduam appellat et concludit: « In qua contraversia satis, ut praediximus, ardua, cum inveniantur textus textibus contrarii, cum doctores doctoribus, tribunalia tribunalibus adversentur, si a Nobis judicium Nostrum in casibus particularibus interponendum foret, non aliter id a Nobis fieret, quam secundum senten-

(1) Schmalz. *IV, XVII, n.* 35.

Digitized by Google

tiam in tribunalibus et curia illius regionis receptam, in qua esset pronuntiandum ». Deficiente autem hac jurisprudentia, sufficit nativitas in justis nuptiis, quia in dubio semper favendum est proli (1). Accedit nimis clara *l.* 11, § *et multo magis C. De natural. liberis* : « In quaestionibus in quibus de statu liberorum est dubitatio, non conceptionis sed partus tempus inspiciatur ».

1072. Nec convenitur inter DD., utrum expositi quorum parentes ignorantur, habendi sint legitimi, an illegitimi. Nonnulli putant habendos esse illegitimos : quia plerumque illegitimi exponuntur ; in humanis autem judicandum est juxta communiter contingentia. Alii censent habendos esse legitimos : quia filius reputandus est legitimus, donec illegitimitas non probetur ; expositio autem illam non evincit. Haec altera sententia communior et probabilior est, quia in dubio : « judex debet in bonum et commoda prolis propensus esse » ut ait Ben. XIV *l. c.* § 4 ; et Salm. *X*, *IX*, *n.* 44 referunt ita a Greg. XIV cautum fuisse. Haec quaestio practica non est nisi quoad effectus canonicos legitimitatis seu quoad irregularitatem ; de qua in tractatu de ordine.

Item dicas si ignorentur hujus viri parentes ; vir habendus est legitimus quia « in dubiis inspicimus quod plerumque fieri solet « ex *reg.* 45 *juris in* 6°.

1073. In *cap.* 5 *et* 7, *Qui filii sunt legitimi* agitur de judice qui definire debet utrum filius sit legitimus necne.

Si legitimitas pendet ex validitate matrimonii, sententia reservatur judici ecclesiastico : nam hic tantum est competens circa matrimonii valorem aut nullitatem ; atqui qui videt causam principalem, videre quoque debet accessoriam intime cum ea connexam. Confirmatur ex *cit. cap.* 5, *et* 7.

Si legitimitas pendet ex facto contracti matrimonii, num scilicet matrimonium de facto initum fuerit, etiam judex laicus potest illam definire, utpote qui de facto matrimonii videre utique potest. Idem dicas si legitimitas pendet ex alia quaestione facti, num proles ex marito revera nata sit. Sed de iis fusius *in cap. IX art. II.*

(1) Schmalz. *IV*, *XVII*, *n.* 9. Reiff. *n.* 17.

Digitized by Google

Caeterum hodie auctoritas civilis effectus legitimitatis civiles matrimonio tantum civili tribuere solet apud nostras nationes.

§ 2. — *De communione tori, mensae et habitationis inter conjuges.*

1074. De hac re brevis sermo erit. Ut quisque valeat jure suo conjugali melius uti, necnon propter mutuum vitae adjutorium conjuges tenentur ex obligatione justitiae ad habitandum in eadem domo et ad utendum eadem mensa eodemque toro.

Sane in matrimonii definitione verba *individuam vitae consuetudinem afferens* indicant tum praesertim vinculum conjugale, tum etiam jus-obligationem ad hanc vitae communionem. Confirmatur ex *Gen. II*, 24 : « *Relinquet homo patrem suum et matrem suam et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una* ». Illud *adhaerebit* (vir) *uxori suae*, et consequentur uxor viro suo, videtur clare significare hanc vitae communionem. Hinc Romani matrimonium definiebant : *consortium omnis vitae l.* 1 *ff. De ritu nupt.* Aristoteles *Ethic. VIII, XII*, ita rem explicat : « Viro et uxori secundum naturam amicitia videtur inesse; homines enim conjugium subeunt non solum procreationis, sed eorum etiam gratia quae ad ipsam conferunt vitam : officia namque continuo sunt diversa, atque alia viri, alia sunt uxoris; opem itaque mutuo sibi ferunt ». Quam rationem evolvit S. Thomas in *loc. cit. Aristotelis*, *lect.* 12.

Caeterum jus et obligationem ad hanc vitae communionem pertinere ad integritatem potius quam ad essentiam matrimonii alias diximus; ideoque valere matrimonium cum pacto non habitandi in eadem domo eademque mensa et toro non utendi, salvo utrique parti jure conjugali (n. 859).

1075. Ex dictis consequitur neque virum ab invita uxore neque multo minus uxorem ab invito viro discedere posse ad longum tempus. « Cum vir et mulier una caro sint, non debet alter sine altero esse diutius » ait Alex III in *cap.* 1, *De conjugio leprosorum*. Secus conjux derelictus potest mi-

Digitized by Google

nisterio judicis discedentem repetere, ut omnes DD. admittunt cum Schmalz. *II, XIII, n.* 57 ; nisi discedens justam opponat discessus causam e. g. impedimentum dirimens notorium aut cujus paratas habet probationes ex *cap.* 13 *De restitutione spoliatorum*. Altero autem consentiente, potest, saltem attenta justitia, alter, etiam ad longum tempus, abesse. Hinc ex una parte uxor regulariter tenetur sequi virum volentem discedere ad longum tempus, etiamsi hic domicilium mutet sine justa causa, modo causa non sit turpis (1), aut etiamsi in exilium missus sit, dummodo grave damnum (2) vel periculum seu corporale seu spirituale exinde uxor non patiatur. Ex alia autem parte vir discedens ad longum tempus debet, si commode potest, idest nisi magnae expensae requirerentur, uxorem secum adducere (3). Quid si vel uxor virum sequi renuat aut nequeat; vel vir uxorem sine magno incommodo secum adducere non valeat ? Urgentibus justis causis e. g. ob bonum publicum vel ad alendam aut tuendam familiam vel ad vitandum damnum ab inimicis etc., potest vir discedere ; secus debet cum uxore remanere. Quod si brevi tempore abfuturus est, nec ipse tenetur uxorem adducere, nec uxor ipsum sequi. Vir potest suscipere brevem peregrinationem devotionis causa, etiam invita uxore ; non item regulariter uxor, invito marito, cum ipsa sit subiecta illius voluntati, nec deceat mulieres peregrinari (4).

1076. In eadem domo habitantes vir et uxor in eadem mensa sedebunt. Non uxor virum, nisi aliud conventum sit, sed vir uxorem, recepta dote, alere tenetur. Communiter docent AA. virum non teneri uxorem alere, non soluta dote, cum dos ideo constituatur, ut ex ea vir onera matrimonii sustineat. Excipe si vir eam duxit sine dote, aut uxor ei obsequia domestica loco famulae praebeat; tunc enim eam saltem uti famulam alere debet. Quod si uxor ex sua culpa cum viro non cohabitet, vir, nec soluta dote, tenetur eam alere ; secus vero si ob justam causam. Caeterum quando

(1) S. Alph. *VII, n.* 977.
(2) S. Alph. *l. c.* Marc *n.* 2120. Sanchez *I, XLI, n.* 13.
(3) S. Alph. *l. c.* et *n.* 939.
(4) S. Alph. *VI, cit. n.* 939. Sanchez *IX, IV, n.* 15.

Digitized by Google

sive vir sive uxor vere pauper est, puta si dos fortuito periit, tenetur saltem ex charitate alter alterum alere : « Quid enim tam humanum est quam fortuitis casibus mulieris maritum, vel uxorem viri participem esse? » *l. si maritus ff. Soluto matrimonio* (1).

1077. Et in eodem lecto cubabunt. Communio tori videtur formaliter haberi, si, prouti in multis familiis in usu est, uxor et maritus habent quidem distinctum torum et cubiculum, sed cubiculum est contiguum, et cuique in alterius cubiculum et torum liber et facilis patet accessus : licet hic usus minus laudandus sit.

Articulus II

De divortiis (2).

§ 1. — *De divortio pleno idest quoad ipsum vinculum*

1078. Indissolubilitatem esse unam ex proprietatibus matrimonii praesertim Christiani diximus n. 209, et indicat vox *individua* in matrimonii definitione. Quaeritur utrum et quomodo divortium plenum opponatur ipsi juri naturali.

Pius IX in Syllabo *n.* 67 reprobavit hanc propositionem quam Nepomucenus Nuytz Taurini docebat : *Jure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest.* Unde sequitur matrimonii vinculum ipso naturali jure esse aliquo modo indissolubile, et auctoritatem civilem numquam divortium proprie dictum sancire posse ne pro subditis quidem infidelibus. Quod juxta doctrinam S. Thomae 4 *dist.* 33, *q.* 2, *a.* 2, *q.* 1 ita declaramus.

In primis omnimoda indissolubilitas vinculi ita ut nullo umquam in casu solvi queat, non est ex praeceptis primariis legis naturae tum quia dari potest casus quo ea minime excludat finem principalem matrimonii, procreationem nempe et educationem prolis, e. g. si matrimonium est ste-

(1) S. Alph. *VI, cit. n.* 939. Sanchez *IX, V, n.* 2 *sequ.*
(2) Vide canonistas in *tit. De divortiis, XIX, lib. IV Decret.*

Digitized by Google

rile aut filii educationem jam receperint; atqui « si actio sit inconveniens fini, quasi omnino prohibens finem principalem, directe per legem naturae prohibetur primis praeceptis legis naturae » S. Thomas *l. c.*, *q.* 1, *a.* 1 ; tum quia obstat in V. T. libellus repudii permissus Hebraeis, in N. T. privilegium fidei, et potestas R. P. dispensandi in matrimonio rato fidelium, et etiam consummato infidelium juxta inferius dicenda.

Quamquam haec vera sint, tamen indissolubilitas vinculi *ex mera voluntate* unius, aut etiam utriusque conjugis est ex praeceptis primariis legis naturae. Aliis verbis *unio libera*, ut ajunt, qua conjuges possunt se separare et ad alia vota transire, quandocumque alteruter voluerit, aut etiam uterque consenserit, est contra praecepta primaria legis naturae ; nam manifeste contraria est fini principali matrimonii seu educationi prolis, quae requirit diuturnum parentum convictum.

Praeterea omnimoda indissolubilitas vinculi in genere est ex praeceptis secundariis legis naturae, cum per eamdem melius consulatur bono prolis, et plenius ac facilius obtineatur finis secundarius matrimonii, mutuum scilicet adjutorium ; etsi in nonnullis casibus particularibus hoc perpetuum jugum durum videri possit.

Hinc Deus in primitiva matrimonii institutione hanc plenam indissolubilitatem vinculi constituit : quod satis eruitur ex illis verbis Gen. *II*, 24 : « *Adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una* ».

Deinde permisit Hebraeis propter duritiam cordis eorum libellum repudii.

Tandem Christus D. Matth. *XIX*, 8 *sequ.* repudii libellum revocavit, matrimonium reducens ad primitivam sui institutionem (1); imo matrimonio fidelium specialem voluit firmitatem inesse propter rationem sacramenti, quia scilicet pressius referre debet imaginem unionis ipsius cum Ecclesia (2). At simul inductum est privilegium fidei, et Ecclesiae

(1) *Cap.* 8 *cit. tit.* Ben. XIV Const. *Apostolici ministerii* 16 *Sept.* 1747.

(2) Hinc indissolubilitas seu perpetuitas matrimonii dicitur *bonum sacramenti* (cit. n. 209). Plures censent matrimonium ratum fidelium esse

Digitized by Google

concessa potestas dispensandi in vinculo matrimoniali, excepto matrimonio consummato fidelium propter perfectam in eo rationem sacramenti.

Exinde sequitur principem civilem etiam in casibus in quibus divortium proprie dictum non esset contra naturae legem, non posse illud sancire nec pro subditis infidelibus, cum nusquam legatur ipsi concessa potestas dispensandi a jure matrimoniali divino positivo.

1079. Ex dictis jam apparet indissolubilitatem vinculi matrimonialis non esse ita absolutam, sicuti est ejusdem unitas; et conjugale vinculum, licet de se perpetuum, idest duraturum usque ad mortem, tamen aliquando solvi praeterquam ob mortem naturalem. Ut de hac solutione vinculi matrimonialis nunc in concreto loquamur, dicemus primo de matrimonio fidelium, cui accedit matrimonium inter infidelem et fidelem, obtenta dispensatione ab impedimento disparitatis cultus; deinde de matrimonio infidelium.

1080. Matrimonium *fidelium* ratum et consummatum nulla humana potestate solvi potest. Ipsi praesertim applicantur verba Christi *Math. XIX*, 6: « *Quod Deus conjunxit, homo non separet* ». Et S. Paulus *ad Rom. VII*, docet hoc matrimonium non solvi nisi morte naturali. Hinc R. P. potest quidem declarare matrimonium fidelium consummatum fuisse nullum, obstante aliquo impedimento dirimente; sed si fuit validum nequit illud quacumque de causa dissolvere. Graeci, Calvinistae, aliique putant solvi adulterio unius partis. Contra ipsos Conc. Trid. *sess. XXIV*, *can.* 7 definivit: « Si quis dixerit Ecclesiam errare cum docuit et docet juxta Evangelium et Apostolicam doctrinam propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque vel etiam innocentem qui causam adulterio non dedit, non posse altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere; moecharique eum, qui, dimissa adultera, aliam duxerit, et eam quae, dimisso adultero, alium duxerit; A. S. ». Et *can.* 5: « Si quis dixerit propter haeresim aut molestam cohabitationem aut affecta-

fortius matrimonio consummato infidelium, alii e contrario. Veritas est hujusmodi comparationes nulli inniti solido fundamento.

Digitized by Google

tam absentiam a conjuge dissolvi posse matrimonii vinculum; A. S. ».

1081. E contrario matrimonium fidelium ratum tantum, praeterquam ob mortem naturalem, solvitur :

1° *Dispensatione Romani Pontificis.* Quamquam haec R. P. potestas proprie de fide non sit, tamen nemo catholicorum hodie eamdem ipsi negat, nec sine magna temeritate negare potest, cum eadem R. P. utatur, etiam altero conjuge invito. S. Alph. *VI, n.* 959 ait de hac R. P. potestate adesse duplicem sententiam probabilem, nonnullos negare, alios affirmare: sed negantem inter opiniones obsoletas esse amandandam merito ostendit Ballerini-Gury *II, n.* 759.

Exempla harum dispensationum antiquiora plura habes apud Schmalz. *IV, XIX, n.* 46, recentiora usque ad Pium IX apud Perrone *III, pag.* 509 *sequ.*. Hodie vero hae dispensationes, consulente S. C. C., vel S. C. S. Officii, passim conceduntur.

Has dispensationes R. P. non elargitur nisi ad petitionem partis vel partium, et ex justa causa. Qualis sit justa causa prudentiae ejusdem R. P. remittitur: « Non potest dari certa regula, debent tamen esse graves et urgentes.... Et in omni casu faciliorem reddit dispensationem oratorum nobilitas et potentia... » ait De Justis *II, X, n.* 21-34.

DD. plures istiusmodi causas exempli gratia enumerant (1) quarum praecipuae ad sequentes reduci possunt: *a*) animorum dissociatio, quin affulgeat futurae reconciliationis spes; *b*) timor probabilis magni scandali futuri, discordiarum et rixarum inter consanguineos; *c*) probabilis suspicio impotentiae cum periculo incontinentiae; item semiplena probatio defectus consensus, aut alterius impedimenti; *d*) morbus contagiosus superveniens; *e*) periculum perversionis, ut si quae cum haeretico contraxisset; *f*) si quis aliud matrimonium equidem nullum deinde inierit, a quo se aliter liberare nequeat (2) e. g. matrimonium civile; *g*) tandem mutuus consensus, de quo tamen ait Consci *l. c. n.* 97 : « Mutuo in-

(1) De Justis *l. c.* Consci *De separatione tori III, II, n.* 96 *sequ.* Sanchez *II, XVI.* Schmalz. *IV, XIX, n.* 53 *sequ.*

(2) De Justis *l. c. n.* 32.

Digitized by Google

tercedente conjugum consensu, posse Papam de absoluta potestate etiam sine ulla causa hanc dispensationem concedere, sed de ordinaria auctoritate non esse solitum dispensare, nisi cum aliqua causa longe tamen minus gravi et urgenti ea requisita in casu alterutrius dissensus, post antiquiores advertunt Fagnanus..... ». Saepe plures ex istiusmodi causis simul concurrunt.

Exinde facile intelligitur hodierna S. C. C. et S. C. S. Officii in his causis jurisprudentia, quae, semel extra dubium posita non-consummatione matrimonii, pro dispensatione respondere solent; quia nimirum justa causa plerumque adest. Utrum dispensatio concessa a R. P. sine justa causa foret non modo illicita, sed etiam invalida, DD. inter se non conveniunt. Licet hypothesis ferme impossibilis sit, tamen respondemus ex communiori sententia dispensationem esse quoque nullam (1).

1082. 2° *Solemni professione religiosa.* Id definivit Conc. Trid. *Sess. XXIV can.* 6: « Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi; A. S. ». *Professione*; proinde non ingressu in religionem, aut susceptione habitus religiosi. *Solemni*; unde non professione in congregatione religiosa cum votis simplicibus; nec professione simplici in ordine religioso votorum solemnium post novitiatum, nec ea professione qua vota simplicia in S. I. nuncupantur (2), licet haec ultima professio ex speciali privilegio matrimonium contrahendum dirimat (n. 574).

Disputant DD. quo jure professio solemnis matrimonium antea contractum dirimat: sed sine ulla cunctatione respondendum dirimere solo jure ecclesiastico, sicuti de matrimonio post professionem inito diximus n. 567; cum a sola Ecclesiae constitutione votorum solemnitas repetenda sit. Nimirum R. P. lege generali statuit hujus matrimonii vinculum solvi solemni professione religiosa.

1083. Matrimonium *infidelium* seu ratum tantum, seu

(1) Schmalz. *IV, XIX, n.* 51. Sanchez *II, XV, n.* 6. Pirhing *IV, I, n.* 145, ac plures alii apud Schmalz. *l. c.*

(2) Ballerini-Gury *II, n.* 759.

Digitized by Google

ratum et consummatum, praeterquam ex causa mortis naturalis, solvitur:

1° *Privilegio fidei* in casu Apostoli, ut ajunt. Nempe si unus conjugum infidelium convertatur ad fidem, altero remanente in infidelitate et nolente cohabitare, aut nolente cohabitare pacifice sine contumelia Creatoris, conjux fidelis, suscepto baptismate, potest alias inire nuptias, quibus matrimonium in infidelitate contractum solvitur. Haec tradit S. Paulus 1 *Cor. VII*, 12 *sequ.*: « *Nam caeteris ego dico, non Dominus; si quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentiat habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem, alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subiectus est frater aut soror in hujusmodi: in pace autem vocavit nos Deus.* »

De hoc fidei privilegio loquitur Inn. III *cap. 7 cit. tit.* Quaesitum fuerat num altero conjugum ad haeresim transeunte, qui relinquitur, possit ad secunda vota convolare: « Nos igitur, ait Inn. III, consultationi tuae respondentes distinguimus, licet quidam praedecessor noster sensisse aliter videatur, an ex duobus infidelibus alter ad fidem catholicam convertatur, vel ex duobus fidelibus alter labatur in haeresim, vel decidat in gentilitatis errorem. Si enim alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit: et in hoc casu intelligimus quod ait Apostolus: *Si infidelis discedit, discedat; frater enim vel soror non est servituti subjectus in hujusmodi*; et canonem etiam in quo dicitur: *Contumelia Creatoris solvit jus matrimonii circa eum, qui relinquitur.* » Deinde vero docet, si alter fidelium conjugum labatur in haeresim, vel transeat ad gentilitatis errorem, qui relinquitur, non posse, vivente

Digitized by Google

altero, ad secundas nuptias convolare ; quod modo est de fide ex canone Tridentino relato n. 1080. Vide etiam *cap.* 8 *cit. tit.*, quod est ejusdem Inn. III.

Et notanda sunt illa verba relata *licet quidam praedecessor noster sensisse aliter videatur* : unde deducunt haeretici aliquem Inn. III praedecessorem sensisse matrimonii vinculum propter haeresim unius partis dissolvi. Et Glossa *l. c. v. Praedecessor* ait : « Scilicet Caelestinus, dictum cujus habuisti olim in decretali *De conversione infidelium*, *cap. laudabilem*, et male dixit Caelestinus ». Sed glossator dormiens haec scripsit ; nam in eo capite nec vola nec vestigium hac de re. Caeterum huic haereticorum obiectioni applica responsionem, quam simili prorsus difficultati dedimus n. 627.

1084. Circa originem hujus privilegii est duplex sententia. Nonnulli censent hoc privilegium esse juris humani, latum scilicet ab Apostolo potestate Apostolica pro Corinthiis, et deinde a Primate ad totam Ecclesiam extensum (1). Alii docent esse juris divini, nempe ab ipso Christo D. statutum, et ab Apostolo tantum promulgatum (2). Haec altera sententia est communior, eamque tenent et tenere debent omnes, qui negant in R. P. potestatem solvendi matrimonium infidelium, imo haec sententia traditur quoque in nonnullis instructionibus SS. CC. RR. infra citandis. Sed his non obstantibus quaestio finita non est : nam SS. CC. hanc quaestionem ex professo non examinant. Aliunde, semel admissa, prouti admittenda est (n. 1109) in R. P. potestate in infidelium conjugium, prima sententia gravem difficultatem non patitur, graves difficultates evitans, quae in altera reperiuntur ; quia juxta eam R. P., potens dissolvere matrimonium infidelium, statuisset ab initio illud in casu Apostoli solvi, sicuti potens dissolvere matrimonium fidelium ratum tantum, constituit illud solvi professione solemni religiosa. Tandem eadem sententia conformior vi-

(1) Abbas *in cap. Quanto De Divortiis n.* 5, et ibi Alex. de Nevo *n.* 9 Paludanus 4 *dist.* 49, *q. un.*, *a.* 2, *n.* 12.

(2) Ben. XIV *De Syn. VI, IV, n.* 3. Giovine *I*, § 271, *n.* 3. S. Alph. *VI, n.* 955, *II.* Feje *n.* 471. Palmieri *De matr. thesi* 26ª.

Digitized by Google

detur contextui Apostoli, et praesertim Patrum expositionibus. Ob has rationes nos in eam inclinamur. Eam tenent AA. *Disputationis Apostolicae Sedi exhibitae a Patribus S. I., qua R. P. vindicatur potestas solvendi matrimonium consummatum infidelium* (1), qui exinde praecise probant in fundamento 3° R. P. potestatem in infidelium conjugium. Verba haec sunt :

« Paulus Apostolus 1ª *Cor. VII* monet ut vir fidelis infidelem uxorem cohabitare nolentem non deserat, nisi velit ipsa discedere, quod se dicere non ex Domini praecepto, sed ex sua, hoc est Apostolica auctoritate testatur his verbis : *Nam caeteris ego dico, non Dominus*, significans quae deinceps dicturus est de conjugio fidelis cum infideli tam quoad cohabitationem, quam quoad discessum, suae esse auctoritatis, non divinae : et probatur (2). Primo quia S. Aug. *lib. I De sermone Domini in monte, c.* 27 : « *Caeteris*, inquit, *ego dico, non Dominus. Hic videndum est quibus caeteris. Dicebat enim superius ex Domini persona illis, qui sunt in conjugio : nunc vero ex sua persona caeteris dicit : ergo fortasse iis, qui non sunt in conjugio. Sed non hoc sequitur ; ita enim subjungit : Si quis frater habet uxorem infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam : ergo et nunc iis dicit, qui sunt in conjugio. Quid ergo sibi vult quod ait : caeteris ? nisi quia superius eis loquebatur, qui sic copulati erant, ut pariter in Christi fide essent : caeteris vero nunc dicit, idest eis qui sic copulati sunt, ut non ambo fideles sint.* Haec Aug.; quem in commentariis in eumdem Apostoli locum sequuntur Beda, Sedulius, Primatius, Haymo, et Anselmus, judicantes quae supra Apostolus dixerat conjugatis, dixisse fidelibus omnia ex jussu Domini, quae vero postea subjungit, dicere omnia ex sua persona fidelibus conjunctis cum infidelibus. Quare indistincte etiam dicit ibidem Theodoretus ex persona Apo-

(1) Haec disputatio, a doctissimis viris subscripta, refertur a Zitelli *De disp. matr. App. XI.*

(2) Scilicet quaestio hermeneutica est utrum illa verba : *Nam caeteris ego dico, non Dominus*, referantur ad praecedentia, an ad subsequentia ; et AA. hujus disputationis probant referri ad subsequentia.

Digitized by Google

stoli : *Hoc ego dico, pro eo quod est, non inveni hanc legem scriptam in sacris Evangeliis, sed nunc eam fero.* Et Ambrosius : *Hoc dixit*, inquit, *ut ostendat quid proprio ore Dominus jussit, et quid hujus auctoritati concessit.* Secundo : Si prior pars de cohabitatione esset ab Apostolo, et altera de discessu esset a Domino, haec posterior pars non debuit poni post illa verba : *Ego dico, non Dominus*, sed antea immediate, ubi tradens praecepta conjugibus dixerat : *Praecipio non ego, sed Dominus.* Imo si hoc mandatum a Domino accepisset ex speciali revelatione, aut ex traditione Christi, non dixisset : *Ego dico, non Dominus*, sed potius : *Dominus dicit per me ut promulgatorem.* Id igitur dixit ex ordinaria potestate, qua gubernabat Ecclesiam. Tertio : haec doctrina Apostoli constat ex quadam disjunctiva propositione : nempe vel infidelis vult cohabitare, et retineatur, vel non vult cohabitare, et dimittatur. Cur hujus disjunctivae una pars datur Apostolo, non altera, cum contrariorum sit, ut eadem scientia, ita et idem magister? Apostolus igitur ea matrimonia diremit non divina, sed Apostolica auctoritate. At multo superiorem habet potestatem S.P.

Sed, esto, Domini sit illud, quod si infidelis discedit, discedat : non tamen constat a Domino fuisse concessum ut fidelis non solum discedere possit a toro, sed etiam a vinculo, transeundo ad alias nuptias : hoc enim in Evangelio non solum Dominus non concessit, sed prohibuisse videtur, cum nonnisi ob solam fornicationem divortium concedat a solo toro, non a vinculo Matth. *XIX*, et constat ex omnium interpretum sententia ibi sermonem esse de fornicatione tantum carnali. Cum itaque in Evangelio non habeatur potestas rumpendi consummati matrimonii vinculum, sed potius prohibitio, consequens est hoc jus quod habet fidelis vir transeundi ad aliud matrimonium, soluto priori, fuisse additum vel ab Apostolo per Apostolicam auctoritatem ordinariam, interpretante mentem Christi de fornicatione non solum carnali, sed etiam spirituali, qualis est infidelitas, ut ait Aug. *in Serm. Dom. in monte*, et 1ª *ad Pollentium*, vel ab Ecclesia sic interpretante tam Christum quam Paulum, qui expresse non dicit per hunc discessum solvi prius

Digitized by Google

matrimonium. Quod ergo tunc fecit Ecclesia, vel Paulus Apostolica auctoritate, cur debet Sedi Apostolicae denegari » ?

Sed jam hoc fidei privilegium pressius exponendum est.

1085. Et in primis ut casum Apostoli determinemus, dicimus Apostolum non loqui de conjugibus, quorum alter est infidelis, et alter fidelis qui obtenta dispensatione ab impedimento disparitatis cultus cum illo contraxit. Vide responsionem ad 4um S. C. S. Officii relatam n. 1092.

Item nec loqui de conjugibus, qui in infidelitate contraxerunt, et alter est infidelis, alter catechumenus tantum. Proposito dubio : « Num verba D. Pauli 1ª *Cor. VII*, 15 : *Quod si infidelis discedit, discedat,* ita intelligenda etiam sint de catechumenis, seu potius utrum Titius catechumenus possit ducere Bertham catechumenam, et a suo marito infideli propter religionem repudiatam » ? S. C. de Prop. Fide *die* 16 *Jan.* 1683 reposuit : « Verba illa S. Pauli non esse intelligenda de catechumenis, sed de baptizatis tantum ».

Igitur Apostolus agit de conjugibus, qui in infidelitate contraxerunt, quorum, altero remanente in infidelitate, alter venit ad fidem et baptismum recipit. Diximus *venit ad fidem et baptismum recipit*, quod prae primis verum est de Ecclesia catholica, sed probabilius etiam de alia secta Christiana, a catholica tamen Ecclesia sejuncta ; quia plerique veteres interpretes illud *fidelis*, item *frater* aut *soror* intelligunt de baptizatis in genere, et S. Augustinus applicat textum Paulinum ad Donatistas ; dummodo omnia servanda circa interpellationes serventur sine ulla Apostolica dispensatione, quae haereticis non datur (1).

Jam vero conversione et baptismo conjugis matrimonium legitimum per se non solvitur (2) « cum per sacramentum baptismi non solvantur conjugia, sed crimina dimittantur » ait Inn. III *cap.* 8 *cit. tit.*, et si alter conjux convertatur et baptizetur, matrimonium stabit undequaque (3). Quid

(1) Perrone *De matr. christ. lib. II, sect. I, cap. VII.* Giovine *I,* § 282, *n.* 1. Feje *n.* 503. Palmieri *l. c. thesi* 27ª.
(2) S. Thomas 4, *dist.* 39, *q.* 1, *a.* 3.
(3) Sanchez *VII, LXXIV, n.* 1, cum communi.

Digitized by Google

vero si alter conjux remanere voluerit in infidelitate ? Huic quaestioni Apostolus *l. c.* respondet cum distinctione :

Vel scilicet infidelis *consentit habitare* cum fideli, vel potius *discedit*. Si *consentit habitare* cum fideli...., quae quidem intelligenda sunt non tantum de materiali cohabitatione, sed de cohabitatione pacifica et sine contumelia Creatoris, seu quam fidelis tuta conscientia acceptare possit (1), secus enim infidelis reipsa cohabitare non vult, ut bene perpendit Sanchez *VII, LXXIV, n.* 4; si inquam, infidelis consentit habitare cum fideli, hic non dimittat illum, ait Apostolus, idest non transeat ad alias nuptias, imo bene faciet servans cum ipso vitae consuetudinem etiam quoad torum, mensam, cohabitationem. Nam receptum est Apostolum illis verbis non praecipere, sed consulere hanc vitae consuetudinem propter spem, quae tunc temporis aderat, conversionis infidelis (2). Tunc autem filii, qui forte nascentur, baptizandi erunt et educandi in religione Christiana ; item nati et nondum rationis usum assequuti ; tandem nati et rationis usum assequuti hortandi, sed minime cogendi sunt ad fidem.

« *Quod si infidelis discedit, discedat* (fidelis) » subdit Apostolus pro altero distinctionis membro : nempe si non vult cohabitare, aut vult quidem cohabitare, sed haec cohabitatio vel non est pacifica, e. g. si infidelis fidelem causa religionis verberibus vexet, alimentis privet, vel non est sine contumelia Creatoris, ita ut eam fidelis tuta conscientia acceptare non possit, e. g. si infidelis nomen Christi blasphemet, filios velit ethnicae superstitionis sectatores (3), periculum perversionis in fide vel alterius peccati praebeat fideli, in hoc, inquam, casu fidelis nequit cum eodem permanere, et ideo poterit alias inire nuptias. « *Non enim,*

(1) *Ex cap.* 8, collato cum *cap.* 7 *cit. tit.* contumelia Creatoris est blasphemia divini nominis, sed generaliori sensu accipi solet pro quolibet peccato mortali sive fidelis sive infidelis (vide responsionem ad 2um S. C. S. Officii *diei* 11 *Julii* 1886 relatam n. sequ.) quia revera quodlibet mortale peccatum est contumelia Creatoris.

(2) Sanchez *VII, LXXIII, n.* 7 *sequ.* S. Thomas *l. c. a.* 4. Ben. XIV *De Syn. XIII, XXI, n.* 1. D'Annibale *III,* § 338, *not.* 22. Palmieri *thesi* 26, Synodus Limana probata a Sixto V (*n.* 1104, *ad* 3um).

(3) Collect. Paris. *n.* 946.

Digitized by Google

subdit Apostolus, *servituti subiectus est frater, aut soror in hujusmodi : in pace autem vocavit nos Deus* » ; scilicet ne fidelis, qui cum infideli ex dictis cohabitare nequit, invitus continentiam servare cogatur (1).

1086. Proinde, si infidelis discedit juxta expressionem Apostoli, fidelis statim acquirit jus transeundi ad novas nuptias, sed matrimonium in infidelitate contractum tunc tantum solvitur quando novae nuptiae a fideli contrahuntur non ab infideli.

Id tradidit S. C. C. in *Florentina die* 29 *Martii* 1727, cujus haec est species. Ricca Ester Judaea nupsit Abrahamo pariter Judaeo, et matrimonium consummatum fuit. Post aliquod temporis spatium conversa ad catholicam religionem, post canonicam consuetam monitionem, reliquit Abrahamum in Judaica perfidia, et licet ad alia vota transire posset, caelibem tamen statum elegit. Post Riccae conversionem Abrahamus existimans se liberum esse, aliud contraxit et consummavit matrimonium cum Blanca pariter Haebraea. Cum vero deinde tum Abrahamus tum Blanca vellent ad catholicam religionem transire, suum desiderium explicaverunt de perseverando, post receptum baptismum, in matrimonio. Ricca interrogata quid super hac re sentiret, respondit se suum libentissime assensum praestare, et se nolle ullo modo ad Abrahamum redire etiam post illius conversionem. Visum fuit, et merito, Riccae consensum non sufficere, et re delata ad S. C. C., cujus a secretis erat Lambertinius, propositis dubiis :

« 1° An adhuc subsistat matrimonium in Judaismo contractum inter Riccam et Abraham : et quatenus affirmative.

« 2° An Abraham post suam et Blancae conversionem teneatur ad redeundum cum Ricca, et Blancam relinquendam : et quatenus affirmative.

« 3° An Ricca cogi possit ad cohabitandum cum Abraham ad fidem converso : et quatenus affirmative.

« 4° An S. P. dispensare possit ut Abraham conversus permaneat in matrimonio in infidelitate, ut supra, contracto cum Blanca ; et quatenus affirmative.

(1) Sanchez *VII, LXXIV, n.* 4. S. Thomas 4, *dist.* 39, *q.* 1, *a.* 5.

Digitized by Google

« 5° An consilium praestandum sit Ssmo D. N. pro concessione dictae dispensationis.

« S. C. reposuit : « Ad 1um et 2um affirmative. In reliquis dilata, et scribant theologi et canonistae, et perquirantur exempla, et ad mentem ». Mens fuit, ut scriberetur Archiep. Florentino an possibile esset, ut Abraham, citra praejudicium suae conversionis, separaretur a Blanca, et ad Riccam rediret ; an Ricca esset in statu virum ducendi, vel esset disposita ad religionem profitendam : per has enim vias credebatur evitari posse resolutio dubiorum propositorum et non resolutorum. Sed cum neutrum possibile esse Archiep. Florentinus respondisset, necesse fuit *die* 29 *Martii* 1729 eadem dubia reproponere. Secretarius doctam edidit dissertationem ; alii quoque scripserunt, sed S. C. a responsione abstinendum duxit (1).

Praeterea id etiam saepius tradiderunt S. C. S. Officii et S. C. de Prop. Fide in responsis quae infra citamus. Hic referre ex integro juvat responsionem S. C. S. Officii datam ad Vicarium Apost. Natal *die* 11 *Julii* 1886, quae aliis quoque quaestionibus inferius evolvendis lucem affert. Propositis dubiis :

« 1° Quaeritur utrum dispensatio a vinculo matrimonii, quae dari solet ab Ecclesia, positis ponendis, post baptismum unius partis, possit applicari in casu in quo post baptismum unius, duae partes non cessarunt habere connexionem, et consummarunt matrimonium sicut ante baptismum ?

« 2° Matrimonium valide contractum ante baptismum inter duos infideles potestne dissolvi, quando, post baptismum unius, pars infidelis promittit quidem se non inquietare mulierem baptizatam in professione Christianitatis, sed ille recusat dimittere alias uxores illegitimas, vel non vult promittere se servaturum leges Evangelii circa monogamiam ?

« 3° In casu praecedenti, si matrimonium dissolvi potest, mulier baptizata teneturne recurrere ad dispensationem pro dissolutione matrimonii ?

(1) Ben. XIV *Quaest. Can.* 546 ; *De Syn. VI, IV, n.* 3 *sequ.*

Digitized by Google

« 4° Mulier baptizata potestne recurrere ad dispensationem, quando praenoscit, quod, facta dissolutione matrimonii, educatio prolis susceptae penitus erit in potestate viri ejus infidelis ?

« 5° Si dispensatio dari non potest, mulier legitima, quae fit Christiana, post conversionem, potestne cohabitare cum marito infideli, qui simul in eadem domo retinet uxores alias illegitimas ?

« 6° Puella Christiana, obtenta dispensatione disparitatis cultus, potestne legitime contrahere matrimonium cum infideli, qui non promittit se a polygamia abstinere in futurum ?

« 7° Bertha, adhuc infidelis, contrahit matrimonium cum infideli statim ac pervenit ad annos pubertatis ; et post duos annos relinquit virum suum, nulla suscepta prole, et ambo currunt ad alias nuptias, imo vir accipit plurimas uxores, et fit polygamus. Sed nunc mulier aetate provecta, audito missionario, vult baptizari : Potestne illa mulier dispensari a vinculo matrimonii contracti cum primo marito, non postulato consensu ejus, et sic remanere cum secundo marito, ex quo illa suscepit prolem ?

« 8° Apud quosdam infideles detestabilis viget consuetudo, juxta quam vir post commissum adulterium cum uxore alterius, administrat remedium uxori adulterae, cujus effectus erit inferre mortem super legitimum maritum eo ipso quod postea habebit connexionem cum uxore sua (1). Unde postulatur utrum vir legitimus, qui nolit cohabitare cum uxore sua post adulterium commissum, si convertitur ad fidem, poterit dispensari a vinculo matrimonii sui contracti in infidelitate et ducere alteram uxorem, etiamsi infidelis uxor adultera vellet et ipsa baptizari ? »

S. C. reposuit :

« EE. et RR. PP. ad singula postulata responderunt juxta sequentem modum, hisce tamen praenotatis :

« 1° Supra scripta postulata intelligi de privilegio a Christo D. in favorem fidei concesso et per Apostolum Paulum 1 *ad Cor. VIII*, 12 *sequ.* promulgato.

(1) Quod tamen inter fabellas esse amandandum non est dubium.

Digitized by Google

« 2° Hoc privilegium divinum in eo consistere, quod, stante matrimonio legitime in infidelitate contracto et consummato, si conjugum alter Christianam fidem amplectitur, renuente altero, in sua infidelitate obdurato, cohabitare cum converso, aut cohabitare quidem volente, sed non sine contumelia Creatoris, hoc est non sine periculo subversionis conjugis fidelis, vel non sine execratione Ssmi nominis Christi, et Christianae religionis despicientia, tunc integrum sit converso transire ad alia vota, postquam infidelis interpellatus aut absolute recusaverit cum eo cohabitare, aut animum sibi ostenderit cum illo quidem cohabitare, sed non sine Creatoris contumelia.

« 3° *Juxta idem divinum privilegium conjugem conversum ad fidem, in ipso conversionis puncto non intelligi solutum a vinculo matrimonii cum infideli adhuc superstite contracti, sed tunc, si conjux infidelis renuat, acquirere jus transeundi ad alias nuptias cum tamen conjuge fideli. Caeterum tunc solum conjugii vinculum dissolvi, quando conjux conversus transit cum effectu ad alias nuptias.*

« Hinc :

« Ad 1um: Si quando evenerit ut stante duorum infidelium matrimonio, alter conjugum ad fidem conversus baptismum susceperit, atque cum infideli conjuge pacifice et sine contumelia Creatoris cohabitaverit, si postmodum infidelis, quin tamen pars fidelis rationabile motivum dederit discedendi, nedum converti recusaverit, sed fracta fide de pacifica cohabitatione, aut odio religionis discesserit, aut sine contumelia Creatoris cohabitare noluerit, vel fidelem ad peccatum mortale, aut ad infidelitatem trahere tentaverit, integrum erit conjugi fideli ad alia vota transire.

« Ad 2um: Si agatur de uxore pagana alicujus pagani concubinarii, quae convertitur, tunc facta interpellatione, si renuat converti, aut cohabitare absque injuria Creatoris, ac proinde desinere a concubinatu, qui sine injuria Creatoris certe haberi nequit, poterit uti privilegio in favorem fidei concesso.

Ad 3um: Quando conjux infidelis rite interpellatus, aut ab-

Digitized by Google

solute recusaverit cum conjuge ad fidem converso cohabitare, aut animum sibi esse ostenderit cum illo quidem cohabitandi, sed non sine Creatoris contumelia, vel absque eo quod se a concubinatu abstinere perpetuo velit, tunc conjux conversus, praehabito superioris ecclesiastici judicio, separari debet ab infideli, et poterit, si velit, uti privilegio, seu divina dispensatione in favorem fidei concessa, et sic ad alia vota transire cum persona fideli.

« Ad 4um: Si conjugi fideli impossibile prorsus sit filios e potestate alterius conjugis in infidelitate obdurati, subducere, nec fas sit, praemissa juridica et formali interpellatione, cum eo cohabitare, vel quia ille non vult, vel non sine contumelia Creatoris vult cohabitare, praehabito judicio superioris ecclesiastici, integrum erit ad alia vota transire, firma tamen manente obligatione, qua semper tenetur, curandi, si quo modo poterit, catholicam filiorum educationem.

« Ad 5um: Provisum in praecedentibus.

« Ad 6um: Negative, et in similibus casibus missionarii, qui ex concessione Apostolica pollent facultate dispensandi super disparitate cultus, caveant ne dispensationem concedant, nisi remoto polygamiae periculo.

« Ad 7um: Quum agatur, uti supponitur, de matrimonio legitimo in infidelitate contracto, mulier separetur a secundo viro omnino et cum effectu ; et si ob gravissimas causas et realem impotentiam separari nequeat quoad habitationem, separetur saltem quoad torum et consuetudinem : nullum amplius habens cum eodem viro tractum aut carnale commercium. Deinde de more instruatur, ei praecipue notificando, quod, suscepto baptismo, non dispensetur ab obligatione, quam habet, redeundi ad primum maritum ; et quatenus post debitam instructionem constet, eam moveri ad accipiendum baptismum ex vero religionis motivo, admittatur statim ad baptismum, eoque collato, interpelletur omnino primus vir, et interrogetur utrum converti velit, aut sine contumelia Creatoris cum ea vitam traducturus sit, et de omnibus resultantibus R. P. D. Vicarius Apost. S. C. certiorem faciat. Quod si vero summarie saltem et extraju-

Digitized by Google

dicialiter constet conjugem in infidelitate relictum adeo esse absentem ut moneri legitime non possit, aut monitum, intra tempus in monitione praefixum, suam voluntatem non significavisse, vel si adiri quidem possit conjux infidelis sed de comparte jam facta Christiana interpellari nequeat sine evidenti gravis damni ei vel Christianis inferendi periculo, quin hujusmodi damna cum necessaria circumspectione et cautela removeri possint, haec omnia Apostolicae Sedi renuntiabit Vicarius Apost., expressis nominibus et expositis gravissimis causis pro obtinenda dispensatione super impedimento dirimenti disparitatis cultus, si praetensus secundus vir adhuc in infidelitate persistat, et narratis omnibus rerum, personarum, et facti adjunctis, ut in re tam gravis momenti procedi tuto possit.

« Ad 8um: Matrimonium etiam in infidelitate contractum naturâ suâ est indissolubile et tunc solum quoad vinculum dissolvi potest virtute privilegii in favorem fidei a Christo D. concessi, et per Apostolum Paulum promulgati, quando conjugum alter Christianam fidem amplectitur, et alter nedum a fide amplectenda omnino renuit, sed nec vult pacifice cum conjuge converso cohabitare absque injuria Creatoris, ideoque non esse locum dissolutioni quoad vinculum matrimonii legitime contracti in infidelitate, quando ambo conjuges baptismum susceperunt vel suscipere intendunt.

1087. Exinde sequitur triplex non levis momenti corollarium, quod in cit. *Florentina* practicam habuit applicationem:

1° Si conjux conversus, privilegio fidei uti nolens, caelibem vitam ducere maluerit, et interim etiam alter, qui in infidelitate remanserat, baptismum suscipiat, hic potest illum repetere ad vitae consuetudinem restaurandam, cum matrimonium legitimum adhuc subsistat.

2° Si e contrario conjux infidelis ante novas fidelis nuptias aliud matrimonium contraxerit, hoc nullum est, obstante ligaminis impedimento, quod est juris divini.

3° Tandem novis fidelis nuptiis infidelis liber evadit et potest ad alia vota transire non modo conversus deinde et baptizatus, quod omnes admittunt, sed etiam remanens in

Digitized by Google

infidelitate; de quo disputant theologi et canonistae, quorumque quaestionem se intactam relinquere declarat Ben. XIV in Const. *Apostolici ministerii*. Nam licet fidei privilegium sit in favorem conversi, non autem remanentis in infidelitate, tamen fieri omnino non potest ut vinculum solvatur pro fideli et remaneat pro infideli, juxta principium generale: *Soluta a vinculo conjugali muliere, solutum remanere et virum, ac viceversa*. Igitur vinculum non amplius adest: quo sublato, curnam matrimonium conjugis infidelis erit nullum, aut etiam illicitum tantum? *Vinculum* enim *poenale* de quo nonnulli loquuntur, commentitium prorsus est.

1088. Ex exposita doctrina Apostoli, et Inn. III in cit. *cap.* 7, *et* 8, *De divortiis* manifeste sequitur privilegium fidei secumferre necessario disciplinam *interpellationum* seu monitionum.

Nempe *post baptisma conjugis fidelis* (1), infidelis debet interpellari: 1° An velit et ipse converti ac baptismum suscipere; 2° An saltem velit cohabitare pacifice sine contumelia Creatoris.

Si infidelis respondet negative ad utrumque, fidelis debet discedere, et vi privilegii fidei ad alia vota transire potest.

Si respondet affirmative ad utrumque, matrimonium stabit omnino.

Si respondet affirmative ad 1um, negative ad 2um, illa responsio affirmativa non est seria, et haberi debet pro negativa, ut facile patet, ideoque rursus fidelis discedere debet, et uti potest privilegio fidei.

Tandem si respondet negative ad 1um et affirmative ad 2um, fidelis potest quidem declinare vitae consuetudinem quoad torum, mensam, habitationem, sed novas nuptias inire nequit, quia, si a continentia abhorret, cum infideli convivere potest.

(1) S. C. S. Officii 13 *Apr.* 1859 respondit ad Vicarium Apost. Tchely Orientalis: « Interpellationem faciendam esse post baptismum et in casibus difficilioribus recurrat (Vicarius Apost.) ad S. Sedem cum omnibus facti circumstantiis ». Vide etiam Collect. Paris. *n.* 959. Necessaria igitur est venia Sedis Apostolicae, ut interpellatio fieri queat ante baptismum.

Digitized by Google

Quod si non obstante responsione affirmativa ad 2um, periculum perversionis in fide vel alterius gravis peccati judicio Episcopi ex illa vitae consuetudine fideli immineat, tunc fidelis non solum potest, sed etiam debet illam declinare, prouti si responsio fuisset negativa, et Episcopus ex privilegio fidei novas nuptias fideli permittat, ne servituti subiectus sit in hujusmodi (1). Quod si id constet ante interpellationes faciendas, secunda interpellatio praetermittitur dispensatione Sedis Apostolicae, seu Episcopi, si indultum dispensandi habet (2). Concilium Toletanum IV relatum *can.* 10, *c.* 28, *q.* 1 in Decreto prohibuit lege generali conjugi converso ex Judaismo cohabitare cum comparte in Judaica perfidia remanente, scilicet propter periculum perversionis fidelis, et nullam spem conversionis infidelis : et hodie praxis est, ut haec cohabitatio prohibeatur in regionibus Christianis, permittatur in infidelibus (3). Posita hac prohibitione generali, statim locus est privilegio fidei, si infidelis respondet negative ad 1um : sed quoniam eae prohibitiones supprimunt alteram interpellationem jure communi praescriptam, ferri non possunt nisi auctoritate Sedis Apostolicae.

Tandem si infidelis interpellatus nil respondet, valde probabile est hoc silentium acquivalere responsioni negativae, si constat infidelem non esse legitime impeditum, sed practice recurratur ad dispensationem ab interpellationibus (4).

Haec interpellationum disciplina fusiori indiget declaratione.

1089. Interpellationes jure ecclesiastico fieri debent judicialiter ab Ordinario (5) ; scilicet Ordinarius advocat infidelem, ab eoque sciscitatur num velit et ipse converti, vel saltem pacifice cohabitare sine contumelia Creatoris. Responsio seu negativa seu affirmativa in actis refertur et in archivio

(1) Synodus Lymana probata a Sixto V *n.* 1104 *ad* 3um.
(2) S. C. S. Officii *cit. n.* 1104 *ad* 2um.
(3) Ballerini-Gury *II, n.* 759. D'Annibale *III,* § 338, *not.* 22. Mansella *I, pag.* 120-122.
(4) Feje *n.* 495.
(5) Feje *n.* 487. Ben. XIV *De Syn. XIII, XXI, n.* 4. Giovine *I,* § 277.

Digitized by Google

servatur. Si infidelis inducias postulat ad deliberandum, judex eas concedet, monens, iis inutiliter praeterlapsis, praesumi responsionem negativam; quae omnia pariter in actis notanda sunt. Si infidelis advocatus non comparet, judex curabit eumdem interpellare per aliam personam : et omnia item in actis referet.

Putamus autem monitionem quoque extrajudicialem et privatam ab ipso conjuge converso factam satis esse pro valido matrimonio ineundo, imo et pro licito, si forma judicialis servari nequit. At in casu parochus aut missionarius, ut novum conjugium fideli permittat, certus esse debet de interpellationibus factis et de responso infidelis : hinc Glossa in *cap. 7 cit. tit. v. qui relinquitur* ait : « Debet (pars conversa) adhibere testes, quod illa non vult ei cohabitare, ne impediatur postea contrahens ». Et consulat, si fieri potest, Ordinarium seu Vicarium Apostolicum.

Interpellationes unica tantum vice fieri necesse est : sed ex mera charitate pluries etiam fieri possunt, uti respondit S. C. S. Officii *die* 12 *Junii* 1850 ad Vicarium Apost. Cocincinae Occidentalis (1).

1090. Haec duplex interpellatio necessaria est pro validitate matrimonii denuo contrahendi. Id constat ex documentis mox citandis : ac proinde contraria doctrina D'Annibale *III*, § 338, *not.* 24 aliorumque certe in aliquo saltem casu falsa est.

Sane Provicarius Generalis Tongkini Occidentalis sequentia dubia, quae ad hanc rem aliasque attinent, proposiut S. C. de Prop. Fide :

« 1° Utrum ad effectum matrimonii dissolvendi juxta privilegium in favorem fidei a Christo D. concessum, et ab Apostolo promulgatum, interpellatio partis in infidelitate perseverantis sit de jure divino, atque adeo necessaria ut, ea neglecta, nullus plane habeatur matrimonii dissolvendi locus? An solum pertineat ad formam judicialem, nec requiratur, nisi ut dissolutio licite fiat, praesertim cum aliunde

(1) Collect. Paris. *n.* 948. Formulam hujus interpellationis vide in Alleg. IV.

Digitized by Google

constat indiciis moraliter certis alterum conjugem nec fidem amplecti nec sine contumelia Creatoris velle cohabitare?

« 2° Posito quod ad primam partem respondeatur affirmative, quaeritur, num sola de religione amplectenda sufficiat interrogatio; utrum scilicet pars in infidelitate remanens velit converti necne, quod Thomae Sanchez auctoritate freti existimant aliqui ex missionariis, an potius interpellatio, utrum saltem pars in infidelitate perseverans absque Creatoris contumelia cohabitare consentiat, sit quoque essentialis, et absolute requisita, ita ut, illa praetermissa, non solum non licite, sed etiam non validè matrimonium dissolvi queat?

« 3° Utrum solemnis uxoris expulsio a marito facta, videlicet dando libellum repudii coram pagi primoribus juxta leges regni, possit interpellationis locum tenere et pro ea reputari, cum certissime constet de istius mariti voluntate, illum nempe praefatam mulierem nullo modo in posterum uxorem velle habere; an potius, nulla repudii habita ratione, in iis etiam circumstantiis duplex in jure praescripta ad validitatem dissolutionis matrimonii requiratur interpellatio?

« 4° Quaeritur quomodo se debeat gerere missionarius erga mulierem infidelem absque ulla adulterii causa a suo marito etiam infideli repudiatam, qui aliam duxit, cum illa postulat baptizari, et est suspicio an sit animo parata ad revertendum ad suum maritum, si forte postea revocet, et sine contumelia Creatoris cohabitare consentiat? Debetne illam de hac re prius interrogare, ac interea baptismum differre donec melius sit disposita, etiam cum periculo moriendi absque baptismate? Quid autem si consentit, sed dumtaxat cum hac conditione, quando nimirum expulsa fuerit concubina?

« 5° Quaeritur an adulterium ansam praebeat conjugibus infidelibus, sicut et Christianis divortium perpetuum celebrandi, ita ut parti innocenti omnino sit integrum, cum sacro fonte abluta fuerit, aut saeculo nuntium remittere, aut in statu viduitatis vitam transigere, licet pars altera reconciliari velit, et sine contumelia Creatoris cohabitare?

« 6° Cum maritus infidelis suae uxori, jam sacri baptismi aquis tinctae, religionem quidem servare permittit, nec ali-

Digitized by Google

quid peccati mortalis formaliter jubet, at illam in usu matrimonii ad multa gravia contra conjugalem castimoniam adeo importune pellicit, ut mulier semper sit in gravi periculo peccandi mortaliter. Quaeritur in hoc casu, an praefata mulier possit eum relinquere, et ad alia vota transire? Quid autem si periculum non veniat ex altero conjuge, sed ab aliis qui in eadem domo sunt, v. g. a socero, qui suam nurum ad incestum sollicitat, vel a socru, muliere jurgiosissima et superstitionibus addictissima »?

S. C. *die* 5 *Martii* 1816 reposuit:

« Ad 1um: Non esse locum dissolutioni matrimonii in infidelitate contracti in casu de quo agitur, nisi interpellatione praemissa, aut nisi obtenta legitimis ex causis super interpellatione Apostolica dispensatione.

« Ad 2um: Interpellandum esse conjugem infidelem non solum an converti velit, sed etiam casu quo nolit converti, an velit cum conjuge fideli cohabitare sine contumelia Creatoris juxta dispositionem Inn. III *cap. Quanto*, *De divortiis*.

« Ad 3um: Faciendam esse interpellationem etiam in casu de quo agitur, si fieri possit, aut recurrendum esse ad Sedem Apostolicam pro obtinenda dispensatione.

« Ad 4um: Nihil obstare quominus mulieri, de qua in casu, modo aliunde sit sufficienter instructa, baptisma conferatur.

« Ad 5um: Conjugem ad fidem conversum et baptizatum posse facere divortium quoad torum a conjuge infideli ob adulterium ab eo commissum, quamvis iste veniam petat et velit cohabitare sine contumelia Creatoris.

« Ad 6um: Mulierem conversam posse a viro infideli discedere, et ad alia vota transire in casu quod ille eam pertrahat ad gravia peccata contra castitatem conjugalem (cap. *Quanto*, et cap. *Gaudemus* Inn. III *De divortiis*). Quod si pertractio mulieris conversae ad peccatum mortale non proveniat ab ejus viro infideli, sed ab aliis qui in ejus domo habitant, socero e. g. vel socru, posse mulierem fidelem, ubi alia media non suppetunt, se subducere ab ea domo, ubi ad

Digitized by Google

graviter peccandum pertrahitur, non vero posse matrimonium dissolvere, et ad aliud transire ».

1091. Hinc Greg. XVI matrimonia inita post incompletas interpellationes sanavit in radice *die* 17 *Jan.* 1836. Nam Vicarius Apost. Sutchuensis exposuerat :

« Christiani quando faciunt interpellationes prioris conjugis infidelis, si conjux infidelis respondeat se velle recipere suam consortem fidelem, tunc interrogant illum, an velit converti, et an saltem consentiat cohabitare pacifice sine contumelia Creatoris. At si pars infidelis statim respondeat se nolle amplius recipere priorem conjugem fidelem, aut ad illam reverti, tunc nihil ulterius interrogant ; quia timent ne pagani magis indignentur et blasphement contra religionem Christianam. Quaeritur igitur an possit permitti parti fideli, ut cum alio fideli contrahat matrimonium, etiamsi in interpellatione prioris conjugis infidelis omissa fuerit interrogatio an velit converti, et an saltem consentiat simul cohabitare sine contumelia Creatoris. Quod si Sanctitas Vestra censuerit omissionem dictarum interrogationum *an conjux infidelis velit converti*, *et an velit saltem cohabitare sine contumelia Creatoris*, reddere nullam interpellationem, aut insufficientem, ita ut ex vi hujusmodi interpellationis pars fidelis non possit valide aliud matrimonium contrahere cum aliquo fideli, tunc humiliter supplicat Vicarius Apost. praedictus, ut Sanctitas Vestra sanet in radice multa matrimonia, quae in Vicariatu Sutchuensi contracta sunt post interpellationem factam sine dictis interrogationibus ».

Greg. XVI..... « Perpensis expositis benigne matrimonia, ut supra, contracta in Vicariatu Sutchuensi cum omissione interrogationum, prout in supplici libello exponitur, in radice sanat et convalidat perinde ac si in matrimoniis contractis interpellationes factae fuissent ».

1092. At si conjux infidelis interpellatus, in infidelitate permanens, consentiat pacifice sine contumelia Creatoris cum fideli cohabitare, sed deinde discedat, aut non amplius cohabitet pacifice et sine contumelia Creatoris, fidelis jam uti potest privilegio fidei, etsi consensus post baptisma renovatus sit : *dummodo ipse non dederit justum ac ratio-*

Digitized by Google

nabile motivum alteri discedendi, quo in casu sibi imputet si continentiam servare debebit. Vide responsionem S. C. S. Officii ad 1um relatam n. 1086. Praeterea Episcopus Coccinensis exposuit S. C. S. Officii :

« Saepe contingit ut ex duobus infidelibus alter convertatur ad fidem, alter converti quidem tunc nolit, consentiat tamen habitare cum fideli sine contumelia Creatoris, et quin eum pertrahat ad mortale peccatum, imo promittat se quoque fidem postea amplexaturum, quod ob aliquam specialem rationem aliquandiu differre necessarium ducit. Quare fidelis infidelem non dimittit, sed cohabitare pergunt ut conjuges, idque ad longum tempus et aliquos etiam annos. At postea infidelis, mutata voluntate, non solum converti non vult, sed tentat fidelem pertrahere ad idolorum cultum, vel discedit, nec jam consentit habitare cum illo, imo ad alias nuptias ipse transit. Quaeritur :

« 1° An in hoc casu possit etiam fidelis derelictus discedere et ad alias nuptias transire, habeatque hic locum privilegium ab Apostolo promulgatum : *Si infidelis discedit, discedat ?*

« 2° An id solum habeat locum quando infidelis discedit odio fidei, an etiam quando discedit propter discordias, vel aliam causam a fide diversam ?

« 3° An etiam possit fidelis transire ad alias nuptias, quando infidelis quacumque de causa ab eo discessit, nec sciri potest vivat adhuc necne ?

« 4° An fidelis qui ex dispensatione valide contraxit matrimonium cum infideli, transire possit ad alias nuptias, si infidelis discedat, vel cohabitare nolit, vel eum pertrahat ad mortale peccatum ?

« 5° An aliquo et quanto tempore possit fidelis post conversionem cohabitare cum infideli, quin privetur potestate transeundi ad alias nuptias ?

« Clem. XIII in S. C. S. Officii *die* 5 *Aug.* 1759 reposuit :

« Ad 1um : In casu de quo agitur affirmative.

« Ad 2um : Cum militet ex parte conjugis conversi favor fidei, eo potest uti quacumque ex causa, dummodo justa sit, nimirum si non dederit justum ac rationabile motivum alteri

Digitized by Google

conjugi discedendi, ita tamen ut tunc solum intelligatur solutum jugum vinculi matrimonialis cum infideli, quando conjux conversus (renuente altero post interpellationem converti) transit ad alia vota cum fideli.

« Ad 3um : Praemittendam esse interpellationem, qua intimetur conjugi infideli, an velit converti ; a qua interpellatione Apostolica Sedes justis de causis dispensat.

« Ad 4um : Si fidelis, praevia dispensatione, contraxit matrimonium cum infideli, censetur illud contraxisse cum explicita conditione, dummodo nimirum infidelis secum cohabitare velit absque contumelia Creatoris : quare si infidelis non servet supradictam conditionem, adhibenda sunt juris remedia ad hoc ut eam servet : alias separari debent quoad torum et cohabitationem, non tamen quoad vinculum : quocirca in casu, de quo agitur, conjuge infideli superstite, non potest fidelis ad alia vota transire.

« Ad 5um : Conversus ad fidem in ipso conversionis momento non intelligitur solutus a vinculo matrimonii cum infideli adhuc superstite contracti ; sed tunc acquirit tantummodo jus transeundi ad alias nuptias, cum conjuge tamen fideli, idque si conjux infidelis renuat post interpellationem converti. Caeterum tunc solum conjugii vinculum dissolvitur, quando conjux conversus transit cum effectu ad alias nuptias. Si gentilis conversus ante susceptionem baptismi habeat plures uxores, et prima recusat amplecti fidem, tunc legitime potest quamlibet ex illis retinere, dummodo fidelis fiat, sed in hoc casu contrahentes mutuum consensum coram parocho et testibus renovare debent ».

1093. Ex his apparet quid dicendum, si infidelis discedit propter conjugis fidelis adulterium. Nempe si hic adulterium perpetravit post suam conversionem et susceptum baptisma, discedente infideli, privilegium fidei invocare nequit, quia profecto ipsi motivum justum et rationabile discedendi dedit. Si e contrario conjux fidelis adulterium commiserat ante baptismum, cum baptismo ablutum sit, non est amplius cur infidelis discedat, ideoque, si discedit, privilegium fidei sarctum tectumque illi esse debet. Hinc cum quaesitum fuisset a S. C. de Prop. Fide : « Si Titia ante ejus

Digitized by Google

conversionem et baptismum adulterium commisit et repudiata est, baptizata utine potest privilegio fidei » ?S. C. reposuit 17 *Jan.* 1797 : « Affirmative, praemissa tantum interpellatione, nullaque praeterea habita ratione utrum necne praecesserit sive adulterium sive repudium ». Idem dicas si post fidelis baptismum utraque pars adulterio coinquinata est, quia infidelis jam non habet justam ac rationabilem discedendi causam (n. 1113) (1). Tandem si post fidelis baptismum infidelis in adulterium prolapsus est, certe fidelis potest discedere quoad torum, mensam, habitationem : num locus sit quoque privilegio fidei, DD. non conveniunt (2).

1094. Ab interpellationibus unus R. P. dispensat, qui aliis quoque dispensandi potestatem communicare potest et solet. Facultates autem pro aliquibus regionibus concessae non possunt ad alias extendi, quantumvis id suadere videretur identitas aut paritas rationis (3). Videamus in quibus praecipue casibus dispensatio ab una vel utraque interpellatione concedatur.

1095. *a*) In *formula I, n.* 11 inter facultates ordinarias, quae Vicariis Apost. Societatis Missionum ad exteros a S. Sede ad quinquennium conceduntur, legitur: « Dispensandi cum gentilibus et infidelibus plures uxores habentibus, ut post conversionem et baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti ». Nempe si vir est polygamus, solum matrimonium cum prima uxore valere diximus n. 628, ideoque, baptizato viro, prima tantum uxor interpellanda foret. At in favorem fidei indultum est ut interpelletur tantum, an velit converti (dispensata altera interpellatione), ipsaque renuente, vir poterit quamlibet ex aliis eligere, dummodo et illa fidelis fiat, renovato consensu. Huc spectant sequentes tres responsiones.

1096. « In facultatibus ordinariis *ad n.* 11 conceditur facultas *dispensandi cum gentilibus et infidelibus plures uxores habentibus*... Quaeritur utrum *plures* intelligatur

(1) Giovine *I*, § 272, *n.* 6, plures alios citans.
(2) Giovine *l. c. n.* 7.
(3) Ben. XIV *De Syn. XIII, XXI, n.* 3.

Digitized by Google

simul ac conjunctim praecise, an intelligatur etiam de habentibus plures successive, ita ut vir infidelis qui, dimissa prima uxore, alteram duxit, et hac pariter dimissa, alii vel aliis successive adhaesit, post conversionem et baptismum, quam ex illis maluerit (sive adhuc cum eo habitantibus, sive etiam relictis), si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possit, nisi prima voluerit converti »? S. C. de Prop. Fide *die* 14 *Jan.* 1806 reposuit affirmative.

1097. Vicarius Apost. Concincinae Occidentalis exposuerat S. C. S. Officii: « Ex S. Sedis indulto (*form.* 1ª, *n.* 11) nobis dispensare licet cum gentilibus plures uxores habentibus.... Sed saepius evenit, ut mulier, quae habuerat plures successive maritos, convertatur. Quaeritur ergo utrum locus esse possit dispensationi, quatenus illa retineat, quem maluerit ex istis, modo fidelis fiat, si primus noluerit converti »? S. C. *die* 12 *Jun.* 1850 respondendum censuit: « Locum esse dispensationi tam pro viris, quam pro mulieribus ».

In eadem sententia fuerat S. C. de Prop. Fide *die* 14 *Jan.* 1793 in Congregatione particulari pro imperio Sinarum; sed jam alias *gratia* extensionis hujusmodi facultatis concessa fuerat etiam quoad polyandriam (1).

1098. Tandem Paulus III in Const. *Altitudo an.* 1537 pro Indis Occidentalibus haec habet: « Super eorum vero matrimonium hoc observandum decernimus, ut qui ante conversionem plures, juxta eorum mores, habebant uxores, et non recordatur quam primo acceperint, conversi ad fidem unam ex illis accipiant, quam voluerint, et cum ea matrimonium contrahant per verba de praesenti, ut moris est; qui vero recordantur quam primo acceperint, aliis dimissis, eam retineant ».

1099. *b*) In *formula II, n.* 6 inter facultates extraordinarias, quae Vicariis Apost. Indiae ad quinquennium pariter conceduntur, legitur: « Dispensandi intra fines sui Vicariatus super interpellatione conjugum in infidelitate relictorum, dummodo adhibitis antea omnibus diligentiis, etiam per publicas ephemerides, ad reperiendum locum ubi conjux

(1) Collect. Paris. *n.* 951.

Digitized by Google

infidelis habitat, eisque in irritum cessis, constet saltem summarie et extrajudicialiter dictum conjugem absentem moneri legitime non posse, aut monitum intra tempus in monitione praefixum suam voluntatem non significavisse ».

Et in *formula III*, *n.* 9 : « Dispensandi super interpellatione conjugum in infidelitate relictorum pro omnibus casibus ordinariis, dummodo scilicet adhibitis antea...(ut supra), et insuper pro viginti casibus extraordinariis, nempe quando adiri quidem potest conjux infidelis, sed de comparte jam facta Christiana interpellari nequit sine evidenti gravis damni ei vel Christianis inferendi ».

Nonnulli censent his in casibus physicae aut moralis impossibilitatis obligationem interpellandi non urgere, et dispensationem concedi ad cautelam, quia moralem impossibilitatem definire plerumque perdifficile est (1). Quidquid de hoc sit, haec facultas Vicariis Apost. concessa declaranda est.

1100. Animadvertimus S. Pium V in *Brevi* 2 *Aug.* 1571 indulsisse viro polygamo ut post susceptum baptisma posset, renovato consensu, unam ex aliis uxoribus, quae pariter convertitur, ducere, si prima legitima nota non sit, simulque sit difficillimum eam reperire. Verba S. Pii V haec sunt :

« R. Pontificis aequa et circumspecta providentia, ne ea quae pro salubri Indorum noviter ad fidem conversorum directione sanciri debent et terminari, alicujus haesitationis scrupulo subiaceant, declarationibus et aliis opportunis consuevit providere remediis. Cum itaque, sicut accepimus, Indis in sua infidelitate manentibus plures permittantur uxores, quas ipsi etiam levissimis de causis repudiant, hinc factum est quod recipientibus baptismum permissum sit permanere cum ea uxore, quae simul cum marito baptizata existit. Et quia saepenumero contingit illam non esse primam conjugem, unde tam ministri quam Episcopi gravissimis scrupulis torquentur, existimantes illud non esse verum matrimonium. Sed quia durissimum est separare eos ab uxoribus, cum quibus ipsi Indi baptismum susceperunt, maxime quia difficillimum foret primam conjugem reperire,

(1) D'Annibale *III*, § 338, *not.* 24.

Digitized by Google

ideo Nos, statui dictorum Indorum paterno affectu benigne consulere, atque ipsos Episcopos et ministros ab hujusmodi scrupulis eximere volentes, motu proprio et ex certa scientia nostra ac Apostolicae potestatis plenitudine, ut Indi sic, ut praemittitur, baptizati et in futurum baptizandi cum uxore, quae cum ipsis fuerit baptizata et baptizabitur, remanere valeant tamquam cum uxore legitima, aliis dimissis, Apostolica auctoritate tenore praesentium declaramus, matrimoniumque hujusmodi inter eos legitime consistere ».

1101. Deinde Greg. XIII ulterius etiam progressus est suo celebri decreto quod gravissimis difficultatibus occurrit, dato *die* 25 *Jan.* 1585 :

« Quoniam saepe contingit multos utriusque, sed praecipue virilis sexus, infideles, post contracta gentili ritu matrimonia ex Angola et Ethyopia, Brasilia et aliis Indicis regionibus ab hostibus captos a patriis finibus et propriis conjugibus in remotissimas regiones exterminari, adeo ut tam ipsi captivique, qui in patria remanent, si postea ad fidem convertantur, conjuges infideles tam longo locorum intervallo disjunctos, an sine contumelia Creatoris secum cohabitare velint, ut par est, monere nequeant, vel quia interdum ad hostiles et barbaras provincias, ne nuntiis quidem accessus pateat, vel quia ignorent prorsus in quas regiones fuerint transvecti, vel quia ipsa itineris longitudo magnam afferat difficultatem : idcirco Nos, attendentes hujusmodi connubia inter infideles contracta vera quidem, non tamen adeo rata censeri, ut, necessitate suadente, dissolvi non possint, talium gentium infirmitatem paterna pietate miserati, universis et singulis dictorum locorum Ordinariis et parochis et presbyteris Societatis Jesu ad confessiones audiendas ab ejusdem Societatis superioribus approbatis, et ad dictas regiones pro tempore missis, vel in illis admissis, plenam auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus facultatem dispensandi cum quibuscumque utriusque sexus Christifidelibus incolis dictarum regionum, et serius ad fidem conversis, qui ante baptisma susceptum matrimonium contraxerant, ut eorum quilibet, superstite conjuge infideli et ejus consensu minime requisito, aut responso non expectato, matri-

Digitized by Google

monia cum quovis fideli alterius etiam ritus contrahere et in facie ecclesiae solemnizare et in eis postea carnali copula consummatis, quoad vixerint, remanere licite valeant: dummodo constet et summarie et extrajudicialiter conjugem, ut praefertur, absentem moneri legitime non posse, aut monitum intra tempus in eadem monitione praefixum suam voluntatem non significasse: Quae quidem matrimonia, etiamsi postea innotuerit conjuges priores infideles suam voluntatem juxte impeditos declarare non potuisse, et ad fidem etiam tempore contracti secundi matrimonii conversos fuisse, nihilominus rescindi nunquam debere, sed valida et firma prolemque inde suscipiendam legitimam fore decernimus... ».

Post haec praedictae facultates Vicariis Apost. concedi coeperunt. Ben. XIV in Const. *In suprema* 16 *Jan.* 1745 easdem facultates concedit Nuntio Venetiarum.

1102. Illa verba *dummodo constet etiam summarie*..... declarat instructio S. C. S. Officii *diei* 11 *Jun.* 1760 ad Superiorem Missionum PP. Barnabitarum « Osservi però diligentemente e con tutta la possibile cautela il P. Superiore della Missione, che in ognuno di questi casi, nei quali crederà necessario di dispensare dall' interpellanza, non basterà che egli ne sia internamente persuaso, ma dovrà fare un processetto sommario da cui per ogni futuro tempo apparisca questa necessità, o perchè l'interpellato non risponde, o perchè non si sa ove egli sia, o perchè ha dato prove col fatto del suo aperto dissenso, e sarà bene in tal caso che per non mancare di cautela si facciano anche le citazioni *ad valvas* et *per edictum* coll'assegnazione di congruo tempo *ad comparendum et declarandum* etc. N. S., felicemente regnante, expressamente inculca e vuole questa prova sommaria da farsi dal P. Superiore della Missione, o da altri, a cui delegherà le facoltà » (1).

(1) *Latine*: Sed animadvertat diligenter et cum omni cautela P. Superior Missionis, quod in unoquoque horum casuum, in quibus ab interpellatione dispensandum esse censebit, satis non erit ut hoc sibi persuasum habeat, sed conficiendus erit processus compendiarius ex quo pro quovis futuro tempore huiusmodi necessitas appareat, vel quia interpellatus

Digitized by Google

At hoc processu praetermisso, peccaret quidem dispensans, sed si nil aliud desit, matrimonium valeret (1).

1103. Vicarius Apost. *Chensi* et *Chansi* quaesiverat:

« 1° An sub nomine legitimi impedimenti per quod dispensatur conjux fidelis ab interpellatione conjugis infidelis, veniat sola praesumptio impudentiae viri, qui, sicuti prima vice uxorem vendidit, timendum videtur ne, eadem recuperata, secundo etiam vendere audeat?

« 2° An veniat sola praesumptio quod pars infidelis nolit redire, quia scilicet in praecedenti cohabitatione vel ob diversitatem temperamentorum, vel aliis ex causis ambo inter se discrepabant, continuisque agitabantur dissensionibus?

« 3° An veniat sola praesumptio quod maritus infidelis, ex eo quia jam transiit ad alias nuptias, nolit rejicere secundam uxorem, ut primae rursus adhaereat, vel si forte velit rursus suscipere primam, nolit tamen rejicere secundam, sed ambas simul retinere?

« 4° An veniat solus timor Christianorum, ne scilicet pars infidelis ob interpellationem illi factam intelligens tali in loco habitare Christianos, possit exinde Christianae religioni molestiam afferre? ».

Clem. XIV in Congr. S. Officii *die* 23 *Nov.* 1769 reposuit:

« Ad 1um, 2um et 3um negative.

« Ad 4um in hujusmodi casu consulatur Sedes Apostolica.

1104. Huc quoque spectant sequentia dubia proposita S. C. S. Officii:

« 1° Qualis distantia in praedictis regionibus, ubi viae sunt tam difficiles et periculosae incolarumque loca tam incerta, censeatur sufficiens ut interpellatio habeatur impossibilis, cum pro ipsa facienda missionarius expensas etiam cum dubio effectu suppeditare valeat? An e. g. iter 7 vel

non respondet, vel quia ubi degat, ignoratur, vel quia facto suo apertum dissensum manifestavit; atque insuper expediet in hoc casu ut, ne cautelae desint, fiant etiam citationes ad valvas et per edictum cum assignatione congrui temporis ad comparendum et declarandum etc. D. N., feliciter regnans, expresse inculcat et exigit hanc probationem summariam faciendam a P. Superiore Missionis vel ab aliis quibus facultates delegabit.

(1) Feje *n.* 488.

Digitized by Google

8 dierum in aditu et reditu sit sufficiens ratio ut interpellatio judicetur impossibilis ?

« 2° Quid censendum de responso affirmativo partis infidelis, scilicet se velle pacifice cohabitare sine contumelia Creatoris, si fundate timetur, ne sic respondeat, ut uxorem conversam aliis vendat aut tradat ?

« 3° Quid censendum de responsione partis infidelis interrogatae utrum velit converti, et respondeat : *Habeo aliquam intentionem, sed hic et nunc non possum me determinare : postea videbo.* An in casu pars conversa tenetur expectare suae partis infidelis resolutionem cum proprio suo periculo ?

« 4° Quid censendum de responso negativo a parte infideli obtento, scilicet nolle converti aut pacifice cohabitare, si istud responsum non quidem cordate, sed quasi oblique obtentum fuerit ? v. g. si ille qui ad interpellationem missus fuit, infideli dicat : *Scisne, ista uxor, a te antea dimissa aut fugiens, nunc intravit in istam novam religionem Europeorum, et quaerit alium virum : an si ad te rediret, adhuc reciperes pro uxore tua, et cum ea pacifice cohabitares, et quam nunc habes uxorem, dimitteres ?* Pars infidelis tali modo interrogata, saepissime respondet negative, sed missionarius de eo non raro angitur.

« 5° Ex concessione S. Sedis datur missionariis facultas dispensandi, ut si quis infidelis plures uxores habeat, cum una quam ex illis elegerit, post conversionem manere possit, si prima converti noluerit, et selecta fidelis fiat. Quaeritur si iste infidelis, qui bona fide non habitat cum prima sed cum una ex secundariis, ab ea separandus sit ante baptismum, et monendus de necessitate interpellandae primae uxoris, vel utrum haec admonitio et separatio differri possit post baptismum ? Ratio dilationis monitionis esset quia in tali casu, si statim imponeretur obligatio separationis, pariter spes conversionis evanesceret : quod si in bona fide relinqui possent, forsan utraque anima salvari posset.

« 6° An ille infidelis censendus sit plures uxores habere, qui non collective cum pluribus habitat, sed prima dimissa, altera vendita, cum tertia junctus sit ? Item an infidelis, qui

Digitized by Google

uxorem in infidelitate dimiserit, et nunc vult converti, sed, durante catechumenatu assumit aliam uxorem, an ea uti licite possit, seu potius monendus est ut eam dimittat, et quatenus renuat, e numero catechumenorum, utpote indispositus, removendus est ».

S. C. *die* 29 *Nov.* 1882 reposuit :

« Animadverti te volunt EE. PP. difficultatem illam et anxietatem, qua missionarii premuntur, quando agitur de usu facultatis dispensandi ab interpellatione, quaeque tibi causa fuit, cur ampliorem pro casibus extraordinariis facultatem peteres, vel penitus tollendam, vel magna saltem ex parte imminuendam esse, si attente inspiciatur qui *ordinarius*, quive *extraordinarius* casus sit habendus. Primus quidem, ut ex verbis indulti abunde patet, tunc evenit, quando scilicet, adhibitis antea omnibus diligentiis, etiam per publicas ephemerides ad reperiendum locum ubi conjux infidelis habitat, iisque in irritum cessis, constet, saltem summarie et extrajudicialiter, conjugem absentem moneri legitime non posse, aut monitum infra tempus in monitione praefixum suam voluntatem non significasse. *Alter* quando adiri quidem potest conjux infidelis, sed de comparte facta Christiana interpellari nequit sine evidenti gravis damni ei vel Christianis inferendi periculo. Jam vero ex his quae enarras facile conjicitur, casus, qui istic eveniunt, inter ordinarios, ut plurimum, recensendos esse, ac proinde non esse hujusmodi, qui adeo graves difficultates facessant.

« Verum sive agatur de ordinariis sive de extraordinariis casibus, investigationes et diligentiae, antequam ab interpellatione dispensetur, semper erunt adhibendae ; in primis quidem ut saltem summarie et extrajudicialiter constet conjugem absentem moneri legitime non posse, aut monitum infra tempus in monitione praefixum suam voluntatem non significasse ; in alteris ut constet de evidenti periculo gravis damni, quod ex interpellatione vel in compartem Christianam, vel in alios Christifideles obventurum esset. Sed neque ex hujusmodi investigationibus difficultates adeo graves oriri posse videntur, cum, omissa plenaria et judiciali forma, summaria et extrajudicialis adhibenda permittatur.....

Digitized by Google

« Ad 1um : Juxta statuta Synodi Lutchuensis *cap.* 9, *n.* 8 illam longitudinem sufficere. quae, perpensis omnibus locorum et rerum adjunctis, magnam affert difficultatem.

« Ad 2um : Si ante interpellationem faciendam satis constet de voluntate hominis vendendi aut aliis tradendi suam uxorem, Vicarius Apost., vi suarum facultatum pro casibus extraordinariis datis, dispenset ab interpellatione. Si vero post interpellationem factam responsio affirmativa habita fuerit, et per processum extrajudicialem constet certis argumentis de mala viri dispositione vendendi aut aliis tradendi mulierem, Vicarius Apost. affirmativam responsionem pro negativa habere poterit, et permittere transitum mulieris conversae ad alias nuptias, facto de hac resolutione verbo cum Ssmo. In casibus particularibus in quibus haec certa argumenta desint, recurrat ad S. Sedem.

« Ad 3um : Stet praescriptioni Synodi Limanae *III, art.* 2, *cap.* 10 a Sixto V adprobatae quae ita statuit : *Si infidelis spem suae conversionis maturam ostendat, Christianus nullo modo ad alias nuptias transeat, quemadmodum est sacris canonibus definitum, sed conjugis lucrum in Christo expectet. Si vero differat conversionem suam, neque tamen jam baptizato conjugi perniciosus existat, eum a fide avertendo, aut ad peccatum mortale pertrahendo (etenim cum id fit sacri canones eos necessario separandos volunt et Christiano novi conjugii ineundi facultatem tribuunt), tunc et expectandum adhuc per semestre tempus, et assidue de sua interim conversione admonendum. Sed quoniam tunc periculum recens conversi cavendum est, ne si diu permanserit in toro infidelis, fidem Christi fortassis amittat, dum vult servare homini ; tum vero libertati illius consulendum est, ne caelebs vivere cogatur, qui forsan uritur : idcirco decernimus, ut, transacto sex mensium spatio, res ad Episcopum deferatur, qui, bene perspecta causa, fideli declaret copiam esse aliud matrimonium ineundi propter fidei aut charitatis periculum, quod patiatur. Quod si nullum esse periculum in cohabitatione viderit, jubeat expectare infidelem, vel etiam consulat cohabitare, si prodesse intelligit, juxta Pauli Apo-*

Digitized by Google

stoli consilium. Neque enim potest omnibus conversis eadem regula praefigi, cum occurrant profecto variae circumstantiae, neque sit omnium infidelium eadem ratio.

« Ad 4um : Quoad praeteritum acquiescat, facto verbo cum Ssmo ; sed in posterum interpellationes esse omnino faciendas juxta formas ab Ecclesia praescriptas.

« Ad 5um : Affirmative ad 1^{am} partem, negative ad 2^{am}.

« Ad 6um : Catechumenum esse omnino separandum a muliere, de qua in dubio : si nolit separari, non posse admitti ad baptismum ; peracta separatione, necessaria instructione, et post baptismum positis ponendis, liberum esse hanc mulierem ducere ».

1105. *c*) Si responsio negativa moraliter certa est, Episcopi et Vicarii Apost. dispensare ab interpellationibus possunt. Etiam in hoc casu moralis certitudinis interpellationes faciendas esse, colligitur ex responsione S. C. de Prop. Fide ad 3um relata n. 1090. Insuper proposito dubio : « Se possa omettersi l'interpellanza nel caso, che conoscasi con tutta certezza il conjuge infidele nè volere convertirsi alla vera fede, nè coabitare pacificamente col conjuge convertito ? (1) » S. C. S. Officii *die* 11 *Aug.* 1859 reposuit : « Quoties conjugem infidelem nec Christianam fidem amplecti, nec sine contumelia Creatoris cum conjuge converso velle cohabitare certo constet, Episcopi tamquam Apostolicae Sedis delegati et Vicarii Apost. dispensare poterunt super interpellatione, dummodo urgeat necessitas, nec tempus suppetat recurrendi ad S. Sedem ».

Plures putant interpellationes in casu non esse per se necessarias ex *reg.* 31 *juris in* 6° : « eum qui certus est, certiorari ulterius non oportet » et dispensationem dari ad cautelam (2).

1106. *d*) Tandem alias etiam dispensationes et faculta-

(1) *Latine* : An possit omitti interpellatio quando cum omni certitudine cognoscitur coniugem infidelem neque velle converti ad veram fidem neque pacifice cohabitare cum coniuge converso ?

(2) D'Annibale *l. c.* Sanchez *VII, LXXIV, n.* 13 et 18. Mansella *pag.* 106-107.

Digitized by Google

tes, postulantibus Episcopis aut Vicariis Apost. S. Sedes concessit, quas vide in Collect. Paris.. Nobis sufficiat referre indultum factum Archiepiscopo Quebecensi. Hic exposuerat :

« Ex illis difficultatibus, quae in America obstant conversioni infidelium, inter quos viget polygamia, ea prae caeteris, ut longa experientia constat, praecipue valet, scilicet quod usque nunc, juxta 11um et 29um articulos indulti extraordinarii Episcopis communicati, *infideles plures habentes uxores tenentur post conversionem et baptismum primam retinere, si ipsa voluerit converti.* Jam vero gravibus missionariorum rationibus permotus, et ut istorum infidelium saluti efficacius consulatur, enixe desidero novam erogari concessionem, cujus tenore eisdem infidelibus plures uxores habentibus et converti desiderantibus, permittatur, ut quam ex illis maluerint (quae ordinarie inter alias junior est) eligant, ad illam converti etiam volentem in matrimonium juxta regulas Ecclesiae ducendam sine obligatione primae ducendae. Haec autem desiderata concessio refertur ad decretum S. Pii V 2 *Aug.* 1571..... In hoc enim decreto nulla fit mentio de prima in legitimam uxorem suscipienda, sed tantum de ea quae cum illis fuerit baptizanda. At in casu submisso nulla nascitur difficultas baptismi suscipiendi a parte illius uxoris, qualiscumque sit, quam infideles prae caeteris eligunt.

S. C. S. Officii censuit : « Animadvertendum esse, num agatur de hominibus, qui in infidelitate verum matrimonium inire voluerunt, et non potius de hominibus, qui mulierum contuberniis assueti, dum vagantes mulieribus pluribus conjunguntur, veri nominis inire matrimonium non praesumuntur. In primo quidem casu, videlicet quando agitur de vero matrimonio inito, dubium esse non posse S. C. existimavit, infideles plures uxores habentes post conversionem suam debere primam uxorem retinere, si et ipsa baptismum suscipiat, vel saltem habitare cum illo assentiatur absque injuria Creatoris. In altero vero casu, scilicet quando agitur de matrimoniis, de quibus serio dubitari possit non vera fuisse matrimonia, sed contubernia tantummodo ex cupiditate inita

Digitized by Google

cum mulieribus, S. C. censuit infidelem qui ad fidem convertitur, post conversionem suam eligere posse quamcumque velit ex mulieribus jam sibi conjunctis, modo et ea ad fidem catholicam convertatur, baptismum suscipiat, consensu ad matrimonium expresso per verba de praesenti, vel etiam posse matrimonium inire cum alia qualibet catholica muliere.

« Feria *IV die* 8 *Junii* 1836. Ssmus... probavit, renovato tamen consensu, si matrimonium in prima hypothesi contrahitur cum secunda vel tertia conjuge, et addita facultate dispensandi ab interpellatione conjugis primae, quoties aut fieri reipsa nequeat, aut si fieret, nullius utilitatis fore reputetur juxta ea, quae a s. m. Ben. XIV *l.* 13, *c.* 21, *De Syn. Dioec.* traduntur ».

Huc usque de privilegio fidei quo matrimonium infidelium in primis (n. 1083) solvitur.

1107. 2° Ulterius matrimonium infidelium solvi potest *dispensatione Romani Pontificis* semper in fidei favorem : imo ipsum fidei privilegium supra expositum, si admittas minus communem de ejus origine opinionem (n. 1084), non est nisi dispensatio a R. P. concessa. Cum vero hanc dispensandi potestatem non pauci R. P. detrectent, in primis status quaestionis determinari debet.

1108. Omnes admittunt R. P. posse dispensare si uterque vel alteruter conjux infidelis convertatur et baptismum suscipiat, et matrimonium consummatum non fuerit : quae sententia in praxi quoque servatur. Nam si R. P. potest dispensare in matrimonio rato et non consummato fidelium, multo magis dispensare poterit, post eorum baptisma, in matrimonio rato et non consummato infidelium, quod minus forte est.

E contrario omnes fatentur R. P. nullo modo posse dispensare : 1° si uterque conjux in infidelitate permaneat, cum eorum conjugium potestati Ecclesiae minime subdatur ; 2° si uterque convertatur, baptismum suscipiat, et deinde matrimonium consummetur, quia jam habes matrimonium fidelium ratum et consummatum : quae est sententia communis theologorum et canonistarum.

Digitized by Google

Tandem quaestio est num R. P. dispensare valeat in casu quo uterque vel alteruter convertatur, baptismum suscipiat, et matrimonium consummatum fuit ante, non vero post baptismum : item in casu, quo alteruter convertatur, baptismum suscipiat, et matrimonium privilegio fidei non solutum consummetur. Hic alter casus est difficilior : nos putamus et in eodem R. P. posse dispensare, sicuti certum est privilegium fidei reviviscere posse (n. 1092), sed modo ab eodem praescindimus ; et quaestionem coarctamus ad primum casum.

Jam vero hanc dispensandi potestatem plures R. P. negant (1) : alii concedunt, quibus nos sine ulla haesitatione subscribimus (2).

1109. Haec quaestio unice solvi potest ex facto RR. PP., supposito principio, quod quando agitur de R. P., ut tali, etiam in re morali ab esse ad posse valeat illatio. Jam vero si verba S. Pii V (n. 1100) ac maxime Greg. XIII (n. 1101) sensu obvio sumamus, significare dispensationem in matrimonio legitimo palam est.

Patroni primae sententiae ajunt R. P. *interpretari* privilegium Paulinum. Esto : sed profecto haec erit interpretatio *extensiva*, qua scilicet lex a casu, de quo agit, ad casum prorsus distinctum ac diversum protrahitur. Quis enim dicet esse casum Apostoli Pauli, quando S. Pius V (cit. n. 1100) permittit viro polygamo unam ex posterioribus uxoribus quae, recepto baptismate, fidelis et ipsa fiat, renovato consensu, assumere, licet prima uxor remanens in infidelitate consentiat habitare pacifice sine contumelia Creatoris? et multo magis quando Greg. XIII (cit. n. 1101) concedit conjugem conversum posse alias inire nuptias, consensu

(1) Feje *n.* 602. Pontius *IX, II.* Schmalz. *IV, XIX, n.* 60. Vasquez *De matr. disp. II, cap. VI, n.* 58, quibus favet potius quam contradicit Ben. XIV *Quaest. Can.* 546, *De Syn. VI, IV, n.* 5 et *XIII, XXI, n.* 4.

(2) Navarrus *lib. III Consist. De convers. infidelium consil.* 3 *a n.* 13, primus omnium hanc potestatem affirmavit, quem sequuti sunt Sanchez *II, XVII,* Reginaldus *In poenitent. XXXI, IV, n.* 34, Layman *II, II, n.* 6, Pirhing *IV, I, n.* 146. Filluccius *II, n.* 38, S. Alph. *VI, n.* 956 (qui tamen non bene citat Ben. XIV), Verricelli *De Apostolicis missionibus quaest.* 98, *dub.* 16, *n.* 180 et alibi, Scavini *III, n.* 983 qui pariter male citat Ben. XIV, Ballerini-Gury *II, n.* 759, D'Annibale *III,* § 338.

Digitized by Google

infidelis minime requisito, responso non expectato, et has nuptias validas esse, etsi deinde innotuerit infidelem suam voluntatem declarare non potuisse, vel tempore initarum nuptiarum jam baptismum suscepisse? Atqui interpretationem extensivam esse veram legem pro casu non comprehenso, quae supponit in interpretante potestatem legislativam, in casu nostro potestatem dispensativam, notum omnibus est.

Ex his jam satis apparet hanc quaestionem in praxi nil referre, et esse mere theoreticam: nam R. P. circa haec matrimonia in fidei favorem omnia praestat, veluti si dispensandi potestate polleat. Tantum patroni primae sententiae dicunt quod R. P. *interpretatur*; nos quod *dispensat*.

1110. 3° *Professione solemni religiosa.* Omnes fatentur conjugem conversum, si infidelis interpellatus renuat converti ac pacifice sine contumelia Creatoris cohabitare, posse religionem profiteri, aut ordines sacros suscipere: et in neutra hypothesi, etsi infidelis dein convertatur, instauratur vitae consuetudo sine Apostolica dispensatione, quae vix umquam concederetur: novitius autem aut simplex minorista repeti posset. Sanchez *VII, LXXVI, n.* 6 idem tenendum esse putat, si conjux conversus votum castitatis emiserit.

At matrimonium legitimum solemni professione religiosa solvitur necne? Certe solvitur, si erat ratum tantum: si autem ante conversi baptismum consummatum fuit, negant et negare debent omnes qui censent R. P. potestatem dispensandi in legitimo matrimonio non habere, cum solemnitas votorum sit ab Ecclesiae constitutione introducta (1). Ii vero qui hanc potestatem R. P. agnoscunt, facile affirmant (2).

Susceptio vero ordinis sacri, sicuti non solvit matrimonium ratum fidelium, ita nec consummatum infidelium: unde si post viri ordinationem uxor convertatur, recurrendum erit ad Sedem Apostolicam, quae vel viro permittet, si

(1) Feje *n.* 500.
(2) Sanchez *l. c. n.* 9. D'Annibale *l. c.*

Digitized by Google

vult, ad uxorem redire, vel potius vinculum matrimonii dispensatione abrumpet.

Hinc patet non facile conjugem conversum ad religionem vel ad ordines esse admittendum, altero in infidelitate remanente.

§ 2. — *De divortio semipleno idest quoad torum, mensam et habitationem tantum.*

1111. Remanente vinculo, communio tori, mensae et habitationis facilius solvitur. Protestantes docebant hoc semiplenum divortium fieri posse tantum ob adulterium, et errare Ecclesiam quae alias quoque causas admittit. Eos damnavit Conc. Trid. *sess. XXIV*, *can.* 8 : « Si quis dixerit Ecclesiam errare cum ob multas causas separationem inter conjuges quoad torum, seu quoad cohabitationem ad certum incertumve tempus fieri posse decernit ; A. S. ». Ejusmodi causae reducuntur ad adulterium, haeresim seu schisma, quodvis periculum grave, mutuum consensum. Neque id obstat verbis Christi D. Matth. *V*, 19 : « *Quicumque dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis.....* »; nam Christus D. voluit ita indicare unicam intrinsecam causam separationis perpetuae, quae significatur illis verbis *dimiserit uxorem suam*, quaeque proprie divortium audit (1), excludens uxoris deformitatem, inopiam et quidquid citra culpam est, ob quae Judaei dabant libellum repudii (2). Sed jam de singulis pauca.

1112. 1° Adulterium unius partis esse legitimam hujus divortii causam pro altera parte patet ex *cap.* 4, 5, 8 *cit. tit.*, et ipse Christus D. *l. c.* tradit. Et cum vir et uxor non ad imparia judicentur, ut ait Inn. III in *cit. cap.* 8 *cit. tit.*, hinc sicut vir propter adulterium uxoris ab ea divertere potest, ita uxor a viro propter ejus adulterium (3).

(1) « Divortium non est verum, nisi quod animo perpetuam constituendi divisionem fit » *l.* 3 *ff. De divortiis.*

(2) Cornelius a Lapide in *cap.* V S. Matth. Bellarminus *De matr. I, XXIV.*

(3) S. Thomas 4 *dist.* 35, *q. un.* Sanchez *XX, III, n.* 6. Pontius *IX, XVI, n.* 4 *sequ.* Schmalz. *IV, XIX, n.* 100. Pirhing *n.* 2. Reiff. *n.* 38.

Digitized by Google

Requiritur autem :

a) Adulterium *formale et culpabile*, cum jus divortii competat propter solam fidei conjugalis criminosam violationem. Hinc locus divortio non est, si e. g. vir putans uxorem mortuam aliam ducat, nisi, de illius vita certior factus, in unione perstiterit ex *can.* 1, *c.* 34, *q.* 1 in Decreto ; aut viceversa si uxor, putans virum mortuum, alteri nupserit, licet nonnulli aliud sensiant (1) ; item si conjux invincibiliter putabat adulterum esse suum conjugem (2) ; item si ab uxore omnino invita copula extorqueatur (3). Utrum copula, metu gravi obtenta, satis sit ad divortium petendum, DD. inter se non conveniunt (4).

b) Adulterium *consummatum :* unde non sufficiunt copula solum attentata, et multo minus amplexus, oscula, tactus vel alii turpes actus cum proprii vel alieni corporis pollutione (5). Communis sententia est posse divortium fieri ob sodomiam, aut bestialitatem commissam a conjuge (6), licet S. Alph. *cit. n.* 962 putet hanc sententiam solido fundamento destitui.

c) Adulterium *moraliter certum*. Equidem *can.* 3, *c.* 32, *q.* 1 S. Hieronymus ait : « Ubicumque est fornicatio, *vel fornicationis suspicio* libere dimittitur uxor ». At communiter advertunt AA. ex una parte non sufficere quamcumque probabilem suspicionem de adulterio (7), et ex alia non requiri testes de visu, qui in delictis carnis haberi non solent, sed satis esse in utroque foro praesumptiones, ut ajunt, violentas, quibus moralis certitudo inducitur de perpetrato crimine : quas quidem praesumptiones recenset Alex. III in *cap.* 12, *De praesumptionibus* (8).

(1) Apud S. Alph. *VI, n.* 966. *Tertius casus* ex Sanchez *X, V, n.* 15. Consci *II, XVI, n.* 3, D. Thomas 4 *dist.* 35, *q. un., a.* 1.

(2) Consci *l. c. n.* 6. S. Thomas *l. c.*

(3) Consci *l. c.* D. Thomas *l. c. can.* 6, *c.* 32, *q.* 5.

(4) Schmalz. *l. c. n.* 105. S. Alph. *l. c.* Sanchez *l. c.*

(5) Schmalz. *l. c. n.* 103. Sanchez *X, IV, n.* 9 *sequ.* Pirhing *n.* 5. Reiff. *n.* 60. S. Alph. *l. c. n.* 962. *Quaeritur III* Consci *II, XVI, n.* 17.

(6) Consci *De separatione tori conjugalis II, XIII, n.* 25. Sanchez *X, IV, n.* 8 *sequ.*

(7) Consci *II, XVI, n.* 20 *sequ.* Sanchez *X, XII, n.* 39.

(8) S. Alph. *VI, n.* 961. Schmalz. *IV, XIX, n.* 115 *sequ.* Ballerini-Gury *II, n.* 761, et fuse Consci *II, XIV.*

Digitized by Google

1113. Hoc conjugis adulterium jus divortii alteri non tribuit in triplici casu :

a) Si adulterii malitia huic alteri quoque ex parte tribuenda est, e. g. si adulterium mandaverit, aut in illud consenserit seu expresse seu tacite, idest non impediens, cum sciret et facile posset ; « cum adulterium ei non possit objicere, qui eam adulterandam tradidit praesertim invitam » ut legitur *cap.* 6, *De eo qui cognovit* (1)... Diximus *cum facile posset*, secus enim non censetur consentire, quod plerumque verificatur in uxore relate ad virum. Praeterea conjux jus divortii non amittit, si, sciens alterius adulterium, simulet se illud ignorare, ut interea testes idoneos inveniat ad infidelem conjugem observandum et de adulterio convincendum (2). Item nec si conjux alterum ad adulterium impellat indirecte, idest negans debitum aut alimenta, vel eumdem e domo expellens, vel cum eodem non cohabitans ex *cit. cap.* 4 *cit. tit.*, dummodo id non fecerit ea praecise intentione, ut alter, necessitate coactus, adulterium perpetraret (3).

b) Si innocens adulterium conjugi reo condonavit sive expresse sive tacite e. g. usu matrimonii, solitis amplexibus, osculis etc. (4). Dummodo haec obsequia et signa conjugalis affectus sponte ac scienter dederit, et post reconciliationem reus novum adulterium non commiserit.

c) Tandem si et alius conjux deinde in adulterium lapsus est ex *cap.* 4, 5 *cit. tit.*; et *cap.* 6, 7, *De adulteriis* ; nam per hoc aliud adulterium videtur inducta compensatio injuriarum juxta illud *cap. ult. De adulteriis* : « Paria delicta mutua compensatione tolluntur ». Neque interest quinam prius aut pluries fornicatus sit (5). Imo si conjux ob adulterium alterius propria auctoritate ab ipso diverterit, et deinde ejus-

(1) Schmalz. *l. c. n.* 106. Sanchez *X, V, n.* 4 *sequ.* Pontius *IX, XVII, n.* 7. Pirhing *n.* 11. Reiff. *n.* 66. Consci *II, XVI, n.* 2.
(2) Schmalz. *l. c.* Reiff. *n.* 69. Pirhing *n.* 12.
(3) Consci *II, XVI, n.* 13 *sequ.* Pirhing *IV, XIX, n.* 12. Sanchez *X, V, n.* 6.
(4) Sanchez *X, V, n.* 19. Schmalz. *n.* 108. Pirhing *n.* 14. Reiff. *n.* 71.
(5) Sanchez *X, VI, n.* 8. S. Alph. *VI, n.* 966. Schmalz. *n.* 107. Pirhing *n.* 8. Reiff. *n.* 71, 82.

Digitized by Google

dem criminis reus fiat, vitae consuetudo redintegrari debet ex *cit. cap.* 4, et 5 *cit. tit.* Non conveniunt DD. utrum idem servandum sit etiam in casu, quo conjux ex sententia judicis diverterat (1); sed certe non tenetur vitam matrimonialem restaurare, antequam petitione alterius partis per sententiam judicis adstringatur.

1114. Praeter hos casus conjux innocens propter alterius adulterium non tenetur quidem, sed potest petere divortium (2), etiam perpetuum, quo se a reo, non reum a se liberat (3).

Hinc ex una parte ipse potest, utcumque conjuge culpabili invito, religionem ingredi et profiteri, aut sacros ordines suscipere; nec tenetur conjugem emendatum revocare, nisi forte ex reconciliatione magnum publicum malum avertatur, aut bonum promoveatur, aut ex charitate erga conjugem emendatum vel honestate quadam, si commode potest, adstringatur. Hoc sensu intelligendum *cap.* 3, *De adulteriis*: « Quod si mulier dimissa egerit poenitentiam et voluerit ad virum suum reverti, debet, sed non saepe, recipere peccatricem ». Cui consonat *can.* 7, *c.* 32, *q.* 1 et *can.* 7, *c.* 34, *q.* 4 in Decreto. Hinc Glossa in *cit. cap.* 3, *De adulteriis* v. *debet* subdit: « Debito honestatis, non necessitatis ». Quid juris si et ipse in adulterium prolapsus sit, aut adulterium reo condonaverit diximus n. praec.

Ex alia autem parte conjux innocens potest reum quandocumque ad se revocare, sive propria auctoritate diverterit, sive ex sententia judicis, ut verior et communior fert sententia (4). Hinc conjux dimissus nequit religionem amplecti, aut ad ordines ascendere, nisi de consensu innocentis « alias... potest ab illo repeti et tenetur reddere » S. Alph. *VI*, *n.* 969 (5). At sufficit etiam consensus tacitus, qui

(1) Schmalz. *n.* 107. Reiff. *n.* 81 *sequ.* Pirhing *n.* 4, aliique affirmant. S. Alph. *VI*, *n.* 967, in fine sententiam negantem longe probabiliorem habet.
(2) S. Alph. *VI*, *n.* 963.
(3) D'Annibale *III*, § 339.
(4) S. Alph. *VI*, *n.* 967. D'Annibale *III*, § 339, *not.* 35.
(5) Sanchez *X*, *X*, *n.* 12. Ballerini-Gury *II*, *n.* 763.

Digitized by Google

habetur, si innocens statum irrevocabilem religionis aut sacrae ordinationis jam susceperit, si sciat dimissum velle ad religionem vel ad clericalem statum transire, nec contradicat, cum possit; sed innocens in casu non tenetur aut religionem ingredi, aut voto castitatis sese adstringere. Id ipsum, scilicet ut possit religionem ingredi, vel ordines suscipere, parti reae concedunt DD., quando innocens rogatus noluerit reconciliationem admittere, aut etiam si eam innocens, elapso jam biennio, non revocaverit (1).

1115. Quaeritur an conjux innocens possit propter adulterium alterius propria auctoritate discedere.

Certum est non posse si dubium tantum vel suspicio de adulterio commisso adest, ex *cap.* 9, *De sponsalibus...*, ubi Alex. III docet nemini licere uxorem suam sine *manifesta* causa fornicationis dimittere; et ex *cap.* 4, *De divortiis.*

Certum est posse, si adulterium est certum et publice notum notorietate juris vel facti ex *cit. cap.* 4 *cit. tit.*, ubi ratihabetur mariti ab uxore recessus propria auctoritate factus « si notorium est mulierem adulterium commisisse », et ex *cit. cap.* 9, *De sponsalibus* argumento a sensu contrario. Ratio est quia conjux ad divortium jus habet ex ipsa Evangelii lege, ita ut sententia judicis tantum declaret causam idest adulterium verificari: atqui haec declaratio necessaria non est, quando adulterium est certum et notorium (2).

Tandem dubium est num possit, si adulterium est certum sed occultum. Communior et probabilior sententia affirmat (3), saltem pro foro conscentiae, contra S. Thomam in 4 *dist.* 35, *q.* 1, *a.* 3, aliosque, quia causa tribuens jus divortii indubia est, ac proinde conjux innocens discedere prohibebitur in hoc casu tantum lege charitatis ad evitandum scandalum, aut diffamationem conjugis culpabilis: sed charitas non obligat cum magno incommodo, quod hisce in casibus numquam non aderit.

(1) Schmalz. *n.* 126. Ballerini-Gury *l. c.* S. Alph. *l. c.* Pontius *IX, XIX, n.* 1 *sequ.*

(2) Schmalz. *n.* 111. Pirhing *n.* 16. Reiff. *n.* 89. Sanchez *X, XII, n.* 42.

(3) Praeter mox allegatos D'Annibale *III,* § 339. Clericatus *XXXIX, n.* 3.

Digitized by Google

Diximus *saltem in foro conscientiae*, quia in foro externo ex causa adulterii nec notorii nec legitime probati conjux dimissum conjugem recipere a judice compellendus est, ne malis conjugibus praebeatur ansa innocentem compartem dimissione vel recessu injuste vexandi.

1116. 2° Lapsum conjugis in haeresim esse causam separationis legitimam pro altero conjuge traditur in *cap.* 6, et 7 *cit. tit.*, cum in jure habeatur veluti spiritualis fornicatio ; idemque dicendum de lapsu in apostasiam ex *can.* 5 *et* 6, *c.* 28, *q.* 1 in Decreto, et, ut putamus, de lapsu in schisma, quod caeteroquin cum haeresi conjungi solet. Imo si conjugi innocenti vitae consuetudo periculo proximo non est, ipse potest, sed non tenetur discedere, et aliquando ex charitate nec poterit quidem, si nempe exinde spes conversionis sit ; sed si vitae consuetudo ipsi praebet proximum perversionis in fide periculum, non solum potest, sed ex ipso naturali jure debet divertere.

Verior sententia est conjugem innocentem posse propria auctoritate, quin sententiam Ecclesiae expectet, reum derelinquere, dummodo haeresis etc., certa sit ex *cit. can.* 6, *c.* 28, *q.* 1 (1).

Ast hoc divortium debet esse temporaneum, idest vitae consuetudo restauranda est, si conjux dimissus ejuraverit haeresim, et indubia dederit resipiscentiae signa. Id certum est, si innocens diverterat propria auctoritate ex *cit. cap.* 6 *cit. tit.* : « Etiamsi conjux catholicus, dimisso conjuge in haeresim lapso, ingressus fuisset religionem, aut ordinibus sacris initiatus sit : nam ante sententiam divortii nec istos suscipere, nec illam ingredi eidem licet, sed repetere illum conjux, ad religionem orthodoxam reversus, potest » Schmalz. *IV, XIX, n.* 147. Si vero judex divortium pronuntiaverat, quamvis in *cit. cap.* 6 tradatur innocentem non esse compellendum ad conjugem conversum recipiendum, tamen distinguendum est. Si conjux catholicus vult ad religionem transire, non tenetur alterum recipere ex *cap. ult. De conversione conjugatorum* : « Mulier quae in fide

(1) D'Annibale *l. c.*

Digitized by Google

remansit, potest, nolente viro, qui ab infidelitate revertitur, propter quam ab eo fuerat judicio Ecclesiae separata, ad religionem libere convolare ». Si vero vult in saeculo remanere, cogitur ex judicis sententia vitam conjugalem resumere. Id satis colligitur ex *cit. cap.* 7 *cit. tit.*, ubi Inn. III concludit; « Per hanc ipsam responsionem illa solvitur quaestio qua quaeritur, utrum ad eum, qui ab haeresi vel infidelitate revertitur, is qui remansit in fide, redire cogatur » : ubi Glossa *v. redire cogatur* subdit : « Et revera cogi debet, nisi velit religionem intrare, cum judicio Ecclesiae separati fuerint..... »

1117. 3° Praeterea etiam periculum grave seu animae seu corporis praebet conjugi innocenti jus divortii, seu separationis. *Animae*, e. g. si vir pertrahit uxorem ad furta, adulteria... ex *can.* 5, *c.* 28, *q.* 1 in Decreto (1) ; *corporis*, e. g. si alter alterius vitae struxerit insidias ex *cap.* 1 *cit. tit.*; si capitali odio vir uxorem prosequatur *cap.* 8, *De restit. spoliat.*, aut uxor virum ; si morbo contagioso alteruter laboret, nisi sanus talem duxerit sciens volens (2) ; si vir sanae uxori alimenta negaverit aut aegrotae medicamina ; tandem si vir saevitias in uxorem exerceat ex *cap.* 13, *De restit. spoliat.*, sive quia saevitiae semel exercitae alias annuntiant, sive in poenam injuriae uxori illatae. Quaenam saevitiae legitima divertendi causa sint, varie ex personis existimari debet : nam quae graves sunt respectu foeminae nobilis, leves sunt respectu foeminae humilis conditionis (3).

Si periculum tale est ut moram non patiatur, conjugem posse propria auctoritate discedere palam est : sed remoto periculo, redire debet, et ministerio judicis cogi potest. In praxi vix credi potest « quod cesset unquam periculum, si conjux fuerit amens et furiosus, vel ita pronus ad iram ut saepe intervenerit periculum damni, et aliquando uxorem vulneraverit, vel si dederit venenum etiam semel » S. Alph. *l. c.*

(1) Consci *II, V, n.* 1. Sanchez *X, XVII.*
(2) Sanchez *X, XXIV, n.* 17. Reiff. *IV, VIII, n.* 8.
(3) S. Alph. *VI, n.* 971. Sanchez *X, XVIII.*

Digitized by Google

Quod si divortium judicis ministerio pronuntiatum fuit ad certum incertumve tempus, conjuge ad meliorem frugem redeunte, innocens vitae consuetudinem restaurare non tenetur, nisi ex sententia judicis, aut transacto tempore : imo si pronuntiatum fuit in perpetuum ob inemendabilem viri improbitatem, ipse ingredi religionem, aut ad sacros ordines ascendere non prohibetur (1).

1118. 4° Tandem ex mutuo consensu posse conjuges se separare ad tempus ut orationi vacent, testis est Apostolus 1ª *Cor. VII*, 5, et ita etiam ob aliam justam causam. Imo cum neuter teneatur jure suo uti, possunt, citra incontinentiae periculum, etiam in perpetuum se separare mutuo consensu ac privata auctoritate tum quoad torum, tum etiam quoad mensam et habitationem, secluso scandalo ; quod tamen plerumque aderit, nisi ipsum conjugium occultum sit. Hinc per se possunt votum castitatis emittere. At bene advertit Layman *lib. V, tr.* X, *p.* 3, *c.* 71 *sequ.* : « Propter incontinentiae periculum consultum non est conjugibus continentiam vovere, nisi praemissa matura deliberatione et longa experientia, quod facile continentes ambo esse possint : atque post votum toro eos separari oportet ».

Quaenam servanda sint, ut vir uxoratus possit ad sacros ordines ascendere, vel ut sive vir sive uxor post consummatum matrimonium religionem ingredi et profiteri valeant, non est hic exponendi locus.

1119. Pronuntiato a judice divortio, filii educari et ali debent apud conjugem innocentem, expensis rei, nisi judex pro ipsorum bono aliud decreverit. Id, quod juri naturali prorsus conforme est, statuit *Authent. Si patet C. Divortio facto* : « Si pater causam divortii praestiterit apud matrem, ad secundas nuptias non venientem, liberi nutriantur patris expensis ». In eadem *Authent.* post haec verba legitur : « Si vero contra, tunc apud patrem matris locupletis expensis, nisi pater minus idoneus sit ; tunc enim apud matrem locupletem nutriantur ». Quamquam haec sint in

(1) D'Annibale *l. c.* et fusius Schmalz. *n.* 163 *sequ.* S. Alph. *l. c.* Sanchez *l. c.*

Digitized by Google

terpolata ab Irnerio, ut ipsa Glossa fatetur, tamen doctrina tradita est verissima. Quod si alter conjugum est infidelis aut haereticus, proles, propter favorem fidei, semper apud fidelem educanda est ; licet hic fuerit in culpa (1).

(1) S. Alph. *VI*, *n*. 976. Sanchez *X*, *XX*.

Digitized by Google

CAPUT IX

DE MATRIMONIO NULLO.

1120. In praecedenti capite diximus de matrimonio valide contracto; modo videamus quid juris si e contrario matrimonium initum est invalidum.

In primis quoad prolem, admonendi sumus prolem esse legitimam, si matrimonium fuit putativum (n. 241), idest si proles, *utraque vel alterutra parte ignorante* nullitatem, genita est. Id patet ex *cap.* 14, *Qui filii sunt legitimi* ubi Inn. III respondit prolem esse legitimam in casu, quo vir, vivente uxore, matrimonium contraxit cum alia muliere ignorante ipsum esse conjugatum. Vide etiam *cap.* 6, 11, 15 *cit. tit.* Communis sententia est pro legitimitate prolis sufficere ignorantiam seu errorem juris tantum quoad impedimentum in utroque vel alterutro conjuge, e. g. si Titius rem habuit cum Sempronia, et, ignorans exinde oriri impedimentum *affinitatis*, bona fide init et consummat matrimonium cum Caja sorore Semproniae, etiamsi error in casu sit juris clari (1). Hinc « Greg. XIII ad quaestionem ipsi a Maronitis inter alias plures propositam, an quando conjugum unus, divortio ob adulterium facto, cum alia conjugium iniit et ex hoc secundo matrimonio suscepit prolem, haec legitima et ad clerum admittenda sit, respondit esse legitimam et ad clerum admittendam, ex ratione quia bona fide cum ignorantia contractum fuit; putabant enim Maronitae eo casu licitum esse nova inire conjugia: atqui ignorantia haec et error fuit error juris clari et liquidi; ergo, etc. ». Schmalz. *l. c.*, *n.* 29. At non sufficere ignorantiam *affectatam* deducitur ex *cap.* 3, *De cland. desp.*, ubi filii ille-

(1) Schmalz. *IV, XVII, n.* 27 *sequ.* Pontius *XI, VIII, n.* 3. Reiff. *IV, XVII*, n. 6.

Digitized by Google

gitimi declarantur quando parentes sunt *non expertes scientiae*, *vel saltem affectatores ignorantiae*. In *cap.* 2 *cit. tit.* Alex. III declarat esse legitimam prolem conceptam ante *latam divortii sententiam*, ideoque etiam post litis contestationem ; imo etiam post divortii sententiam, si haec per appellationem suspensa sit, vel nondum transierit in rem judicatam (1), si nimirum bona fides in alterutra saltem parte perduret. Haec juxta nonnullos patiuntur exceptionem ; nam filii sunt illegitimi, si matrimonium est putativum, sed conjuges culpabiliter praetermiserunt publicationes ; sed de hoc casu vide quae diximus n. 173.

Utraque parte dubitante de nullitate matrimonii, vel *una certa et altera dubitante*, distinguendum est. Si dubium enatum est post matrimonium bona fide contractum, omnes admittunt prolem, stante hoc dubio natam vel conceptam, esse legitimam, etsi deinde impedimentum detegatur, quia ad prolis legitimitatem sufficit bonae fidei possessio in utroque vel alterutro conjuge ; atqui in casu haec bonae fidei possessio verificatur, nam « tamdiu quisque bonae fidei possessor rectissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum » ut habet *c.* 5, *c.* 34, *q.* 2 in Decreto. Si hoc dubium aderat ante matrimonii celebrationem et stante illo dubio matrimonium, nulla facta diligentia, initum fuit, Gonzalez in *cap.* 2, *n.* 4, *cit. tit.* affirmat prolem esse legitimam ; sed negant Schmalz. *IV*, *XVII*, *n.* 32 ; Reiff. *n.* 8, *et* 9 aliique, et verius « cum illi taliter contrahendo non expertes scientiae vel saltem affectatores ignorantiae videantur » *ex cap.* 3, *De cland. desp.*

Tandem *utraque parte noscente nullitatem*, proles est illegitima, etiamsi in conspectu Ecclesiae matrimonium celebratum sit ex *cit. cap.* 3, *De cland. desp.* Hinc in *cap.* 10, *Qui filii sint legitimi* Caelest. III tradit illegitimos esse filios natos ex matrimonio mala fide contracto contra justitiam publicae honestatis. Ii autem filii illegitimi appellantur *naturales* tantum, si inter parentes sive tempore concep-

(1) Schmalz. *l. c. n.* 13. Reiff. *l. c. n.* 9. Pontius *l. c. n.* 5. Pirhing *IV, XVII, n.* 7 ex *cap.* 2, *Ut lite pendente...* quo permittitur conjugibus carnale commercium, pendente lite super matrimonio bona fide contracto.

Digitized by Google

tionis, sive tempore nativitatis, sive intermedio tempore matrimonium subsistere poterat; secus jure canonico dicuntur *spurii* seu *orti ex damnato coitu* ex *cap.* 10, *Qui filii sunt legitimi.* Et hi deinde sunt vel *adulterini*, si ex conjunctione adultera; vel *sacrilegi*, si ex patre vel matre voto solemni castitatis ligatis, aut patre in ordine sacro constituto; vel *incestuosi*, si ex copula inter consanguineos, aut affines; vel tandem *nefarii*, si ex adscendentibus et descendentibus procreati sunt.

1121. Quoad conjuges ipsos, qui matrimonio nullo implicati reperiuntur, quatuor esse possunt remedia; scilicet *cohabitare uti fratrem et sororem*, *relinquere conjuges in bona fide*, *petere a legitimo judice ecclesiastico declarationem nullitatis et discedere*, tandem *revalidare matrimonium*. Quodnam ex his remediis magis consultum sit adhibere pendet ex circumstantiis, et in dubio confessarius et parochus consulat Ordinarium, ejusque instructionem sequatur.

Fere numquam, propter incontinentiae periculum, suaderi poterit cohabitatio ad instar fratris et sororis.

Si partes sunt in bona fide (1), triplex casus fingi potest: Si neutra pars potest moneri sine periculo gravium incommodorum et in primis peccatorum formalium, relinquantur in bona fide, etsi impedimentum sit juris divini (2). Si utraque pars moneri potest sine hoc periculo, utraque moneatur, ut deinde aut partes separentur et petatur declaratio nullitatis, e. g. si partes in magna discordia vivunt, aut matrimonium revalidetur. Sed in hoc posteriori casu expedit omnino ut prius dispensatio ab impedimento, si obtinenda

(1) Nota *bonam fidem* in hac materia esse subiectivam certitudinem validitatis matrimonii; *malam fidem* esse scientiam vel dubium rationabile nullitatis. Proinde pars est in mala fide si scit nullitatem matrimonii aut de ea serio dubitat; in bona, si persuasum habet matrimonium esse validum, etsi error aut ignorantia alias fuerit culpabilis, aut peccatum in ineundo matrimonio commissum. Feje *n.* 598 in nota.

(2) Hic casus accidit. Titius rem habuit cum matre vidua, inscio quidem Titio sed non matre, quae filiam peperit. Haec nutrita et educata fuit extra maternam domum; et cum ad XVII suae aetatis annum pervenisset, ducta est in uxorem ab ipso Titio, ejus simul patre et fratre. Mater, conscientiae stimulis agitata, omnia confessario pandit; hic consuluit Ordinarium, qui non immerito reposuit conjuges relinquendos esse in bona fide.

Digitized by Google

est, obtineatur, et deinde monitio fiat ita ut una simul possint partes moneri et conjugium revalidari. Tandem si una tantum pars moneri prudenter potest, si matrimonium non est revalidabile, neutra moneatur ; si matrimonium est revalidabile, petatur prius dispensatio vel simplex vel in radice, et deinde pars monebitur, si monenda est. Ad rem Card. Caprara in instructione *diei* 25 *Apr.* 1803 pro revalidatione irritorum conjugiorum in Galliis : « Si contrahentes communiter habeantur pro legitimis conjugibus, et ipsimet fortasse ex ignorantia invincibili sint in bona fide, et absque gravis scandali seu perturbationis periculo certiorari nequeant de nullitate matrimonii, hisce in circumstantiis in bona fide relinquendi sunt, quemadmodum per sacros canones disponitur » (1).

Si impedimentum (publicum notitiâ) non solum ambae partes sed et alii cognoscunt, in primis partes separari debent ratione scandali quoad torum, mensam, habitationem : deinde si matrimonium non est revalidabile, petenda est declaratio nullitatis ; si matrimonium est revalidabile, partes possunt aut petere declarationem nullitatis, aut matrimonium revalidare. Primum, maxime si proles abest, potius suadendum est, si divortium civile jam obtentum fuit, aut brevi obtinebitur (2) ; si animi dissociati prorsus sunt ; si periculum est perversionis unius partis. Alterum potius, praesertim extante prole quae ex separatione grave semper damnum morale patitur, praeferri debet ex charitate, si matrimonio non obstant gravissimae rationes, aut deinde civile divortium obtineri non poterit, et aliunde extra matrimonium periculum sit incontinentiae.

Si impedimentum notum est partibus tantum, in primis

(1) Quaeri solet quomodo sese gerere debeat confessarius, si conjux relictus in bona fide, 1° debitum neget ; 2° dubium ipsi confessario exprimat de validitate matrimonii. Respondemus : Confessarius in primo casu conjugem cogat ad debiti redditionem, quippe qui, negans debitum, peccat ; in altero casu exquirat dubitandi motivum : si hoc motivum non continet causam nullitatis, id confessarius respondebit, etsi aliunde sciat matrimonium esse nullum ; si hoc motivum continet causam nullitatis, debet respondere juxta rei veritatem. Feje *l. c.* S. Alph. *De poenit. n.* 616.

(2) Instructio Card. Albani *die* 27 *Mart.* 1830 ad Archiep. Colon. et Episc. Trevir. Paderb. et Monast. (n. 454).

Digitized by Google

eae separandae sunt quoad torum et etiam, si periculum peccati est, quoad habitationem, sub aliquo praetextu e. g. itineris ad impediendum scandalum et infamiam ; deinde eadem repetenda sunt quae mox dicebamus.

Tandem si impedimentum uni tantum parti notum est, haec certe non potest nec petere nec reddere etiam cum quocumque incommodo : et si matrimonium non est revalidabile, moneat compartem de impedimento, separentur et petant declarationem nullitatis ; si matrimonium est revalidabile, poterit alterutram viam declarationis nullitatis aut revalidationis tenere, ut supra. Si primam seligit, moneat compartem, ab eadem separetur et instantiam introducat : si alteram, vel compars moneri potest sine incommodo gravi, et tunc ipsam moneat et matrimonium revalidetur simpliciter ; vel compars moneri nequit sine incommodo gravi, et tunc aut in revalidatione simplici petatur remissio conditionis de altera parte certioranda, aut petatur sanatio in radice (1).

Nostrum est in distinctis articulis fusius agere de matrimonii revalidatione, et de petitione declaratione nullitatis, idest de causis matrimonialibus.

Articulus I.

De matrimonii revalidatione.

1122. « Matrimonium revalidare, ait d'Annibale *III*, § 365, est illud ex integro denuo contrahere. Quaecumque igitur eis ineundis, haec et revalidandis regulariter necessaria sunt ».

Ex hac notione revalidationis jam patet conjuges, momento revalidationis, debere esse in statu gratiae, quia tunc revera matrimonium-sacramentum contrahitur ; secus pars quae peccato mortali maculatur, non obtinet gratiam, et, si conscia est revalidationis, committit sacrilegium. « Deficiente vero recta dispositione, non idcirco procrasti-

(1) Feje *n.* 595 *sequ.* Marc *n.* 2081. Bangen *III, pag.* 162 *sequ.* aliique passim.

Digitized by Google

nanda est revalidatio, cum majus plerumque malum ex procrastinatione eveniat » Marc *l. c.* in nota.

Pariter ex data notione sequitur omnia quae conjugatis licita sunt, sed solutis illicita, ante revalidationem matrimonii his praetensis conjugibus per se prohiberi, postea licita esse.

1123. Revalidatione matrimonii legitimatur proles naturalis antea mala fide suscepta.

Nimirum n. 1129 diximus prolem esse legitimam, si genita est a parentibus matrimonio nullo unitis, quorum uterque vel alteruter, copulam ponens, illius nullitatem ignorat: proinde hoc in casu proles legitimatione non indiget.

E contrario, si proles genita est a parentibus quorum uterque sciebat se non esse vinculo conjugali ligatum, est illegitima, sed, contracto aut revalidato matrimonio, legitimatur ex *cap.* 1 *et* 6 *cit. tit. Qui filii sunt legitimi* ibi: « Tanta est vis matrimonii ut qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur ». Conceptus autem juridicus hujusce legitimationis per subsequens matrimonium hic est: nempe matrimonium, quod modo celebratur aut revalidatur, retrotrahitur, per fictionem juris, ad tempus conceptionis vel gestationis vel nativitatis prolis, quae proinde habetur tamquam in valido matrimonio genita, ideoque legitima (1).

Exinde sequitur non posse ita legitimari nisi prolem naturalem tantum, idest prolem inter cujus parentes tempore conceptionis vel gestationis vel nativitatis matrimonium consistere poterat; si enim proles est spuria seu genita ex damnato coitu ita ut parentes nullo ex illis temporibus matrimonium inter se contrahere potuissent, illa fictiva retrotractio matrimonii est impossibilis. Hinc in *cit. cap.* 6 Alex. III respondet per subsequens matrimonium non legitimari filios adulterinos. Spurii filii nequeunt proinde legitimari nisi ex principis rescripto, idest R. P. quoad effectus ecclesiasticos illegitimitatis (irregularitatem) quod rescriptum apponitur omnibus dispensationibus matrimonialibus; et

(1) Reiff. *IV, XVII, n.* 30. De Angelis *I, XVII, n.* 4.

Digitized by Google

superioris civilis quoad effectus civiles illegitimitatis (jura successionum).

Diximus *ad tempus conceptionis vel gestationis vel nativitatis* ; nam si omni tempore parentes habiles fuissent, vel habiles fuissent tempore conceptionis licet deinde evaserint inhabiles, superveniente impedimento, certum est prolem legitimari per subsequens matrimonium. Item probabilius dicendum est, si parentes habiles fuissent aliquo momento gestationis, licet tempore conceptionis et nativitatis fuissent inhabiles ; aut si habiles fuissent tempore nativitatis, licet antea inhabiles (1) ex *l.* 21, *C. De natural. liber.* ; *novel.* 89, *c.* 8 *fin.* ; *l.* 5, *et* 7 *ff. De statu hom.* Exinde sequitur prolem ex subsequenti matrimonio legitimari, si e. g. Titius uxoratus cognoscit Cajam, mortua autem uxore, et Caja uterum gerente, cognoscit Semproniam, sororem Cajae quae, stante impedimento affinitatis, parit ; nam parentes inhabiles fuissent tempore conceptionis ob impedimentum ligaminis, item tempore nativitatis ob impedimentum affinitatis, sed habiles fuissent aliquo gestationis momento (2).

Subsequens autem matrimonium prolem legitimat etiamsi sit ratum tantum, e. g. initum in articulo mortis ; aut clandestinum, idest neglectis publicationibus vel sine substantiali forma ubi non viget decretum *Tametsi* ; aut mediatum, idest licet pater e. g. post susceptam prolem matrimonium contraxisset cum alia muliere, quo soluto, contrahat cum illius matre ; aut nullum, si bona fide initum fuit (3).

Neque hanc legitimationem impedire possunt contradicentes parentes, vel alii fratres legitimi, imo neque ipse legitimatus, cum haec legitimatio sit a jure inducta in favorem ipsius matrimonii et in commune societatis bonum.

Tandem haec legitimatio per subsequens matrimonium plena est quoad omnes effectus tum civiles jure Romano, tum ecclesiasticos ita ut legitimatus in omnibus aequipare-

(1) Schmalz. *IV, XVII, n.* 65 *sequ.* Reiff. *n.* 39. Sanchez *VIII, VII, n.* 19. Pontius *XI, XIII, n.* 2.

(2) Schmalz. *l. c. n.* 67.

(3) D'Annibale *I,* § 50, *not.* 29. Pirhing *IV, XVII. n.* 36. Gonzalez *in cap.* 2, *cit. tit. in* 6°, aliique contra Reiff. *n.* 35 qui hoc ultimum negat.

Digitized by Google

tur legitimo : quod canones et leges statuerunt ut parentes amore prolis facilius ad matrimonium ineundum inducerentur et ita a turpi commercio desisterent (1). Una est exceptio, nempe legitimatus per subsequens matrimonium nequit sine dispensatione ad cardinalatum promoveri ex Sixti V const. *Postquam an.* 1590. At hodie auctoritas civilis religioso matrimonio contracto vel revalidato hanc legitimandi virtutem, quoad civiles successionum effectus, non recognoscit.

1124. His positis, ad rem nostram propius accedentes, videamus quomodo nuptiae nulliter initae revalidentur : et in primis loquemur de simplici matrimonii revalidatione ; deinde de revalidatione seu sanatione in radice.

§ 1. — *De simplici matrimonii revalidatione.*

1125. Insistentes ordini quem in hoc tractatu sequuti sumus, supponamus in primis matrimonium nullum fuisse ob aliquod dirimens impedimentum e. g. ligaminis, consanguinitatis, etc. reddens partes inhabiles ad contrahendum, etsi consensum praestiterint in debita forma nec revocaverint. De iis impedimentis vide *cap. IV, sect. II, art. II.*

1126. Jam vero ut matrimonium revalidetur, debet ante omnia removeri impedimentum, ut per se patet ; et si impedimentum removeri nullo modo potest, matrimonium non est revalidabile. Matrimonium autem revalidatur, quando, remoto impedimento, consensus a putativis conjugibus denuo rite exprimitur ; quod ex dicendis melius patebit. Interim animadvertimus pleraque impedimenta removeri dispensatione a legitimo superiore concessa, sed nonnulla removeri etiam citra ullam dispensationem : scilicet impedimentum *raptus*, redditione mulieris loco tuto ; impedimentum *aetatis*, adveniente nubili aetate ; impedimentum *ligaminis*, solutione primi matrimonii ut puta morte conjugis ; impedimentum *disparitatis cultus*, conversione conjugis innocentis ; impedimentum *erroris conditionis servilis*,

(1) Reiff *IV, XVII, n.* 42 cum glossa *in cit cap.* 6. *Qui filii sunt legitim, v. legitimi* communiter recepta.

Digitized by Google

cognita veritate; tandem impedimentum *impotentiae*, remotione impotentiae. Praestat ut utrumque casum singillatim consideremus.

1127. Ad *primum casum* quod attinet, scilicet si impedimentum tollitur dispensatione, hanc dispensationem Episcopus aliique infra R. P., uti alias, concedere non possunt, nisi recepta a Sede Apostolica potestate vel ordinaria consensu seu expresso (n. 405) seu tacito (n. 408) vel delegata per indultum; de quo repete quae diximus n. 413 sequ. Quando autem haec dispensatio a S. Sede petitur, quoad organa quae illam elargiuntur, causas canonicas propter quas conceditur, ea quae in instantia exprimenda sunt, et tandem ea quae servanda sunt in obtentae dispensationis fulminatione redeunt quae fuse exposuimus *cap. IV, sect. I, art. IV*, § 2 In rescripto vero hujus dispensationis a S. Sede concessae, quod habes Alleg. IV, praeter clausulas aliis quoque dispensationibus communes explicatas n. 363 sequ., nonnullae speciales reperiuntur, in quibus nonnihil insistendum est.

1128. Si impedimentum est *publicum* speciales clausulae sunt sequentes :

1° *Dummodo... ignorantia hujusmodi probabilis extiterit*. Haec clausula inseritur quando in instantia expositum fuit matrimonium contractum fuisse bona fide ob invincibilem ignorantiam. Continet veram conditionem (n. 364), ideoque dispensatio est nulla si ambo conjuges fuerunt in mala fide; aut si fuerunt in bona fide, sed eorum ignorantia invincibilis non fuit probabilis. Proinde exequutor inquirere debet:

a) An revera ipsi fuerint in bona fide, quod, nisi indicia contraria adsint, conjugum juramentum satis evincit, quia quae in animo consistunt nonnisi per juramentum probari possunt, ut habet glossa in *cap.* 1, *De homicidio*; imo nonnulli merito censent sufficere etiam eorum affirmationem non juratam, si fide digni sunt, cum juramentum in rescripto nullatenus requiratur.

b) An haec eorum invincibilis ignorantia fuerit *probabilis*. « Scriptores probabilem adfuisse ignorantiam ex eo probari

Digitized by Google

posse arbitrantur, quod proclamationes fieri solitae praecesserint, nullumque denuntiatum fuerit canonicum impedimentum, vel si ex Ordinarii dispensatione omissae fuerint, nulla adhibita fraude, si tamen eodem tempore, ut inquit Corradus *lib. VIII, cap. IV, n.* 47, oratores testentur talem adhibuisse diligentiam, qualis est hominis consulentis viros scientia et conscientia sufficienti praeditos et pro talibus habitos, qui falsum illis consilium dederunt, vel probent se audivisse a probis viris et honestis nullum inter eos adesse impedimentum ad contrahendum matrimonium. Et idem sentiendum ubi constet in loco vel civitate aut vicinia communem fuisse famam et opinionem quod nullum obstaret impedimentum : quandoquidem haec fama excusat a dolo et consequenter a delicto » Giovine *II*, § 78, *n.* 4.

Si ex hac inquisitione constiterit conjuges non fuisse in bona fide, aut eorum ignorantiam non fuisse probabilem, exequutor nequit ad fulminationem procedere, sed rursus recurrendum erit pro dispensatione.

1129. 2° *Prolem susceptam et suscipiendam exinde legitimam declarando*. Haec clausula apponitur sive bona sive mala fide matrimonium initum fuit, et non est specialis, cum reperiatur etiam in rescripto dispensationis ad nuptias contrahendas. Quoad prolem suscipiendam et prolem susceptam mala fide utriusque conjugis vide quae de hac clausula diximus n. 370. Si vero matrimonium bona fide alterutrius saltem conjugis contractum et consummatum fuit, proles suscepta legitimatione non eget (n. 1123) ; sed haec clausula apponitur vel ad cautelam, si forte proles suscepta fuerit postquam utriusque putativi conjugis bona fides cessaverit, vel, etiamsi nullum sit dubium illam susceptam fuisse tempore bonae fidei utriusque vel alterutrius conjugis, ad vitandas murmurationes eorum qui ob juris ignorantiam falso putant illam illegitimam censendam esse.

1130. 3° *Quod... matrimonium inter se de novo publice... contrahere valeant.* Haec clausula respicit consensus renovationem in revalidando matrimonio, de qua, cum non leves sint difficultates, fusius agendum est.

In primis tanquam certum retinendum renovationem con-

Digitized by Google

sensus, post fulminatam dispensationem, *ex rei natura* non esse necessariam pro matrimonii revalidatione, sed si ad solum jus naturae attendamus, matrimonium, remoto impedimento, statim perfici, dummodo consensus initio ab utraque parte praestitus fuerit, nec postea revocatus.

Sane si impedimentum dirimens afficit unam tantum partem, quod evenit in impedimento *disparitatis cultus*, *aetatis* inter puberem et impuberem, *erroris circa servilem conditionem* etc., in omnium sententia non apparet probabilis ratio, qua alterius consensus jure naturali pro revalidatione matrimonii renovari debeat; nam ipse est per se validus et efficax, et si contractum de facto non producit, id ab eo non pendet. Sed idem dicendum de consensu partis affectae impedimento, sive impedimentum unam tantum sive utramque partem directe afficiat. Nam R. P. « ob consensum naturalem initio praestitum dispensare potest, si velit, a renovando consensu » ait Ben. XIV *Inst. Ecc.* 87, *n.* 80, et de facto dispensat tum in sanatione in radice tum etiam aliquando in simplici revalidatione (n. 1132). Imo in dispensationibus quae ante Conc. Trid. concedebantur ab affinitate ex copula illicita, deerat clausula de novo praestando consensu, quae serius, post longas disputationes, inserta est, stante decreto Tridentino (1). Atqui R. P. a renovando consensu dispensare non posset, si haec renovatio foret jure naturae necessaria. Ratio intima est quia consensus initio datus et perseverans ideo non valebat in verum matrimonium, quia obstabat illud dirimens impedimentum juris ecclesiastici: eo igitur dispensatione sublato, valeat necesse est (2).

(1) Navarrus apud *Acta S. Sedis II, App. I, pag.* 52.

(2) Lehmkuhl *II, n.* 825; D'Annibale *III,* § 365; Feje n. 766; S. Alph. *VI, n.* 1115 aliique apud ipsum contra Schmalz. *IV, XVI, n.* 258; Reiff. *App. n.* 585.; Pontius *IV, XXIV, n.* 2 sequ.; Sanchez *II, XXXV, n.* 2. Ajunt isti: consensus ab initio praestitus fuit nullus ideoque nec perdurare potest, et ita post impetratam dispensationem novus exprimi debet absolutus et a priori independens. Respondemus: 1° Si ita est, R. P. ob consensum naturalem initio praestitum non posset dispensare a renovando consensu; quod ipsorum nonnulli revera admittunt, sed falsum omnino est: 2° Consensus, initio praestitus, fuit equidem nullus (melius *inefficax*) quoad producendum contractum matrimonialem, obstante impedimento;

Digitized by Google

Quamquam vero renovare consensum post impetratam dispensationem ex rei natura non sit ex dictis necessarium pro matrimonii revalidatione, tamen est necessarium *ex voluntate Ecclesiae*. Ecclesia enim in sanatione in radice dispensare ab impedimento solet pure et simpliciter absque ulla consensus renovatione (licet aliquando haec praescribatur vel utrique vel alterutri parti), et tunc matrimonium valet vi prioris consensus ab initio praestiti et perseverantis ad terminos juris naturalis ; e contrario in simplici revalidatione renovationem consensus sub poena nullitatis imponit utrique vel alterutri parti. Vult nimirum Ecclesia de jure communi, nisi aliud in casibus particularibus statuerit, ut, remoto etiam impedimento, consensus ab initio praestitus et perseverans remaneat inefficax, sed pars, habilis effecta per impedimenti remotionem, novum consensum exprimat ; et tunc matrimonium valet vi hujus novi consensus (1).

Renovatio autem consensus debet esse novus actus voluntatis a priori distinctus et independens : si enim partes, remoto impedimento, in priori consensu perseverent, quin novum voluntatis actum eliciant, id erit potius continuatio prioris consensus, quam consensus renovatio. Absolute loquendo hic novus voluntatis actus possibilis est etiam cum persuasione validitatis matrimonii ; e. g. si partes, nil dubitantes de nuptiarum valore, dicant : *Contrahamus iterum, ego duco te in uxorem, ego accepto te in maritum* (2). At facile patet de facto hunc novum voluntatis actum non poni nisi in persuasione aut in dubio nullitatis, ut matrimonium certo existat.

at in rerum natura extitit, quia de facto datus fuit, et adhuc existit, quia non fuit revocatus, ideoque modo, remoto obstaculo, evadit efficax. Alii contrarium sentiunt, praesertim si impedimentum est utrique vel alterutri parti notum, quia haec notitia consensum excludit (Gury *II*, *n*. 895 ; Giovine *I*, § 827, *n*. 3). Id non semper verum esse vide n. 793 ; et confirmatur ex facto S. Sedis quae aliquando a renovando consensu dispensat etiam conjuges in mala fide ab initio existentes. Quod si uterque vel alteruter conjux, impedimentum noscens, consensum matrimonialem non habuit, certum est consensum esse renovandum jure naturae : sed de hoc casu postea.

(1) Lege Ben. XVI, *Inst. Ecc.* 87, *n*. 68.

(2) S. Alph. *VI*, *n*. 1117 *v*. *Tertium*. D'Annibale *l*. *c*. *not*. 3.

Digitized by Google

His generaliter positis de renovatione consensus in matrimonii revalidatione, ut modo ad nostram clausulam redeamus, haec indicat Ecclesiam, quando agitur de impedimento publico, exigere ut consensus renovetur coram parocho proprio tempore revalidationis vel alio sacerdote de parochi aut Ordinarii licentia et duobus saltem testibus. Si partes non tenentur decreto *Tametsi*, matrimonium, non renovato consensu, non revalidatur; sed, consensu privatim renovato, foret illicitum quidem sed validum, quia clausula censetur conformis juri, quod in eo loco formam Tridentinam exigit ad liceitatem tantum. Si vero partes tenentur decreto *Tametsi*, consensus necessario renovandus est coram parocho et testibus pro matrimonii revalidatione (1).

Card. Caprara in cit. instructione ita occurrit variis difficultatibus quae ex hac obligatione contrahendi in forma Tridentina sub poena non revalidationis matrimonii oriri possunt: « Si nullitas matrimonii occulta sit (nempe impedimentum natura publicum de facto occultum sit) seu communiter ignoretur, matrimonium coram parocho proprio, adhibitis saltem duobus testibus confidentibus, secreto ad vitanda scandala, contrahendum est, adnotata dein particula in secreto matrimoniorum libro. Si vero nullitas publica sit, ad scandalum removendum publice, servata forma Conc. Trid., celebrandum est. Quod si Ordinarius ob peculiares circumstantias judicaverit expedire ut secreto coram parocho proprio et duobus testibus potius celebretur, secreto celebrari poterit, dummodo tamen publicum scandalum alia ratione removeri possit et quamprimum removeatur ».

Ita e. g. si ambae partes paratae quidem sint consensum renovare coram parocho et testibus, sed non publice in ecclesia, parochus, obtenta permissione Ordinarii, eos conjungat in sua vel ipsorum domo, aut alio decenti loco ab ipsis electo, dummodo adsint testes graves, quorum ope convalidatio hujus matrimonii fieri possit publica, si hoc ad tollendum scandalum sit necessarium, scilicet si invaliditas prioris conjunctionis sit notoria.

(1) Ben. XIV *l. c.*

Digitized by Google

Quid vero si una pars parata sit coram parocho et testibus rursus contrahere, renuat altera? Respondet Card. Caprara *l. c.*: « Si hujusmodi renuentia proveniat ex indispositione ad sacramentorum poenitentiae et Eucharistiae susceptionem, paternis monitis curandum est ut renuens rite disponatur. Quatenus pars indisposita ad sacramentorum susceptionem ita adduci non possit, et aliunde matrimonii renovationi assentiatur, non erit illicitum ad matrimonii renovationem procedere, non obstante illius indispositione: pars enim innocens et instans, attentis circumstantiis utitur jure suo; Ecclesiae minister eidem innocenti directe ac licite reddit jus suum, et indigne renuentis susceptio ejus dumtaxat indispositioni tribuenda est. Si renuentia oriatur ex ignorantia vel aliquo errore contra leges aut doctrinam Ecclesiae circa impedimenta matrimonium irritantia, renuens debita cum prudentia et in charitate instruatur. Et quatenus adhuc renuat matrimonium suum in facie Ecclesiae convalidare, tunc satagendum est, ut specialem procuratorem constituat, qui ejus nomine matrimonium contrahat de more, aut saltem expresso consensu de praesenti per epistolam directam proprio parocho vel alteri sacerdoti, Ordinarii vel parochi licentiam habenti, matrimorium renovetur ». Quod si haec omnia obtineri nequeant, petenda erit sanatio in radice. Hoc vero remedium semper adhiberi debebit, quoties una pars ignoret impedimentum (publicum tantum naturâ suâ), et periculum sit ne monita a matrimonio recedat.

In hac autem renovatione consensus in Tridentina forma, certe publicationes omitti debent (1), parochus assistens non benedicit annulum qui fuit in primo matrimonio benedictus, sed caeteras caeremonias Ritualis servat. Num vero repeti possit benedictio Missalis, DD. inter se non conveniunt: alii negant, quia benedictio proprie respicit personas et non nuptias, et ideo licet nuptiae irritae sint, benedictio suum

(1) Instructio Austriaca § 91: «... proclamationes tali casu haud repetantur; copulatio a parocho privatim et coram fidis testibus peragatur. Exceptio fieri potest, quando impedimentum in loco quo convalidatio instituenda veniat, notorium sit ».

Digitized by Google

valorem et effectum sortita est; alii probabilius affirmant, quia sicut matrimonium, quod erat principale, ita et benedictio, quae est accessorium, nulla fuit (1).

1131. Si impedimentum est *occultum* (n. 251) speciales clausulae sunt sequentes.

1° *Dummodo separatio inter latorem et dictam mulierem absque scandalo fieri nequeat.* Haec verba exhibent confessario normam, ut antequam dispenset, experiatur an sine scandalo partes separari possint (2); et quatenus affirmative, hanc separationem injungat. At hoc scandalum plerumque adest, et rarissime necessaria erit haec experientia (3).

1132. 2° *Dicta muliere* (vel viro) *de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute ut latoris delictum numquam detegatur.* Hac clausula praecipitur partem impedimenti consciam monere debere compartem ignorantem de nullitate matrimonii, non autem de causa nullitatis, ut deinde consensum utraque renovet.

Si haec clausula desit in rescripto dispensationis, hoc ipso patet certiorationem et consensum alterius partis non requiri (4). Si adsit, gravissimi AA. putaverunt continere monitionem potius quam conditionem, ita ut, praetermissa quoque hac certioratione, e. g. quia sine periculo fieri non poterat, dispensatio concessa valeret (5). Haec sententia magis commoda quam vera est: et cum communiori retinendum illo ablativo absoluto (n. 47) veram conditionem praescribi, quae pro validitate dispensationis servari debet (6).

Quo posito, DD. inquirunt quomodonam compars ignorans moneri possit de nullitate matrimonii, quin causa nullitatis in lucem proferatur. Nonnulli putant satis esse, si pars impedimenti conscia, post fulminatam dispensationem, copulam

(1) Sanchez *VII, LXXVIII, n.* 25 *sequ.* Card. Gousset *II, n.* 873.
(2) De Justis *I, VIII, n.* 94.
(3) De Justis *l. c. n.* 178 quem approbat Ben. XIV *Inst. Ecc.* 87, *n.* 60; Sanchez *VIII, XXXIV, n.* 60; Lehmkuhl *II, n.* 822.
4) D'Annibale *l. c.*
(5) Sanchez *l. c. n.* 61; De Justis *l. c. n.* 181 *sequ.* aliique apud ipsum; et apud Ben. XIV *l. c. n.* 67.
6) Ben. XIV *l. c. n.* 68 *sequ.* S. Alph. *VI, n.* 1115.

Digitized by Google

admittat animo maritali, intendens sic exprimere novum consensum ad matrimonium ; vel si alteri dicat : *Pro mea consolatione vellem de novo contrahere, eja contrahamus ;* vel : *Si te non duxissem, velles nubere mihi?* ; vel : *Si matrimonium nostrum irritum esset, velles denuo illud inire ?* ; vel : *Angor scrupulis ne nostrum matrimonium irritum sit, renovemus consensum.* Sed manifestum est his modis compartem non *certiorari* seu certam reddi de nullitate matrimonii ; ad summum ultimo modo dubium iniicitur.

Igitur unicus modus, quo conditio illa impletur, est si pars impedimenti conscia dicat alteri : *Quando nupsi, non habui verum consensum, renovemus illum,* quod mendacio caret, quia consensus nullus non est verus consensus; vel melius : *Dixit mihi confessarius matrimonium nostrum nullum esse, renovemus consensum* (1).

Quid vero si exinde periculum immineat separationis, infamiae partis certiorantis, simultatum, inimicitiarum etc. ? Consultius est S. Sedem iterum adire, ut conditionem illam remittat vel dispenset in radice. Imo hodie saepe etiam Episcopus indultum habet dispensandi in impedimento occulto pro matrimonii contracti revalidatione sine illa conditione. Nam S. Poenitentiaria in pagella facultatum quas Episcopis ac confessariis concedere solet, haec habet : « Dispensandi super occulto impedimento primi, necnon primi et secundi, ac secundi tantum gradus affinitatis provenientis ex illicita copula, quando agatur de matrimonio cum dicto impedimento jam contracto, ita tamen ut si hujusmodi affinitas proveniat ex copula cum matre desponsatae, nativitas desponsatae copulam ipsam antecedat, monito poenitente de necessaria secreta renovatione consensus cum sua putata uxore vel suo putato marito, certiorata seu certiorato de nullitate prioris consensus, sed ita caute ut ipsius delictum nusquam detegatur ; *et quatenus haec certioratio absque gravi periculo fieri nequeat, renovato consensu juxta re-*

(1) S. Alph. *VI, n.* 1117. D'Annibale *III,* § 367 Ben. XIV *l. c. n.* 71 *sequ.* Gury *II, n.* 900. Feje *n.* 762. Bangen *III, pag.* 154 *sequ.* Marc *n.* 2083.

Digitized by Google

gulas a probatis AA. traditas, remota occasione peccandi, atque iniuncta poenitentia salutari, et confessione sacramentali semel in mense per tempus arbitrio tuo statuendum ». Remissa igitur conditione certiorationis et consensus alterius partis, pars conscia renovet consensum uno ex supra recensitis modis, quos probati AA. tradunt, e. g. copulam admittens animo conjugali, et matrimonium eo ipso perficitur. Quod si dum mulier e. g. ad S. Sedem vel Ordinarium recurrit pro illius conditionis condonatione, vir interim petat et mulier subterfugere nequeat, in tanta rerum augustia « censetur S. Sedem eam conditionem relaxare, cum sit moraliter impossibilis » S. Alph. *VI*, *n.* 1117; ideoque mulier reddat animo maritali, et matrimonium revalidatur.

1133. 3° *Matrimonium cum eadem muliere et uterque inter se de novo secrete ad evitanda scandala, praemissis non obstantibus, contrahere et in eo postmodum remanere legitime valeat, misericorditer dispenses.* Nimirum partes, quae nuptias contraxerant irritas impedimento ita occulto ut in foro externo probari nequeat (cit. n. 251), consensum renovare debent et matrimonium rursus inire secrete, idest sine parocho et testibus, etsi in loco decretum *Tametsi* vigeat. « Dispensatione pro foro conscientiae tantum concessa, ait Instructio Austriaca § 89, ad matrimonium convalidandum sufficit ut ambae partes consensum absque parocho et testibus renovent »; et omnes idem fatentur cum Ben. XIV *l. c. n.* 63 qui ita rem explicat: « Etenim Tridentina Synodus, cum jussit matrimonium contrahi coram parocho et duobus testibus, nihil aliud statuendum voluit, nisi clandestina matrimonia impedire, ex quibus gravissima mala derivare consueverunt, ac potissimum cum secreto matrimonium initum fuerat sine parocho ac testibus, novum matrimonium simili ratione ab eodem conficiebatur, vel etiam publice adhibitis testibus accitoque parocho. Quae sane corruptela nequit obtingere cum publice matrimonium celebratum fuit, licet irritum ob impedimentum dirimens occultum habeatur. Quamobrem cum parochus ac testes primo matrimonio jam interfuerint, quod rite cele-

Digitized by Google

bratum putabatur, quia impedimentum nequaquam innotuerat, ideo satis est, ut clam inter conjuges novus consensus praebeatur, cum ipsum matrimonium S. Poenitentiariae facultate rite confirmandum est »(1) .

Tantum disputant DD. num matrimonium rursus contrahi debeat coram parocho et testibus, si forma Tridentina urgens prima vice servata quidem fuerat, sed parochus et testes conscii erant impedimenti ideoque nullitatis matrimonii, affirmante Sanchesio *VIII*, *LXXIII*, *n.* 10, negante probabilius D. Alph. *VI n.* 1112 cum aliis.

Quod si post peractam revalidationem pro foro interno impedimentum, quod erat occultum, evaserit publicum, e. g. legitime probetur in tribunali ecclesiastico, illius revalidationis, nisi aliquo modo constet, nulla ratio habetur in foro externo ; proinde matrimonium revalidari debet pro externo foro, aut judex nullitatem matrimonii pronuntiabit, quo in casu erit oppositio inter forum internum et externum. Hinc patet tutius esse, si aliquod est dubium utrum impedimentum occultum sit an publicum, ut revalidatio fiat pro foro externo : sed parochus omnia deferat ad Ordinarium.

1134. Quoad *alterum casum*, si nempe impedimentum cessat absque ulla dispensatione, instructio Austriaca § 92 ita statuit : « Impedimento absque dispensatione mutatione facti sublato, conjugibus iniungendum est ut consensus declarationem coram parocho et duobus testibus iterent, nisi forsan, quod nuptiarum celebratarum tempore impedimentum obtinuerit, et omnino occultum, nec ullum rei probandae sit periculum ; tunc enim concedi potest ut consensum inter se renovent ». Qua consensus renovatione vel coram parocho et testibus vel privatim matrimonium revalidatur. Sed hoc principium generale applicemus singulis hisce impedimentis.

1135. Si matrimonium nullum fuit ob impedimentum *raptus*, muliere loco reddita tuto, clare intelligitur necessitas renovandi consensum ab utraque parte ; nam indoles

(1) Sanchez *II*, *XXXVII*, *n.* 3. Gonzalez in *cap.* 21 *De*, *sponsalibus*, *n.* 5.

Digitized by Google

hujus impedimenti ea est ut matrimonium inter raptorem et raptam irritum sit nisi, hac in plenam libertatem restituta, denuo contrahatur. Et etiam quando in rarissima exceptione conceditur dispensatio, hoc unum dispensatione permittitur, nempe matrimonium contrahi posse sine praevia restitutione mulieris in libertatem. At Ecclesia potest quoque hoc impedimentum remittere pure et simpliciter, et, si consensus initio revera contra juris praesumptionem praestitus fuit tum a viro tum a muliere, dispensare ab illius renovatione ac efficere ut matrimonium jam valeat vi prioris consensus praestiti. Hoc modo Ecclesia potest sanare in radice etiam matrimonium nullum impedimento raptus.

Matrimonium celebrandum est in facie ecclesiae et in forma Tridentina sub poena nullitatis, si in eo loco viget decretum *Tametsi*, cum raptus publicus esse soleat.

1136. Si matrimonium nullum fuit ob impedimentum *aetatis*, non revalidari adveniente pubertate, expresse tradit Bonif. VIII in *cap. un. De desp. impub.* in 6°; sed necesse est ut consensus ab impubere, post pubertatem adeptam, rursus exprimatur, quia non praesumitur impuberem vere consensisse.

Si in eo loco viget decretum *Tametsi*, hic consensus exprimi debet, sub poena nullitatis, coram parocho et testibus, cum hoc impedimentum natura sua publicum sit.

Si in eo loco non viget decretum *Tametsi*, exprimi semper debet in facie ecclesiae in forma liturgica; sed si exprimatur privatim, matrimonium validum est, imo et licitum, si forma liturgica servari non possit sine admiratione et scandalo. Et si matrimonium erat inter puberem et impuberem, pro validitate necesse est et sufficit ut impubes post adeptam pubertatem consensum exprimat. Adepta autem pubertate, manifestare possunt impuberes consensum maritalem vel expresse vel tacite. Nam Bonif. VIII *l. c.* docet matrimonium eo ipso revalidari, si « per carnis copulam subsequutam, vel aliquem modum alium contrahentes eosdem (impuberes), cum ejusdem perseverantia voluntatis, ad pubertatis tempora pervenisse constiterit evidenter ». Nempe oscula, amplexus, et praesertim copula carnalis ex parte

Digitized by Google

impuberis post adeptam pubertatem, in casu satis exprimunt consensum maritalem, quem conjux praesumitur habere praesumptione juris et de jure ; et ita est alius casus *matrimonii praesumpti*, de quo omnia repetenda sunt quae diximus n. 36 sequ.

Porro copula praesumitur, si sponsi in aetate nubili simul cohabitaverunt et dormierunt.

1137. Si matrimonium nullum fuit ob impedimentum *ligaminis*, consensus, post mortem prioris conjugis, renovari debet in facie ecclesiae debita forma; nisi forte primum matrimonium fuerit prorsus clandestinum, e. g. in Anglia initum, et alterum in facie ecclesiae, e. g. in Galliis contractum ; tunc enim sufficiet consensum privatim renovare.

Etiam inter illos qui necessitatem renovationis consensus pro matrimonio revalidando repetunt a jure ecclesiastico, plures censent in hoc casu consensus renovationem requiri ex ipso naturae jure ob vim quam impedimentum juris divini habet in consensum (1). Fatendum est hanc rationem esse obscuram, et putamus non esse recedendum a doctrina quam n. 1130 demonstravimus. Nam, non obstante juris divini impedimento, consensus de facto extitit, et, cum non fuerit revocatus, adhuc existit. Vivente priore conjuge, erat quidem ipso divino jure inefficax ob impedimentum ligaminis ; sed, hoc remoto, non intelligitur ratio, qua hic consensus non posset matrimonium constituere, si Ecclesia vellet ipsum acceptare dispensans a consensus renovatione.

Hanc nostram sententiam extra dubium ponere videtur sequens responsio S. Poenitentiariae. Expositum fuerat : « N. mulier catholica dioecesis Parisiensis exponit, quod ipsa *an.* 1867 matrimonium rite contraxerat cum X., sed ab illo atrociter verberata, obtenta divortii sententia in sui favorem..., in Helvetia *an.* 1872, in eadem civitate contractum mere civilem inivit cum H. viro catholico, ast ab omni praxi religiosa alieno, vivente adhuc priore conjuge. E vivis erepto X. (priore conjuge) oratrix praefata a H.

(1) Feje *n.* 82, 446, 761. Etiam Ben. XIV *De Syn. XIII, XXI, n.* 7 duriora verba habet.

Digitized by Google

(secundo marito) obtinere studuit ut coram ecclesia consensum renovarent, sicque provideretur legitimationi matrimonii, sed frustra ; nam ille affirmabat contractum mere civilem sibi sufficere, constanterque renuit comparere coram sacerdote. Hisce in adjunctis nihil oratrici restat, nisi ad Sanctitatem Vestram recurrere ad hoc ut suae miserae conditioni per sanationem in radice provideatur, ita ut Ecclesiae sacramentis participare valeat ». S. Poenitentiaria *die* 25 *Aprilis* 1890 reposuit : « S. Poenitentiaria de speciali et expressa Apostolica auctoritate Ordinario Parisiensi facultatem concedit, praevia sive per se sive per aliam idoneam ecclesiasticam personam ab eo specialiter deputandam praedictae mulieri absolutione a praemissis cum congrua poenitentia salutari, praefatum matrimonium sic, uti praefertur, nulliter contractum, dummodo consensus perseveret, Apostolica auctoritate in radice sanandi, prolemque sive susceptam, non tamen in adulterio conceptam, sive suscipiendam exinde legitimam decernendi ac respective nuntiandi. Praesentes autem literae, cum attestatione impertitae executionis, in cancellaria episcopali diligenter custodiantur, ut pro quocumque futuro eventu de matrimonii validitate et prolis legitimitate constare possit, imposita mulieri praedictae obligatione prudenter monendi virum de hujusmodi sanatione obtenta, ad hoc ut ipse sciat se in legitimo matrimonio versari, necnon remoto scandalo, quod occasione similium sanationum oriri potest ».

Proinde S. Poenitentiaria consensum initio praestitum et perseverantem, licet initio nullum impedimento ligaminis, ratum habuit (1).

1138. Idem dicatur si matrimonium nullum fuit ob impedimentum *disparitatis cultus* ; non revalidatur, nisi post baptismum partis infidelis consensus renovetur.

Haec autem renovatio fieri necessario debet in forma

(1) Matrimonium, a muliere N. cum viro H. attentatum, nullum fuerat impedimento ligaminis ; et post hoc attentatum etiam impedimentum criminis enatum est inter ipsos (n. 649). Proinde hac sanatione in radice Ecclesia dispensat ab obligatione renovandi consensum, ratum habens consensum initio praestitum, et insuper dispensat ab impedimento criminis.

Digitized by Google

Tridentina, si decretum *Tametsi* in eo loco urget; secus, consensu privatim renovato seu expresse seu tacite e. g. per carnalem copulam, matrimonium est validum, etsi illicitum.

1139. Si matrimonium nullum fuit ob *errorem conditionis servilis*, non revalidatur, nisi cognito errore, pars libera rursus consentiat. Ad rem Ben. XIV *Inst. Ecc.* 87, *n.* 68 : « De impedimento *conditionis* (*servilis*) non deest juris auctoritas (*cap.* 2, *et* 4, *De conjugio servorum*) quae matrimonium inter liberum et famulam irritum decernit, si ille mulieris conditionem ignoret, neque aliter confirmari posse, nisi novum consensum praestiterit, qui ante matrimonium conditionem conjugis nesciverat. Juris autem interpretes in *cap. Depositum* ad illa verba *inscia*, *Ite eo qui duxit in matrimonium,* affirmant consensum *per errorem* permanere, donec qui matrimonium cum famula iniit, consensum iterum reddat, postquam ipsius conditionem deprehendit ».

Reddat, inquam, in forma Tridentina, si decretum *Tametsi* in loco viget, et impedimentum publicum est, idest publica conditio servilis alterius partis publicusque error partis liberae ; secus pro validitate manifestari potest etiam privatim seu expresse seu tacite, e. g. copula carnali libere habita post detectam veritatem, ut statuitur in *cap.* 2, *et* 4, *De conjugio servorum.*

1140. Tandem fieri potest ut matrimonium nullum fuerit impedimento *impotentiae,* et deinde potentia supervenerit ; ex. g. uxor nimis arcta est pro viro suo, et nonnisi cum mortis periculo dilatari arte chirurgica potest, quam operationem felici exitu subit, et modo apta est viro suo ; aut uxor vel vir impotens, fit potens per miraculum etc. Jam vero in his casibus, remota impotentia, matrimonium non convalescit, nisi vir et mulier denuo per novum consensum contrahant ; qui consensus, si impotentia fuerat occulta ita ut in foro externo non constet, manifestari pro validitate potest etiam secreto seu expresse seu tacite ; secus manifestari debet in facie Ecclesiae sub poena nullitatis, urgente decreto *Tametsi.*

Digitized by Google

Aliud esse, si mulier impotens per maleficium, sanatur per ordinarios Ecclesiae exorcismos ; nam hoc ipso apparet impotentiam fuisse temporaneam, utpote remotam medio licito citra miraculum, ideoque matrimonium ab initio validum fuisse.

1141. Modo supponamus matrimonium fuisse nullum defectu consensus vel in utraque vel in alterutra tantum parte ; quia nempe partes, licet fuerint habiles et in debita forma contraxerint, tamen consenserunt ex metu, simulate, ex errore, sine debita mentis discretione, aut sub conditione. Facile patet matrimonium revalidari non posse, nisi consensus deficiens suppleatur. Instructio autem Austriaca § 93 hac de re tradit : « Matrimonium quod consensus fictus irritum reddit, consensu ab eo qui ficte egerat vere praestito, convalidatum censeatur oportet. Idem obtinet de matrimonio cui error seu vis metusque obstitit : quamprimum pars, quae errori aut violentiae injustae suberat, recognito errore, aut libertate plene recuperata, verbo factove assensum suppleverit. Nihilominus ad omne de consensu praestito dubium excludendum, his quoque in casibus, consultum est, ut conjuges consensum coram parocho et duobus testibus renovent ; igitur hoc ut fiat, agendum erit, nisi observetur prudens scandalorum vel matrimonii in discrimen adducendi metus ».

Proles non solum suscipienda sed etiam suscepta mala quoque fide hoc revalidato matrimonio legitimatur juxta dicta n. 1123.

1142. Haec melius declarantes sequentia animadvertimus :

1° Si defectus consensus est in utraque parte, utraque ex ipso naturae jure supplere consensum debet ad matrimonium revalidandum. Si est in una tantum e. g. mulieris coactae, pro matrimonii revalidatione satis est si mulier tantum consensum suppleat tum de jure naturali, quia consensus viri de se validus et sufficiens adfuit et adest, ideoque accedente mulieris consensu, fiet matrimonium, cum notum sit in contractu matrimonii non requiri simultatem physicam consensuum, sed sufficere moralem, nempe

Digitized by Google

si consensus unius moraliter perseverat, dum ponitur consensus alterius (n. 773) (1); tum etiam de jure ecclesiastico, si praescindamus a decreto *Tametsi*, uti pro casu metus patebit ex juribus infra citandis, quae pro aliis quoque consensus defectibus valent.

1143. 2° Pars quae consensum non habuit, supplere eumdem non potest, nisi cessante causa non-consensus, idest remoto metu, cognito errore, etc.; secus enim, sicut fuit nullus consensus ab initio datus, ita nullus erit denuo repetitus.

1144. 3° Si consensus defectus fuit *mere internus*, quia scilicet pars externe rite consensum expressit, quem tamen interne non habuit, sufficit pro matrimonii revalidatione, si consensum suppleat actu mere interno, dummodo alia pars interim consensum suum non revocaverit. « Quia externum consensum jam praebuerat et solus internus desiderabatur: ergo satis est hunc supplere. Et confirmatur, quia externus exigitur ut alteri constet de voluntate; in hoc autem eventu constat propter priorem externum contractum » Sanchez *II, XXXII, n.* 11. At hic auctor *l. c.* putat non posse consensum suppleri actu mere interno, sed matrimonium esse denuo contrahendum, si defectus interni consensus fuit in utraque parte « quia cum uterque consensus fuerit omnino nullus, perinde est ac si matrimonium penitus non esset contractum ». Alii probabilius contra sentiunt: « Nam postquam unus consensum supplevit aut renovavit, consensus alterius ei perinde accedere potest, quasi is ab initio consensisset » D'Annibale *III*, § 366, *not.* 9 cum aliis.

Si vero defectus consensus fuit *quoque externus*, necesse est, pro matrimonii revalidatione, et internum supplere consensum, et hunc novum consensum externe sufficienter manifestare, quia pars revera nec interne nec externe consenserat. Jam vero si externus defectus consensus est occultus, idest in foro externo probari nequit (n. 251), novus consensus manifestari potest etiam privatim seu expresse seu tacite, e. g. copula carnali aut voluntaria cohabitatione (2), etiamsi

(1) S. Alph. *VI, n.* 1114.
(2) Sanchez *IV, XVIII.*

Digitized by Google

conjuges decreto Tridentino teneantur, dummodo matrimonium contractum fuerit publice coram Ecclesia. Rationem dat cum communi Ben. XIV verbis relatis n. 1133. Quod si primum matrimonium non fuit initum publice coram Ecclesia, licet decretum Tridentinum in loco non urgeret e. g. in Anglia, si modo conjuges eodem decreto tenentur, e. g. quia commorantur in Galliis, consensus pro matrimonii revalidatione manifestari debet coram parocho et testibus, quia ratio exceptionis a lege Tridentina non verificatur. Si vero externus defectus consensus est publicus, idest in foro externo probari potest (cit. n. 251), si conjuges non adstringuntur decreto Tridentino, consensus manifestari poterit etiam privatim expresse vel tacite. Patet ex *cap.* 21, *De sponsalibus....*, ubi agitur de puella quae impubes invita viro nupserat, cum quo deinde per annum et dimidium voluntarie cohabitavit, et Clem. III respondet: « Quod quamvis undecim annos habens ab initio invita fuisset ei tradita et renitens, tamen quia postmodum per annum et dimidium sibi cohabitans consensisse videtur, ad ipsum est cogenda redire ; nec de caetero recipiendi sunt testes, si quos memorata mulier ad probandum quod non consenserit in eumdem, nominaverit producendos, cum mora tanti temporis hujusmodi probationem excludat ». Idem traditur in *cap.* 1, *De eo qui duxit...*; et *cap.* 4, *Qui matrimonium accusare possunt*. Si e contrario conjuges adstringuntur decreto Tridentino, ut revalidetur matrimonium, consensus manifestari debet coram parocho et testibus (1). Ad rem Fagnanus in *cap.* 30, *De sponsalibus... n.* 14: « Dubitavit Episcopus Hieracensis si matrimonium contractum et consummatum fuit per metum, servata in caeteris forma Trid. Conc., et postea conjugum mutuo consensu et spontanea cohabitatione convaluerit, an hodie illud censeatur validum, non aliter servata forma Trid. Conc. B. m. Card. Caraffa haec adnotavit : si impedimentum ex metu praesupposito occultum fuit, non esse opus iterum contrahere repetitis solemnitatibus alias rite adhibitis in primo contractu. Si autem impe-

(1) Ben. XIV *Inst. Ecc.* 87, *n.* 62 *sequ.* ; Sanchez *II*, *XXXVII*, *n.* 11 ac alibi cum communi.

Digitized by Google

dimentum esset manifestum; matrimonium de novo contrahendum esset, servata forma Conc. Trid., juxta responsum Congr. alias datum ad dubium Card. Portugalliae, ac secundum declarationem S. Pii V, de qua testatur Navarrus in *Summa c.* 22, *n.* 79 *v. Advertendum quarto* ». Pariter folium S. C. C. in *Panorm. Nullitatis matrimonii* 30 *Sept.* 1719 tradit : « S. C. saepius respondit hodie post Conc. Trid matrimonium metu contractum, purgato metu per cohabitationem cum carnali copula aliosque actus, non revalidari nisi iterum contrahatur, adhibita rursus ejusdem Concilii forma » (1). Confirmatur ex jurisprudentia ejusdem S. C., quae, probato metu, nullum pronuntiat matrimonium etiam post diuturnam cohabitationem et plures habitos filios, nullatenus sollicita de consensu privatim expresse vel tacite praestito.

Quae autem diximus de metu, etiam de aliis consensus defectibus intellige.

Tandem instructio Austriaca *l. c.* in fine opportune monet per se expedire, ut consensus ab utraque parte ponatur in forma publica coram parocho et testibus, etiam quando defectus occultus, licet externus, privatim suppleri potest.

1145. 4° Si matrimonium irritum fuit ob simulationem, plerumque simulator tenetur sub gravi ad consensum supplendum, ne alia pars manere debeat innupta, quia cum in foro externo difficile probari fictio queat, parti deceptae non permittuntur aliae nuptiae. Diximus *plerumque :* nam non tenetur : 1° si per gravem metum coactus fuit ad matrimonium ; 2° si aliud matrimonium jam inivit ; 3° fraus ex altera quoque parte intercesserit, e. g. si ea se jactavit virginem, quia tunc deceptio deceptione compensatur ; 4° si nullum parti deceptae damnum obvenit, vel si pars decepta, cognita deceptione, aliam compensationem admittat, vel consentiat separationi, vel damnum illatum alio modo compensari, aut simulationem in foro externo probari queat ;

(1) Vide S. C. C. in *Hispalen.*, 20 *Junii* 1609, *lib.* 11 *Decret. fol.* 58 *a terg.* ; et in *Constantinopolitana*, 16 *Dec.* 1634, *lib.* 15 *Decret. fol.* 150 *a ter.*

Digitized by Google

5° si contrahens manifesta dedit indicia ficti consensus; tunc enim alia pars decipi voluit. Huc revocant DD. casum, quo simulator sit status ac conditionis longe altioris; licet non omnes id admittant (1).

Si vero pars, quae simulavit, consensum non praestitit ob aliam causam idest metum, errorem etc., per se consentire nullatenus tenetur.

1146. Tandem supponamus matrimonium fuisse nullum defectu formae substantialis, licet partes habiles fuerint, et verum consensum praestiterint. Paucis dicam : si conjuges Tridentinae legi adhuc obnoxii sunt, matrimonium, ut convalescat, contrahendum est coram parocho et testibus seu publice seu occulte, ut tradit Card. Caprara (n. 1130), qui pariter indicat remedia adhibenda si una pars renuat; quibus remediis exclusis, petenda erit a Sede Apostolica sanatio in radice, vel dispensatio a Tridentina lege. Quod si utraque pars renuat, nihil omnino hic et nunc faciendum est, cum nulla dispensatio ab Ecclesia in tali casu concedatur (2). « Si vero illi qui propter solum defectum formae Tridentinae legitimi conjuges non sunt, nunc versantur in loco ubi lex Tridentina non viget, fiunt veri conjuges, si, sui matrimonii nullitatem cognoscentes, vitam conjugalem libere protrahunt animo conjugali. Eo ipso enim ponunt non verbis sed factis consensum conjugalem in eo loco ubi consensus privatus matrimonium validum efficit. At sine graviore causa id agere sane non licebit; nihilominus melius est id agere quam continuo in concubinatu manere. Verum si nescientes sui matrimonii nullitatem in connubio perseverant, *nihil efficiunt*; idque ne tum quidem quando ita comparati sunt, ut si nullitatem scivissent, eam emendassent; perseverant nimirum in consensu priore invalido, quem emendassent quidem, sed revera non emendaverunt. Hoc ita certum est ut ante paucos annos S. Congr. matrimonium, illis conditionibus affectum, pronuntiaverit *nullum*, data potestate ad alias nuptias transeundi » Lehmkuhl *l. c.*

(1) Ballerini Gury, *II n.* 753.
(2) Gury *n.* 894; Lehmkuhl *II*, *n.* 824.

Digitized by Google

Haec confirmantur etiam ex responsione S. C. S. Officii *diei* 31 *Aug.* 1887, quam n. 982 retulimus.

Hoc matrimonio proles illegitima legitimatur juxta dicta n. 1123.

1147. Ex dictis facile apparet quid faciendum pro revalidatione matrimonii, quod nullum fuit ex pluribus simul capitibus : scilicet quae de singulis diximus, servanda simul sunt. Ita e. g. si matrimonium nullum fuit ob occultum impedimentum publicae honestatis, ob simulationem et defectum formae Tridentinae, conjuges, post impetratam dispensationem, contrahere debent cum vero consensu coram parocho et testibus, si decreto Tridentino adstringuntur juxta dicta n. praec. ; secus etiam privatim valide contrahunt, manifestato consensu et certiorata altera parte, prouti supra exposuimus.

De relatione revalidati matrimonii in matrimoniorum librum vide n. 1050.

§ 2. — *De matrimonii sanatione in radice.*

1148. Revalidatio seu sanatio matrimonii in radice graviores offendit difficultates, unde specialem tractationem meretur. Ut ab illius natura declaranda incipiamus, sanatio in radice proprie dicta, prouti eam DD. intellexisse videntur, definiri potest : *dispensatio legis irritantis, qua matrimonium convalescit, retrotracta per fictionem juris ad matrimonii initium* (1). Formula qua utitur S. Poenitentiaria, est : *Ecclesia dispensando sanat in radice.* Haec melius enucleanda sunt.

1149. In primis quaeritur utrum sanatione in radice, matrimonium validum fiat *ex tunc*, uti ajunt, idest a momento celebrationis, ita ut non solum pro tempore quod sequitur sanationem, sed etiam pro tempore quod praecedit, validum reipsa jam sit ; vel potius validum fiat tantum *ex*

(1) Vide prae caeteris Acta S. Sedis *I, App. VIII, pag.* 182 *sequ.*; Ben. XIV *Quaest. Can.* 174, et *Quaest. can.* 183 *in suo Discursu n.* 25, et *De Syn. XIII, XXI, n.* 7 ; Gury *II, n.* 901 *sequ.*; Lehmkuhl *II, n.* 828 *sequ.*; Feje *n.* 765 *sequ.*; D'Annibale *III*, § 367.

Digitized by Google

nunc, idest a momento sanationis, ita ut pro tempore quod sequitur, validum sit, sed pro tempore quod praecedit, irritum fuerit et remaneat. Haec quaestio est fundamentalis in subiecta materia.

Nonnulli primum sustinent (1), quia matrimonium *sanatur in radice*, idest ab ipsa celebratione. Plerique alterum tenent (2), et merito. Nam ad praeterita non est potentia, et infectum factum fieri non potest. At R. P., hanc dispensationem hodie concedens, fingit ipsam concessam fuisse ante celebratas nuptias, qua fictione matrimonium censetur initum sine lege irritanti, et ita proles suscepta habetur legitima usque ab initio, sicuti quando proles illegitima legitimatur per subsequens matrimonium (n. 1123). Proinde quando matrimonium *sanatur in radice*, quoad validitatem sanatur *ex nunc*, vi prioris consensus dati et perseverantis de quo infra ; quoad legitimationem prolis sanatur *ex tunc*, mediante illa fictione juris. Ad rem Ben. XIV in Const. *Etsi matrimonialis*, 27 *Sept.* 1755 : « Per eam (sanationem in radice) non fit ut matrimonium nulliter contractum non ita fuerit contractum, sed effectus de medio tolluntur, qui ob hujusmodi matrimonii nullitatem ante indultam dispensationem atque etiam in ipso matrimonii contrahendi actu producti fuerunt ».

1150. Haec indoles sanationis matrimonii in radice confirmatur et declaratur ex *Clementina unic.*, *De immunitate ecclesiarum*, quam omnes AA. cujusque opinionis citant. Bonif. VIII nova sanctione prohibuerat, ne laica potestas contributiones aliaque onera imponeret super bonis ecclesiasticis et clericorum, ita ut si aliter fieret, tum qui contributiones exigerent, tum qui darent, excommunicationi ipso facto, et si communitates essent, interdicto subiacerent. Cum itaque ex hac nova sanctione, et subsecutis declarationibus nonnulla scandala, magna pericula et incommoda gravia fuerint secuta, et ampliora sequi praesumeretur verosimili-

(1) Scavini *III*, *n.* 1050; Giovine *I*, 323, 326; De Angelis *IV*, *XVII*, *n.* 3 aliique.

(2) D'Annibale *III*, § 368, *not.* 16; Lehmkuhl *l. c.*; Feje *l. c.*; Schmalz. *IV*, *XVII*, *n.* 123; Sanchez *VIII*, *VII*, *n.* 4; Acta S. Sedis *l. c.*

Digitized by Google

ter in futurum, Clem. V in Concilio Viennensi, in usum revocans ea quae circa immunitatem ecclesiasticam statuta jam erant, constitutionem Bonifacii abrogavit his verbis : « Constitutionem et declarationem, seu declarationes praedictas, et quidquid ex iis secutum est vel ob eas, penitus revocamus et eas haberi volumus pro infectis ». Ex hac Clementina dispositione infert Glossa *v*, *pro infectis*: « Per hoc puto quod excommunicatus ex viribus illius constitutionis (Bonifacii) absolutione non egeat. Et vide quanta est Papalis potestas circa ea quae simpliciter sunt de jure positivo, quia revocat illa *ut ex tunc* ». Proinde sicut Clem. V sua dispositione hoc unum effecit, ut Bonifaciana constitutio deinceps pro tempore futuro non amplius existeret, et simul effectus ab eadem producti pro tempore praeterito tollerentur ; ita R. P. sanans matrimonium in radice facit ut lex irritans non amplius urgeat, et matrimonium pro tempore futuro validum sit vi prioris consensus, ac simul effectus nullitatis, idest illegitimitas prolis, pro tempore praeterito removeantur.

1151. Quamquam vero sanatio matrimonii in radice vi sua producat duos illos effectus, alterum pro tempore futuro, idest validitatem matrimonii, et consequenter ex ipsa rei natura plenissimam legitimitatem prolis postea suscipiendae, alterum pro tempore praeterito, nempe legitimationem prolis antea susceptae usque ab initio matrimonii, mediante illa fictione juris ; tamen dari potest casus quo unus vel alter effectus locum habere non possit ex defectu materiae. Ita si proles non adest, haberetur primus effectus, sed non alter ; et, etiam extante prole, si matrimonium erat putativum, legitimitas prolis de novo non producitur ex sanatione in radice, sed jam aderat ex bona fide unius vel utriusque parentis : tantum igitur dici poterit modo esse ex pluribus causis. E contrario sanatio in radice conceditur etiam uno conjuge defuncto, si proles adsit; e. g. Bonif. VIII conjugium inter Sancium IV Castellae regem jam premortuum, et Mariam in tertio consanguinitatis gradu ei conjunctam sanavit, et S. C. C. in *Pragensi Matrimonii* 18 *Sept.* 1723 censuit : « Praevio recessu a decisis consulendum Ssmo pro dispensatione in radice matrimonii » licet vir supremum

Digitized by Google

diem jam obiisset (1). Imo gravissimi AA. censent sanationem in radice concedi posse, extante prole, etsi uterque conjux defunctus sit; et merito, cum revera idem prorsus sit casus (2). At in his casibus evidenter apparet non haberi nisi alterum effectum, et non primum, quia matrimonium, non amplius existens in rerum natura, revalidari nequit: aliis verbis, in his casibus proprie non est *matrimonii sanatio*, sed est tantum prolis legitimatio concessa per dispensationem legis irritantis *uti ex tunc*. Pariter Feje *n.* 769 narrat s. m. Pium IX *an.* 1848 sanavisse in radice matrimonium quod initum fuerat cum solo impedimento juris ecclesiastici, sed cui deinde supervenerat impotentia perpetua, ita ut haec fuerit subsequens celebrationem matrimonii, sed antecedens sanationem. Neque in hoc casu fuit vera *sanatio matrimonii*, quia tempore sanationis erat insanabile ratione impotentiae, sed fuit legitimatio prolis modo superius exposito.

1152. Praeterea quoad primum effectum sanationis in radice, nempe legitimationem prolis antea susceptae, omnes admittunt hanc legitimationem sortiri omnes effectus ecclesiasticos, et omnes effectus temporales in dominio temporali S. Sedis aliisque in locis ubi id a civili auctoritate receptum est. Quaestio est an sortiatur effectus temporales jure proprio et originario ubique terrarum; controversia gravissimi momenti, cum ex ea definiri debeat, attenta rei veritate, e. g. num filius, ope hujus dispensationis in radice adeptus legitimationem, in majoratus ac fideicommissi successione praeferendus sit aut alteri fratri minori, sed post sanationem legitime nato, aut alteri consanguineo.

Jam vero plerique affirmant (3), quam sententiam Sanchez *l. c.* appellat receptissimam et veriorem. Nonnulli hanc rationem afferunt, quia matrimonium fit validum *ex tunc*; ex matrimonio autem valido plena legitimitas prolis

(1) Giovine *I*, § 324; Scavini *l. c.*; Sanchez *VIII, VII, n.* 6; Ben. XIV cit. *Quaest. Can.* 174; Schmalz. *IV, XVII, n.* 120 cum communi.

(2) Schmalz. *l. c. n.* 121; Giovine *l. c.*

(3) Sanchez *VIII, VII, n.* 3; Ben. XIV in *cit. Quaest. Can.* 174; Giovine *I*, § 326; Schmalz. *IV, XVII, n.* 120; De Angelis *IV, XVII, n.* 3.

Digitized by Google

ipso jure naturae sequitur. Hinc in casu R. P. directe sanat matrimonium *ex tunc*, et indirecte ac consequenter plenam legitimitatem, etiam quoad temporales effectus, proli confert. Schmalz. *l. c.* rem ita explicat: « Quod proles taliter illegitima sit, tantum oritur ex lege ecclesiastica, qua conjugia cum hujusmodi impedimento contracta irritantur: atqui Pontifex utpote superior omni lege ecclesiastica, uti legem ipsam, ita etiam effectus legis tollere et abrogare potest, perinde ac si numquam fuisset: ergo etiam poterit tollere vel dispensare in lege qua illegitimitas in tali matrimonio est inducta, et hac sua dispensatione facere, ut quoad ordines, beneficia, successionem etc. respectu certarum personarum ita se habeat, ac si numquam eosdem affecisset; hoc autem si fiat, proles ex tali matrimonio procreata habenda erit pro legitima, utpote sublata ea inhabilitate, quam lex induxit ».

Dicemus plane quod sentimus, salva meliori sententia, ac salva reverentia erga jura Sedis Apostolicae. Si sanatione in radice matrimonium valeret *ex tunc*, revera sequeretur prolis legitimitas quoad effectus quoque temporales a R. P. concessa indirecte et consequenter, ut supra. At n. 1149 probavimus matrimonium valere *ex nunc*. Proinde legitimitas pro tempore praecedenti, nisi verbis ludere velimus, repetenda est ex directa Ecclesiae concessione, quae illam elargitur mediante fictione juris, de qua supra. Jam vero quando matrimonium nullum fuit ob impedimentum juris ecclesiastici, R. P., jure proprio et originario, concederene potest directe proli jam susceptae legitimitatem etiam quoad effectus civiles? A solutione hujus quaestionis pendet solutio quaestionis praecedentis. DD. autem huic quaestioni communiter respondent negative, idest R. P., extra suum temporale dominium, non posse hanc legitimitatem, quoad civiles effectus, directe elargiri, nisi bonum religionis in casu particulari aliud exigat; nam effectus civiles legitimitatis sunt in casu materia pure civilis, non ecclesiastica (1). Caeterum recentiores legislationes sanationi in radice ab Ecclesia concessae effectus civiles non recognoscunt.

(1) Schmalz. *IV, XVIII, n.* 110 *sequ.* pluribus citatis; Santi *IV, XVII*, n. 12.

Digitized by Google

1153. Diximus in sanatione in radice matrimonium *ex nunc* valere *vi prioris consensus*. Nam Sanchez quidem *VIII, VIII, n.* 25 cum aliis affirmat etiam in sanatione in radice renovationem consensus esse necessariam, cohaerenter ad sua principia, quod ipsum naturae jus exigat consensus renovationem ad nuptias revalidandas (n. 1130). Sed certa est contraria sententia communis (1). Nam Ecclesia in simplici revalidatione exigere solet novum consensum ab utraque parte, nisi aliud constet; dum in sanatione in radice necessarius non est novus consensus, nisi aliud praescribatur, ita ut matrimonium valeat virtute prioris consensus dati et perseverantis (cit. n. 1130), cum dispensatio in sanatione in radice per fictionem juris praecedere censeatur matrimonium. Quando plura matrimonia sanantur in globo, consensus renovatio a neutra parte exigitur; in casibus vero particularibus saepius a neutra exigitur, interdum ab una tantum, praesertim si malae fidei fuit tempore celebrationis matrimonii, et parata sit consensum renovare, interdum ab utraque sive privatim sive etiam coram parocho et testibus ad removendum scandalum (n. 1157). Quando renovatio consensus neutri parti praescripta est, matrimonium sanatur in radice, quoad omnes suos effectus, ipso momento fulminatae sanationis (2); quando praescripta est, ipso momento renovati consensus.

1154. Ex data notione sanationis matrimonii in radice sequitur hanc sanationem proprie dictam ne intelligi quidem posse in sequentibus casibus:

1° Quando matrimonium ab initio nullum fuit ob impedimentum ligaminis, quod deinde mortuo conjuge cessavit; e. g. si Sempronia conjugata, a suo viro per divortium civile separata, matrimonium civile init cum Titio, et deinde, mortuo suo marito, petit hoc matrimonium civile sanari in radice. Nam Ecclesia potest utique consensum a Sempronia et Titio civiliter expressum habere validum, dispensans a

(1) Ben. XIV *cit. Quaest. Can.* 174 et alibi; D'Annibale *l. c.*; Lehmkuhl *l. c.*; Feje *n.* 766; Giovine *I.* § 329.

(2) Hinc si data fuit a R. P. in forma gratiosa absque exequutore, ipso momento concessionis.

Digitized by Google

forma Tridentina ; sed haec dispensatio Ecclesiae retrotrahi per fictionem juris non potest ad initium matrimonii, quia tunc aderat impedimentum ligaminis ab Ecclesia indispensabile. Neque obstat responsio S. Poenitentiariae relata n. 1137 ; nam ea fuit sanatio matrimonii in radice improprie dicta et incompleta, non pertingens usque ad initium matrimonii, sed tantum usque ad mortem mariti ; quod vel ex eo patet evidenter, quod filii adulterini legitimati non sunt. E contrario sanatio in radice possibilis est, si initio matrimonii erat impedimentum ab Ecclesia dispensabile, e. g. si Sempronia fidelis, inito absque dispensatione matrimonio cum Titio infideli, petat, post Titii baptismum, sanationem matrimonii in radice.

1155. 2° Si matrimonium ab initio nullum fuit ob defectum consensus, licet deinde defectus consensus purgatus sit ; e. g. si Sempronia, nubens Titio, simulavit publice consensum, deinde consentit revera, et modo petit sanationem in radice absque renovatione consensus in forma Tridentina. Ratio, ob quam sanatio in radice proprie dicta est impossibilis, eadem est quam n. praec. exposuimus. Confirmatur ex responsione S. C. C. in cit. *Pragensi Matrimonii* 13 *Julii* 1720 et 16 *Jan.* 1723. Nam Guillelmus N. supplicavit Clem. XI pro sanatione in radice matrimonii initi cum Ludmilla cum qua quadraginta annis ante, ut asserebat, matrimonium contraxerat bona fide coram sacerdote qui non erat proprius parochus, nec debita delegatione munitus erat. Cum vero literae Archiepiscopi indicarent eorum unionem fuisse potius mere concubinariam, S. C. *die* 13 *Julii* 1720 jussit : *Probationes coadjuventur juxta instructionem*, et deinde, has probationes satis coadjuvatas non habens, proposito dubio *die* 16 *Jan.* 1723 : « An sit SSmo consilium praestandum pro concessione dispensationis in radice matrimonii in casu » respondit *negative* ; sed tandem, coadjuvatis probationibus, censuit 18 *Sept.* 1723 hoc consilium praestandum esse, etsi interim Guillelmus defunctus esset (n. 1151).

1156. 3° Si matrimonium ab initio initum fuit vero utriusque partis consensu, etsi fuerit nullum, sed deinde

Digitized by Google

momento sanationis una pars consensum suum revocavit; e. g. si Sempronia, vero consensu, absque dispensatione, nupsit Titio consanguineo, deinde consensum suum revocavit, dum Titius petit sanationem in radice. Nonnulli putant sanationem in radice in casu concedi posse (1), innixi tum nonnullis exemplis, de quibus infra, tum rationi, quia revalidatur matrimonium ab initio, quo consensus aderat. Sed immerito prorsus; nam matrimonium sanatione in radice fit validum *ex nunc*; in casu autem, cum in momento sanationis consensus deficiat, validum fieri nequit. Ad rem Card. Caprara in cit. instructione: « Ordinarius uti poterit facultate Apostolica auctoritate inferius demandata, dispensandi scilicet in radice matrimonii, seu matrimonium in radice sanandi, postquam tamen per indubias duorum saltem testium depositiones, aut per renuentis testimonium in scriptis exaratum, aut per ejusdem assertionem etiam oretenus factam ipsi Ordinario sive alteri ecclesiasticae personae ab eo specialiter deputatae et in scriptis redigendam, constiterit non solum renuentem in consensu de praesenti permanere, sed etiam hujusmodi renuentiam ab extrinseca causa ita manare ut nihil umquam ex ea deduci aut praesumi possit contra ipsius actualis consensus permanentiam ». Quod si ab initio consensus adfuit, deinde revocatus est, sed postea rursus positus momento sanationis adest, sanatio in radice possibilis est.

Si autem quaeras quandonam consensus matrimonialis revocatus dici debeat, respondemus consensum matrimonialem perdurare, donec non revocetur, idque sufficere pro concedenda sanatione in radice, nisi positiva consensus existentis argumenta in rescripto exigantur (2), ut in cit. instructione Card. Caprara. Cum vero revocare consensum matrimonialem sit elicere voluntatis actum illi contrarium, idest voluntate dicere explicite vel implicite: *Restituo jus acceptatum in corpus tuum, et revoco jus datum in corpus meum*, hinc sanatio in radice concedi poterit, donec non constet de hac voluntatis retractatione.

(1) Perrone *II*, *n.* 173; Scavini *III*, *n.* 1050.
(2) Feje *n.* 771.

Digitized by Google

In genere persuasio validitatis matrimonii impedit quominus seria et efficax hujusmodi voluntas foveatur, quippe quae concipitur impossibilis. Proinde sanatio in radice concedi potest et conceditur in casu quo unus conjux noscit impedimentum et alter illud ignorat; etsi ignorans impedimentum, si illud novisset, certe plenum faceret divortium, quia illud *faceret* indicat voluntatem mere interpretativam (1); aut etsi ignorans impedimentum divortium semiplenum quaerat, quia hoc non respicit nisi exercitium juris conjugalis (2).

Etiam cum scientia impedimenti consensus matrimonialis potest perdurare: hinc sanatio in radice concedi potest et conceditur, si partes, cognita nullitate matrimonii, consentiunt permanere in matrimonio, sed una pars vel utraque induci nequit ad illum reiterandum coram parocho et testibus, de quo casu agit Card. Caprara relatis verbis.

Imo alterutra vel etiam utraque pars, petens declarationem nullitatis, praesumitur fovere voluntatem discedendi conditionalem: *Si sententia erit mihi favorabilis*; proinde ante sententiam sanatio in radice applicari poterit. Item post sententiam contrariam petitioni, si forte matrimonium nullum est ob aliud impedimentum non indicatum; non vero post sententiam favorabilem, quia voluntas discedendi jam evasit absoluta. Huc spectant quae leguntur in *Actis S. Sedis l. c.* In *Comensi seu Mediolanensi Nullitatis matrimonii* proposita S. C. C. *die* 5 *Dec.* 1863: « viri defensor, qui acriter matrimonii illius validitatem propugnabat, supplex etiam a S. C. petiit, ut alterum apponeretur dubium illi de quo jam partes litigantes convenerant, cum in finem, ut si decisio sibi infausta obtigisset, obtinere posset, ex gratia, sanationem matrimonii in radice. Quare ex hoc supplici libello ita dubia exponi S. C. debuissent: An constet de matrimonii nullitate in casu? Et quatenus affirmative: An consulendum sit Ssmo pro sanatione matrimonii in radice? » Quamquam vero viri defensor hanc suam prorsus insolitam petitionem variis ra-

(1) Acta S. Sedis *l. c.*; Lehmkuhl *l. c. n.* 831; Giovine *I*, § 328, *n.* 4; Feje *n.* 771.
(2) Acta S. Sedis *l. c.*; Giovine *l. c.*

Digitized by Google

tionibus roborare conatus esset, tamen S. C. respondendum censuit: « Quoad memoriale, lectum »; idest lectum quidem fuisse, sed nulla responsione dignum fuisse repertum.

Quod si pars, petens declarationem nullitatis habebat discedendi voluntatem: *Si quomodocumque matrimonium invalidum est*, etsi sententia fuerit contra nullitatem, sed aliud extet impedimentum dirimens non indicatum, sanatio in radice forte concessa foret inefficax (1).

Post haec facile explicantur exempla in contrarium adducta.

Nam Scavini citat sanationem in radice, de qua Ben. XIV in cit. Const. *Etsi matrimonialis*. Violantes S. C. C. adiit ut nullum declararet suum matrimonium cum Aloysio initum ex capite clandestinitatis et defectus consensus, sed ejus instantia infelicem habuit exitum. Interea cum Aloysius detexisset obstare validitati matrimonii impedimentum consanguinitatis, timens ne scandala orirentur si illius notitia ad Violantem perveniret, obtinuit a S. Sede sanationem in radice sub conditione quod Violantes tempore concessionis ignoraret impedimentum. Quamvis vero ea sanatio inefficax manserit ob non verificatam conditionem, tamen certum est, ait Scavini, eam concessam fuisse in ea facti specie in qua Violantes, quantum in se erat, consensum suum revocaverat. Sed ex dictis apparet ex petitione declarationis nullitatis non constare revocationem consensus ex parte Violantes.

Perrone insistit etiam facto Pii VI quod Bolgeni in suis manuscriptis, quae in bibliotheca Collegii Romani extabant, enarrat. Quaedam mulier, ab Episcopo Pistoriensi et Pratensi admonita de nullitate sui conjugii, renuit consensum renovare. Institit Episcopus meliori, qua potuit, ratione, ut eam induceret ad consensum renovandum, comminatus quoque poenas ecclesiasticas, sed frustra. Cum vero Episcopus confugisset pro remedio ad Pium VI, enarrat Bolgeni se dedisse consilium R. P. pro sanatione in radice, quam refert concessam fuisse, licet clare pateret consensum mulieris non perseverare. Ast respondet Avanzini *Acta*

(1) Lehmkuhl *II*, *n*. 832.

Digitized by Google

S. Sedis l. c. : « Hujusmodi casus, caeteris omissis, non est pluries faciendus quam ipsius Bolgeni auctoritas. Non enim dignoscuntur omnia individua adjuncta hujus facti. Una enim vel altera circumstantia, quae praetermittitur, interdum efficit ut casus novam induat speciem, quam ex sese non habet. Et in re praesenti neque is auctor est Bolgenius qui, tum circa factum enarratum, quod publici juris ipse non fecit, sed in suis manuscriptis absconditum mansit, tum etiam circa doctrinam, plenam fidem in omnibus mereatur ». Giovine *l. c.* addit : « Ex ipsis Bolgeni verbis colligitur nullam adfuisse in muliere veram retractationem connubialis consensus, quia non dicit illam noluisse permanere in matrimonio, sed tantum quod noluerit reiterare consensum, forsan quia tenax erat in sua opinione de matrimonii validitate, aut quia timuit detegere alteri conjugi illius nullitatem, ut reiterare potuissent mutuum consensum. Nec praesumi potest illam, jam duorum filiorum matrem, cum gravissimo istorum damno, intendisse recedere a matrimonio. Et quod reapse in eo permanserit, satis eruitur ex facto Episcopi, qui sanationem in radice a Pontifice impetravit ».

1157. Ex dictis apparet differentia inter sanationem matrimonii in radice et simplicem revalidationem. Nam sanatio in radice est dispensatio quae respicit tum futurum *ex nunc*, tum praeteritum, cum sit per fictionem juris retrotracta ad initium matrimonii : simplex revalidatio a S. Sede concessa est dispensatio quae respicit futurum *ex nunc* eodem modo, sed per se non respicit praeteritum.

Exinde sequitur duplex discrimen practicum : 1° Sanatio in radice secumfert *per se* prolis antea susceptae legitimationem plenam quoad effectus ecclesiasticos et, juxta plerosque, etiam quoad effectus temporales ; e contrario simplex revalidatio per se non secumfert hanc legitimationem, licet haec rescripto addi soleat pro effectibus ecclesiasticis (n. 1129) tamquam quid distinctum, aut etiam haberi possit per matrimonium subsequens ; 2° In sanatione in radice non est necessaria consensus renovatio, nisi aliud statuatur ; e contrario in simplici revalidatione consensus renovatio ab utraque parte est necessaria, nisi aliud constet.

Digitized by Google

In *Florentina* seu *Lucana*, 25 *Sept.* 1726, agebatur de hac facti specie. Raphael N. matrimonium bona fide contraxit cum Catharina N., irritum ob affinitatem ex copula illicita antecedenter habita inter ipsam Catharinam et consanguineum viri in secundo gradu. Matrimonii nullitatem edocti, dispensationem impetraverunt a Paulo V, qui, dispensans cum declaratione legitimitatis prolis tam susceptae quam suscipiendae, jussit reiterari consensum coram parocho et testibus, prout factum fuit. Cum autem ex his conjugibus duo filii progeniti fuerint, quorum primus conceptus fuerat ante executionem dispensationis, post elapsum integrum saeculum, ad exturbandos haeredes illius primogeniti ab haereditate, quaestio mota est utrum Paulus V dispensaverit in radice necne. In folio S. C. C., ad probandum fuisse sanationem in radice, haec leguntur: « Si Raphael et Catharina nullitatem matrimonii ab ipsis contracti in civitate Lucana S. P. exposuerunt; si addiderunt se non posse in dicto matrimonio remanere absque Sedis Apostolicae dispensatione, et gravia scandala esse oritura casu quo divortium fieret inter ipsos; item si S. P., eorum petitionibus annuendo, absolvit a poenis, et insimul, post contractum inter ipsos de novo publice matrimonium, servata forma Concilii, benigne indulsit ut in eo postmodum remanere libere et licite possent; si demum prolem susceptam et suscipiendam exinde legitimam decretavit, contextus hic patefacit dispensationem concessam fuisse dispensationem in radice matrimonii, uti ponderatis praedictis circumstantis, et signanter legitimationis prolis tam susceptae quam exinde suscipiendae, ad rem firmant Corradus... De Justis... Rota.., non obstante novo consensu iterando coram parocho et testibus et servata forma Concilii, cum ex hoc non possit inferri quod Papa noluerit concedere dispensationem in radice matrimonii. Dicendum siquidem est quod primum matrimonium contractum convalidavit, sed cum conditione novae solemnizationis, servata forma Concilii pro evitando scandalo, quod posset oriri inter ignorantes primum matrimonium de facto contractum fuisse, et videntes publicam

Digitized by Google

supplicantium cohabitationem... ». S. C. C. reposuit *dilata*, nec deinde umquam causa rediit.

Caeterum AA. exponunt quomodonam dignoscatur an rescriptum contineat simplicem revalidationem vel sanationem in radice (1). Nobis liceat animadvertere, quando sanatio in radice conceditur, expresse dici in rescripto; proinde si nil dicitur, jure praesumendum esse videtur pro simplici revalidatione, eo vel magis quod « in obscuris minimum est sequendum » *reg.* 30 *juris in* 6°.

1158. Explicata hoc modo natura sanationis in radice, dubitari nequit de potestate R. P. eamdem concedendi, sive quia de facto concedit, sive quia potest dispensare ab impedimento, et simul auferre praeteritos effectus nullitatis (legitimare prolem), mediante illa fictione, perinde quasi ab initio validum matrimonium fuisset: atqui his tota sanatio in radice continetur. « Ita ut assertio additionatoris ad Navarrum *cit. conf.* 2, *lib.* 5, ubi refert S. P. Greg. XIII consimilem dispensationem concedere noluisse, et etiam addidisse se non posse dictam concedere dispensationem, vel intelligenda sit et explicanda, ut Pontifex dicere voluerit se dictas dispensationes concedere non posse, nisi magna urgente causa..., vel de manifesta redarguatur falsitate, cum constet Greg. XIII dispensationes concessisse in radice matrimonii..... » Ben. XIV *cit. Quaest. Can.* 174.

Episcopi sine speciali indulto eam elargiri nequeunt « cum solius R. P., ait ad rem Ben. XIV in cit. Const. *Etsi matrimonialis*, sit non solum dispensationes in radice matrimonii indulgere, sed etiam conditiones constituere pro validitate gratiae adimplendas ».

Quamquam *sanatio in radice* dicatur tantum in re matrimoniali, tamen similes dispensationes dantur etiam in aliis materiis: de qua re vide Sanchez *VIII, VII, n.* 12.

1159. Antiquitus sanationes in radice matrimonii vix concedebantur: historia tamen refert Bonif. VIII eam concessisse an. 1301 (n. 1151). Hodie earum usus frequentior est. Plerumque dari solet pro foro interno, quando impe-

(1) Giovine *I*, § 331.

Digitized by Google

dimentum est occultum, sed obtinetur etiam pro foro externo. Non solum pro foro interno, sed etiam pro externo peti solet a S. Poenitentiaria, etiam pro divitibus, vel a S. C. S. Officii. Facilius datur quando matrimonium initum fuit bona fide, saltem ex una parte, et speciem veri matrimonii retinet. « At hodie propter nequitiam temporum sanantur etiam matrimonia mala fide inita, et nonnumquam (verum non penes nos) matrimonia civilia, quale vocant » D'Annibale *III*, § 368, *not.* 16 (1), dummodo contrahentes habuerint verum consensum.

Rite animadvertit Giovine *I*, § 332, *n.* 3 : « Quod si impedimentum de facili publicum reddi, aut saltem conjugi ignaro lapsu temporis enunciari possit, non satis consulitur ejusmodi conjugum et prolis necessitati, petendo dispensationem in radice pro foro conscientiae tantum, quae in foro fori suffragari nequit. Quare in tali eventu necessum est, ut impetretur sanatio in radice valitura quoque pro foro externo : et tunc opus est ut confessarius suum poenitentem, impedimenti conscium, moneat ut rem secreto patefaciat proprio Antistiti, qui ita se gerere potest, ut res adhuc ignota maneat. Neque tamen timeri potest ne evulgaretur impedimentum, dum impetratur sanatio in radice pro foro quoque externo valitura. Etenim in hujusmodi eventu Ordinarius non per consuetas testimoniales gratiam a Pontifice impetrabit, sed per specialem commendatitiam clausam, suoque sigillo obsignatam, atque per organum Majoris Poenitentiarii petet. Quin imo, quoties agitur de pluribus conjugiis dicto modo sanandis, potest casus exponi, relictis putatorum conjugum nominibus, impetrando facultatem concedendi sanationem in radice valituram quoque pro foro externo. Etenim in tali eventu insequenti modo S. Sedes rescribere Ordinario consuevit : *S. Poenitentiaria.... facultates necessarias et opportunas concedit ad hoc ut matrimonia, de quibus, et prout in precibus, contracta, super respectivis impedimentis, quibus singuli conjuges detinentur, dispensando, Apostolica auctoritate in*

(1) In Galliis sanationes in radice matrimoniorum civilium non raro conceduntur.

Digitized by Google

radice sanare, et proles sive susceptas, sive suscipiendas exinde legitimas declarare valeat, descriptis in calce praesentium propriis conjugum nominibus et cognominibus, ac praesenti gratia pro quolibet futuro eventu in episcopali cancellaria caute asservando ». Similis clausula additur etiam rescripto personis determinatis et notis dato pro foro externo (n. 1137).

1160. Pro concedenda sanatione in radice necessaria est gravis et urgens causa; secus, scienter concessa a R. P., valida est, sed illicita, concessa a delegato est quoque invalida. Gravis et urgens causa est, si una pars noscit impedimentum, et absque periculo nullitas alteri manifestari nequit ad novum praestandum consensum : in hoc enim casu datur vel revalidatio simplex, remissa conditione de comparte certioranda (n. 1132), vel sanatio in radice, imposita fortasse renovatione consensus parti scienti. Item si utrique parti notum est impedimentum, et una adduci nequit ut aliquo modo consensum renovet in forma Tridentina. Tandem si utraque pars nescit impedimentum et nullitatem, et moneri nequit, vel quia metuendum est ne, eo cognito, divertant, vel quia nullitas provenit ex culpa Ordinarii, parochi, confessarii. In hoc casu S. Sedes, juxta circumstantias, aliquando rescribit pro sanatione in radice in forma gratiosa sine ullo executore, aliquando conjuges relinquit in bona fide, aliquando dat Ordinario indultum sanandi matrimonia in singulis casibus pro quibus ad ipsum recursus habitus fuerit.

1161. Instantia pro sanatione in radice inscribi semper debet R. P., qui eam elargitur per organum S. C. S. Officii, vel S. Poenitentiariae (1). In ea exprimi debet an consensus ab initio adfuerit, et perseveret in utraque parte, an partes fuerint in bona fide, quaenam sint causae pro sanatione, praeter alia quae pro ipsa impedimenti dispensatione indicanda sunt.

Executor vel commissarius sedulo servet clausulas in rescripto appositas.

Pro fulminatione sanationis non est determinata formula,

(1) Giovine *II*, § 25, *n*. 2; Corr. *II*, *I*, *n*. 30.

Digitized by Google

dummodo formulae consuetae addatur *in radice*; e. g.: *Ego auctoritate Apostolica mihi concessa matrimonium a te contractum cum N. in radice ejus sano, prolemque susceptam et suscipiendam legitimam declaro. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.* Etiamsi delegatus omiserit declarationem de prolis legitimitate, tamen proles antea suscepta legitima est, quia illud *in radice* legitimationem necessario secumfert. In genere sanationis pro foro externo memoria in forma authentica servari debet in curia vel in actis parochiae.

Articulus II.

De causis matrimonialibus.

1162. Causae matrimoniales, si vim nominis attendamus, sunt illae quae matrimonium spectant. At « tria sunt causarum matrimonialium genera. Aliquae versantur circa initi conjugalis foederis firmitatem..... Aliae sunt causae excitatae aut super validitate sponsalium, aut super jure instituendi divortium quoad torum et cohabitationem... Aliae demum sunt causae, quae connexionem quidem habent cum matrimonio, sed res mere politicas et temporales directe atque immediate respiciunt, uti sunt lites quae frequenter moventur super dote, donatione propter nuptias, haereditaria successione, alimentis et similibus... ». Ben. XIV *De Syn. IX, IX, n.* 3 *et* 4. Jam vero causae matrimoniales in stricto sensu dicuntur tantum causae primi et alterius generis, quae circa matrimonium versantur, praeter temporales ejusdem effectus seu jura, uti sunt causae « de matrimonii et sponsalium natura, qualitatibus, contractu et benedictionibus nuptialibus; de conjugum et sponsorum juribus et obligationibus ortis ex contractu sponsalitio vel matrimoniali; de sponsalium et matrimonii valore et de legitimitate prolium ex isto orta; de ipsorum impedimentis, dispensationibus in hujusmodi impedimentis; ipsius matrimonii vel sponsalium ob ista (impedimenta) dissolutione aut redintegratione, etc. » Schmalz. *IV, XVIII, n.* 6.

Digitized by Google

Nos sub hoc articulo agemus non solum de causis matrimonialibus quae spectant matrimonii ipsius valorem, sed de omnibus causis matrimonialibus, supponentes tamen ea quae canonistae in *lib. II Decretalium* tradunt de judiciis in genere.

Hac autem in re prae oculis semper haberi debent sequentia documenta: 1° Const. Ben. XIV *Dei miseratione*, *tertio nonas Nov.* 1741, in qua praescribitur forma et ordo in judiciis causarum matrimonialium super matrimoniorum validitate vel nullitate declaranda servandus; 2° Instructio S. C. C., 22 *Aug.* 1840, *pro confectione processus in causis matrimonialibus;* 3° Instructio sine data S. C. S. Officii *sequenda in conficiendo processu super viri impotentia, et non secuta matrimonii consummatione, accedente Summi Pontificis dispensatione ab accurata observantia praescriptionum bullae Ben. XIV*, DEI MISERATIONE, *servata tamen in substantialibus*; 4° Tandem instructio S. C. S. Officii *feria IV, die* 20 *Junii* 1883, *ad Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos rituum orientalium in causis matrimonialibus adhibenda.* Quamquam enim haec ultima instructio pro rituum orientalium Ordinariis condita sit, ea tamen omnibus aliarum regionum Ordinariis perutilis erit, cum regulae in eadem traditae ad tramitem juris communis concinnatae sint. Hanc eamdem instructionem ad verbum transcriptam S. C. de Prop. Fide dedit eodem anno ad Foederatorum Statuum Americae Ordinarios, additis in principio *paragraphis* 95 *et* 96 instructionis Austriacae, immutata *paragrapho* 24, et suppressis *paragraphis* 34 *et* 46 *sequ.* (1). Haec omnia documenta habes in Alleg. IX sub numeris I, II, III, IV. Sed praeterea hac in re prae manibus semper habere debemus cit. instructionem Austriacam in titulo secundo, qui est praecise *de processu matrimoniali.*

De matrimonio civili et relativo civili divortio in praesentiarum nihil.

(1) Hanc instructionem S. C. de Prop. Fide vide apud *Acta S. Sedis XVIII, pag.* 369 *sequ.*, et apud Concilium Plenarium Baltimorense III in fine inter Appendices.

Digitized by Google

§ 1. — *De foro competenti in causis matrimonialibus.*

1163. Causas matrimoniales *inter fideles* pertinere *per se* ad judicem ecclesiasticum est de fide, et definivit Conc. Trid. *sess. XXIV, can. XII*: « Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad judicem ecclesiasticum ; A. S. ».

Jansenistae et Regalistae, quibus adhaesit pseudo-synodus Pistoriensis *an.* 1786 putaverunt hanc potestatem vel judicibus ecclesiasticis demandatam fuisse a Christianis principibus, vel etiam Christianis principibus competere. Eos refellit Pius VI in epistola ad Episcopum Motulensem, 17 *Sept.* 1788, qua docet causas matrimoniales spectare originario et exclusivo jure ad judicem ecclesiasticum ; quod rursus tradidit Pius IX in literis *Ad Apostolicae*, 2 *Aug.* 1851, et in allocutione consistoriali, 27 *Sept.* 1852, unde desumpta est *prop.* 74 reprobata in Syllabo : « Causae matrimoniales et sponsalia, suapte natura, ad forum civile pertinent ». Proinde jus Ecclesiae in causas matrimoniales inter fideles esse originarium et exclusivum non est quidem de fide, quia formalis definitio lata non est, sed est fidei proximum..

Sane cum matrimonium inter fideles sit verum et proprie dictum sacramentum, sequitur causas matrimoniales esse causas circa sacramentum, aut circa obligationem ad sacramentum : atqui causas hujusmodi per se ad Ecclesiam pertinere originario et exclusivo jure palam est. Imo haec conclusio vera fuisset etiam in hypothesi non-elevationis matrimonii ad sacramenti dignitatem ; quia matrimonium est natura sua, vi sua, sponte sua res sacra (n. 210), quae proinde in Ecclesia uni Ecclesiae subjacet etiam in potestate judiciaria.

Hinc licet causa matrimonialis incidentaliter occurrat in causa civili, e. g. si in causa successionis haereditariae quaestio moveatur de valore matrimonii, judex laicus debet quaestionem incidentalem remittere ad judicem ecclesiasticum, ejusque sententiam expectare, ut in sua causa civili procedat.

Digitized by Google

Excipe si agatur *de mero facto*, e. g. utrum revera nuptiae initae sint an potius purus putusque intercesserit concubinatus, utrum matrimonio duo testes adstiterint necne etc.; DD. enim admittunt de nudo facto circa causas spirituales etiam judicem laicum videre posse (1), dummodo quaestio facti non resolvatur in quaestionem juris.

Quod si principaliter agatur de dote, successione haereditaria etc. causa pertinet ad judicem laicum, quia non est causa spiritualis, sed mere temporalis, licet exorta occasione matrimonii. At si hujusmodi quaestio incidit in causa spirituali, eam judex ecclesiasticus definire potest ex *cap.* 1, *Qui filii sunt legitimi*, et *cap.* 3, *et* 7, *De donationibus inter virum et uxorem* (2); quod tamen non ubique servari refert, et non reprobat Ben. XIV *l. c.*

Tandem delicta circa matrimonium, e. g. adulterium, abortus etc. sunt mixti fori, cum utramque societatem civilem et ecclesiasticam aeque offendant. At juri magis consonum est ut a judice laico puniantur ex *cap.* 5, *De procurat. in* 6°, quod nostris diebus servatur; si autem agatur vel de divortio semipleno ob adulterium, vel de impedimento criminis ex adulterio et conjugicidio, judex ecclesiasticus de his criminibus videt.

1164. Diximus 1° causas matrimoniales *inter fideles* pertinere jure originario et exclusivo ad judices ecclesiasticos. Nam si utraque pars est infidelis, judex competens certe non est judex ecclesiasticus, sed judex laicalis. At ex una parte interpretatio juris divini seu naturalis seu positivi data ab Ecclesia afficit etiam infideles, et ex alia interpretatio judicis laici, et sententia eidem innixa nullius roboris est, e. g. si judex laicus, nulla extante lege civili, nullum declarat conjugium inter Titium fratrem et Semproniam sororem ; nam una Ecclesia est interpres authenticus juris divini.

Si una pars est infidelis et alia fidelis, prima fronte vide-

(1) Schmalz. *II, II, n.* 122; Santi *IV, XVIII, n.* 15; Cavagnis *Inst. Jur. Pub. Ecc. III, n.* 460.

(2) Ben. XI, *l. c. n.* 5; Cavagnis *l. c. n.* 459.

Digitized by Google

retur applicandum principium : *Actor sequitur forum rei*, ita ut, si reus est infidelis, sit competens judex laicalis, si reus est fidelis, sit competens judex ecclesiasticus. At illud principium inservit tantummodo ad determinandum quinam judex laicus sit competens in causa civili, vel judex ecclesiasticus in causa ecclesiastica, dum hic quaeritur utrum sit competens judex ecclesiasticus an laicalis. Aliis verbis, illud principium est juris privati, dum haec quaestio est juris publici. Putamus competentem esse judicem ecclesiasticum, quicumque tandem sit actor vel reus. Nam matrimonium in casu, etsi neges esse verum ac proprie dictum sacramentum, erit tamen vi sua, sponte sua, natura sua res sacra (n. 210) ; quae ratione partis fidelis ad Ecclesiam spectat.

1165. Diximus 2° has causas *per se* pertinere originario et exclusivo jure ad judicem ecclesiasticum, et judicem laicum esse incompetentem, nam certum est Ecclesiam; idest R. P., posse tolerare ut judex laicus causas matrimoniales videat. Ita nostris temporibus causae de divortio semipleno (*séparation de corps*) pertractari solent penes tribunalia laicalia, et S. Sedes pro nonnullis nationibus expresse declaravit id, servatis servandis, tolerari posse, suppleta scilicet jurisdictione.

Revera Episcopus Southwarcensis in Anglia, 19 *Dec.* 1860, quaesivit a S. C. S. Officii : « Utrum liceat advocati et actoris partes agere (apud tribunal civile), quando finis litis est simplex separatio, absque ulla sententia matrimonii nullitatem secum ipsa ferente ». S. C. reposuit : « Dummodo pars catholica nullum aliud tribunal adire possit a quo sententiam obtineat separationis quod torum et mensam, et dummodo sententia hujus tribunalis nullum alium habeat effectum, quam separationem praedictam, posse tolerari ut catholici in eo foro actoris et advocati partes agant, et dummodo adsint justae separationis causae judicio Episcopi; et si quid habeat praeterea dubii, recurrat exponens omnes circumstantias et legis dispositiones ». Si autem toleratur fideles divortium semiplenum sub iis conditionibus petere a judice laico, et advocatos hanc petitionem defendere, eo

Digitized by Google

ipso tolerari judicem laicum hoc divortium concedere, ideoque eidem jurisdictionem suppleri palam est.

Idem pro Gallis deducimus ex celebri responso S. C. S. Officii, 25 *Junii* 1885 : « Post nuper restitutas penes Gallos *an.* 1884 divortii leges plura a nonnullis Episcopis Galliarum dubia huic S. R. et U. Inquisitioni proposita sunt : utrum nempe fas esset judicibus laicis, in causis de separatione conjugum sive circa vinculum sive *circa habitationem tantum*, jus dicere ; utrum advocatis et procuratoribus hujusmodi causas agere penes judices laicos ; utrum his ad quos de jure pertinet, defensores officiosos, quos vocant, deputare ; utrum denique syndicis (vulgo *maires*) divortium pronuntiare.

« EE. PP. una mecum Inquisitores Generales, re mature perpensa, in *feria V*, *loco IV*, *die* 25 *Junii* 1875, ita decernendum esse censuerunt :

« Attentis gravissimis rerum, temporum, ac locorum adjunctis tolerari posse, ut qui magistratus obtinent, et advocati causas matrimoniales in Gallia agant, quin officio cedere teneatur, dummodo catholicam doctrinam de matrimonio deque causis matrimonialibus ad solos judices ecclesiasticos pertinentibus palam profiteantur, et dummodo ita animo comparati sint tum circa valorem et nullitatem conjugii, tum circa separationem corporum, de quibus causis judicare coguntur, ut numquam proferant sententiam neque ad proferendam defendant vel ad eam provocent vel excitent divino aut ecclesiastico juri repugnantem ; et in casibus dubiis vel difficilioribus suum quisque Ordinarium adeat, ejus judicio se dirigat, et quatenus opus sit, per ejus medium ad Apostolicam Poenitentiariam recurrat.

« Hoc decretum SSmus Pater ratum habuit, ideoque omnibus in Gallia Archiepiscopis et Episcopis notum fit pro eorum norma per has literas, caeteroquin non evulgandas (1) ».

Hae declarationes ad alias nationes, quae in iisdem circumstantiis reperiuntur, extendi per se non possunt, quia

(1) Non obstante hac prohibitione, decretum statim evulgatum fuit : ideoque culpae nobis ne tribuas, benevole lector, si illud hic retulimus.

Digitized by Google

« quod alicui gratiose conceditur trahi non debet aliis in exemplum » *reg.* 74 *juris in* 6° ; proinde necesse est ejusdem tolerantiae gratiam petere et obtinere.

1166. Praeter casum hujus tolerantiae judex laicus, sese immiscens causae matrimoniali, e. g. separationis corporum, graviter peccat, etsi deinde sententiam proferat contrariam, quia, causam ad examen revocans, Ecclesiae jura usurpat; item graviter peccat conjux qui causam ad judicem laicum deducit, et advocatus qui eam sustinet. Imo ii omnes merito suspecti sunt de haeresi, quia facto videntur judici laico competentiam recognoscere contra canonem dogmaticum Conc. Trid. Et, id revera putantes cum pertinacia, sunt reipsa haeretici ; quam haeresim exterius manifestantes, incurrunt excommunicationem latae sententiae R. P. speciali modo reservatam in Const. *Apostolicae Sedis n.* 1. At non peccat reus, ejusque advocatus ; quia licet profecto sese defendere etiam coram judice incompetenti. Item post sententiam in causa matrimoniali a judice ecclesiastico latam, e. g. separationis corporum, nullitatis matrimonii..., licitum est, saltem si usu sit receptum, judicem laicalem adire pro rei familiaris ordinatione. Quamquam enim de jure communi judex ecclesiasticus causae principalis *possit* etiam civilem quaestionem incidentalem de bonorum divisione, de liberorum alimentis etc. definire (n. 1163), tamen jus commune proprie non prohibet hanc quaestionem deferre ad judicem laicalem, et contrarium usum Ben. XIV non reprobare supra diximus (1).

1167. Jam vero si causae matrimoniales spectant jure proprio et exclusivo ad judicem ecclesiasticum, ut huc usque demonstravimus, modo ulterius inquirendum, quinam judex ecclesiasticus competens sit.

Si agitur de divortio pleno obtinendo, idest de dispensatione matrimonii rati et non consummati, unice competens est R. P., qui eam concedit ad consilium S. C. C., vel S. C. S. Officii, et interdum etiam S. C. de Prop. Fide ; quae tamen saepius solet causas matrimoniales, praevia audientia Ssmi, ad S. C. S. Officii remittere.

(1) Bangen *III, pag.* 133.

Digitized by Google

In aliis causis matrimonialibus, si actor vel reus est Princeps, non titulo tantum, sed etiam re, rursus unice competens est R. P., ita ut causa habeatur major ratione personae. Id quidem nullibi expresse statutum legitur, sed consuetudine introductum est, cum ex una parte res sit gravissimi momenti, et ex alia pertimescendum sit, ne desit sufficiens libertas judici in partibus in quibus dominatur Princeps, cujus interest (1). Saec. XII Caelest. III graviter conquestus est de nonnullis Galliarum Episcopis qui divortii sententiam dixerant in Philippum regem Franciae et Ingelburgem, et sententiam irritavit. « Non est, inquit, a temeritatis vitio alienum quod in tam arduo et difficili negotio non fuit censura Sedis Apostolicae requisita, per quam vel ipsum canonice finiretur, vel committeretur aliquibus qui idem, servato juris ordine, secundum canonica statuta terminarent. Hic revera contra sanctorum Patrum veneranda concilia processum est manifeste, qui majores et difficiliores quaestiones ab universis ad Sedem Apostolicam censuerunt debere praeferri, quod usque in hodiernum diem non solum a Gallicana Ecclesia, praeterquam in praesenti articulo, verum etiam a longe remotioribus devotissime observatur (2) ». Proinde initio hujus saeculi tribunal archiepiscopale Parisiense immerito prorsus, circa causam matrimonialem ab imperatore introductam, se competens habuisse non est dubium. E contrario paucis abhinc annis causa matrimonialis inter Principem *de Monaco* ejusque uxorem ab una Sede Apostolica examinata et definita fuit.

Si neque actor neque reus principali dignitate fulget, *in prima instantia* judex competens est Episcopus (aut Archiepiscopus pro sua dioecesi). Conc. Trid. *sess. XXIV*, *cap. XX* haec habet : « Causae matrimoniales et criminales non decani, archidiaconi, aut aliorum inferiorum judicio, etiam visitando, sed Episcopi tantum examini et jurisdictioni relinquantur ». S. C. C. in cit. instructione *diei* 22 *Aug.* 1840 subdit : « Praeterea cum a S. Conc. Trid. *l. c.*, ac etiam a s. m. Ben. XIV in cit. Const. *Dei miseratione*, § 4,

(1) Icard *III*, *n.* 651 ; Feje *n.* 586.
(2) *Annales ecclesiastici* Baronii ed. Mansi, *an.* 1195.

Digitized by Google

causarum matrimonialium cognitio quibusvis judicibus inferioribus, non obstante quovis privilegio et praescriptione, fuerit sublata (1), ac Episcoporum tantum examini et jurisdictioni reservata, etiam prae Abbatibus *vere Nullius* (2), licet cardinalitia dignitate fulgentibus, juxta S. C. resolutiones, hinc tutius erit ut nedum sententia proferatur, sed etiam acta processus per Episcopum vel per ecclesiasticam personam specialiter ab eo delegandam conficiantur ». Plerique censent Vicarium Generalem vi generalis mandati posse etiam causas matrimoniales definire (3) : quae sententia communior et probabilior contra se habet ultima verba mox citata S. C. C. Caeterum hac in re spectanda est consuetudo cujusvis dioecesis ; et fatendum ubique locorum Episcopos vel dare Vicario Generali mandatum speciale pro causis matrimonialibus in genere, vel toties quoties judicem causae matrimonialis constituere. In Abbatia *Nullius* causae matrimoniales in prima instantia spectant ad Episcopum viciniorem, attenta distantia ecclesiae cathedralis et abbatialis. Sede autem vacante, hanc potestatem ordinariam Episcopi ad Capitulum et Vicarium Capitularem transire palam est.

In *secunda instantia* competens est Archiepiscopus, si Episcopus qui per se vel per alium in prima instantia sententiam dixit, est eidem suffraganeus. Nam principium est

(1) At consuetudo *immemorialis* non excluditur, prouti S. C. C. pluries resolvit. Nam apud Gallemart S.C., 22 *Jan.* 1598, decernit : « ... Decreto ejusdem Concilii non esse sublatam immemorialem consuetudinem, secundum quam inferiores Episcopo cognoscunt causas matrimoniales et criminales; iique, si hujusmodi immemorialem consuetudinem tribus sententiis conformibus probarint, non esse impediendos eam exercere ». Et in *Nullius* seu *Aquilana Jurisdictionis*, 4 *Maii* 1726, propositis dubiis : « ..... 17° An jus cognoscendi causas matrimoniales dictorum locorum exemptorum spectet ad Episcopum, sive ad dictum archipresbyterum. 18° An liceat dicto archipresbytero dare attestationes status liberi pro matrimoniis per suos parochianos extra dioecesim Aquilanam contrahendis »; S. C. reposuit: « Ad 17um spectare ad Episcopum, donec ab archipresbytero doceatur de immemorabili. Ad 18um ut ad proximum.

(2) Proinde sententia Fagnani in *cap.* 12, *De excessibus praelatorum*, *n.* 20 *sequ.*, cui subscribit Feje *n.* 586, Abbates scilicet *vere Nullius* posse causas matrimoniales cognoscere, sustineri amplius non potest.

(3) Feje *n.* 586 ; Mansella *l. c.*; Sanchez *III*, *XXIX*, *n.* 18 ex *cap.* 1, *De frigidis et maleficiatis*, et *cap. ult. De cognat. spirit.*

Digitized by Google

juris communis Archiepiscopum recipere appellationes a tribunali Episcopi sui suffraganei *cap.* 1, *De officio legati*, et *cap.* 9, *De officio judicis ordinarii*, nec causae matrimoniales usquam inveniuntur exceptae. Primates vero et Patriarchae, qua tales, in praesenti disciplina, saltem in Occidente, habent honorem tantum absque ulla jurisdictione, ideoque incompetentes sunt (1). In Oriente vero, cum Archiepiscopi titulus hodie sit honoris tantum, non autem jurisdictionis, causas matrimoniales judicat in *secunda instantia* Patriarcha, qui patriarchicam, primatialem et metropoliticam jurisdictionem in Episcopos et Archiepiscopos obtinet (2). Quod autem tradit S. C. de Prop. Fide in cit. instructione ad Ordinarios Americae Septentrionalis (n. 1162 in fine) : « Si prima sententia a curia episcopali lata fuerit, appellatio fiet ad curiam metropolitanam ; si vero a curia metropolitana ea prodierit, appellabitur ad curiam metropolitanam viciniorem » est statutum speciale pro illis regionibus, quo Archiepiscopus vicinior (attenta distantia ecclesiarum cathedralium) pro secunda instantia fit competens, cum de jure communi foret incompetens.

Tandem competens est *Romanus Pontifex*. Tribunal ordinarium Romae a Pontifice institutum, cui reservantur causae matrimoniales, est S. C. C. ex cit. Const. *Dei miseratione* Ben. XIV. Hic quidem in § 13 ait : « Quas omnes (causas matrimoniales) judicari volumus vel in Congr. S. R. E. Cardinalium super interpretatione et executione Conc. Trid., vel in causarum palatii Nostri Auditorio... ». Sed hodie una S. C. C. has causas expendit sive in gradu appellationis, sive etiam in primo gradu, quando agitur de dispensatione super matrimonio rato et non consummato, aut quando agitur de aliis causis et vel alterutra saltem pars principali dignitate decoratur, vel S. C. causae cognitionem ad se avocavit, petente praesertim utraque vel alterutra parte, prouti exemplum recentissimum prostat in *Parisiensi Nullitatis matrimonii*, 20 *Dec.* 1890. Quod si una pars est

(1) Contra Mansella *l. c. art. V, n.* 7.

(2) Synodus Lybanensis *an.* 1736, apud Mansella *l. c. n.* 12. Cit. instructio S. C. S. Officii, 20 *Junii* 1840, § 24.

Digitized by Google

haeretica, aut infidelis, aut causae omnia adjuncta secretum absolutum expostulant, S. C. C. nonnumquam, ex pontificio rescripto, causam ad S. C. S. Officii remittit (1); insuper Pontifex ad hanc S. C. remittere saepius solet causas matrimoniales locorum missionum, quae ad S. C. de Prop. Fide delatae fuerant (n. 1166). Causas autem matrimoniales Urbis ejusque suburbii et districtus videt in prima instantia Cardinalis Vicarius ad instar Episcopi in sua dioecesi. Tandem R. P. potest etiam judices extraordinarios deputare sive in Urbe, e. g. Congregationem particularem pro aliqua causa majoris momenti, nec desunt exempla; sive extra Urbem, idest judicem *commissarium,* uti vocant. Ben. XIV *l. c.* § 4 praecipit et mandat « iis ad quos hujusmodi commissionum seu delegationum expediendarum cura pertinet, ut in futurum causarum matrimonialium cognitionem non committant nisi Episcopis, praesertim vicinioribus, vel si nullus sit Episcopus cui ex legitima causa commode committi possit, tum commissio et delegatio dirigatur uni ex iis qui, secundum ordinem et modum a Nobis in praefatis encyclicis literis praescriptum, pro judice idoneo ab Episcopo cum consilio sui capituli nominatus fuerit ».

1168. Episcopus autem competens, si agitur de matrimonio impediendo, est Episcopus dioecesis in qua matrimonium contrahendum est. Hinc e. g. impedimentum *nihil transeat*, vi praecedentium sponsalium, opponi debet coram Episcopo dioecesis, in qua nuptiae cum tertia persona sunt celebrandae, et hic Episcopus videbit de existentia et valore sponsalitii contractus.

In genere autem Episcopus competens est Episcopus *domicilii* ex *cap. ult. De foro competenti*, cum ratione domicilii quis fiat subditus Episcopi. Instructio Austriaca his verbis id determinat § 96: « Conjuges in causis matrimonialibus subsunt Episcopo in cujus dioecesi maritus domicilium habet (2). Exceptioni locus est, si conjugale vitae consor-

(1) Etiam S. C. C. aliquando causam agit *sub secreto*, aut, si Pontifex secretum jusserit, *sub secreto pontificio* ; sed secretum S. C. S. Officii longe rigidius est.

(2) Scilicet principium generale est : *actor sequitur forum rei* ; at aliud

Digitized by Google

tium, aut per separationem a toro et mensa aut per desertionem malitiosam a marito patratam, sublatum sit. Priori casu quaelibet pars jus accusandi contra alteram ipsi competens, coram Episcopo dioecesis, ubi haecce domicilium habet, exercere *debet* (1). Posteriori casu uxor apud Episcopum intra cujus dioecesim domicilium ejus situm est, actionem instituere *potest* (2). Postquam citatio judicialis intimata est, mutatio quoad conjugum domicilium facta mutationem respectu judicis competentis minime operatur ». Idem iisdemque verbis tradit S. C. de Prop. Fide in cit. instructione *an.* 1883, § 2.

Utrum et quasi-domicilium tribuat judici competentiam, non convenitur inter DD. ; sed plerique probabilius affirmant (3), cum etiam ratione quasi-domicilii quis evadat subditus. Cum vero in dubio positivo et vere probabili, juxta receptam doctrinam, suppleatur jurisdictio (4), hinc competentia judicis ratione quasi-domicilii, ex principio reflexo, haberi potest uti certa.

Pars autem vaga potest conveniri ubicumque reperitur, etiam ratione contractus alibi initi, uti communiter AA. tradunt (5).

Caeterum hac in re etiam loci consuetudo prae oculis habenda est, qua jurisdictionem acquiri posse omnes sciunt.

Quoties vero plures judices sunt competentes, actor seligit.

principium generale est : *uxor sequitur domicilium mariti* ; proinde est competens Episcopus domicilii mariti, quicumque tandem sit reus, sive maritus ex primo principio, sive uxor ex altero.

(1) Ratio est quia per legitimam divortii semipleni sententiam alterum indicatum principium cessat, et valet primum. Proinde Episcopus domicilii actoris tantum, est incompetens.

(2) Id ex aequitate. At Episcopus domicilii viri remanet competens, ideoque adiri potest. Quod si e contrario uxor virum deseruit, patet competentem esse Episcopum domicilii mariti juxta regulam generalem.

(3) Schmalz. *II, II, n.* 17 ; Pirhing *n.* 18 ; Reiff. *n.* 37 *sequ.*

(4) D'Annibale *I,* § 80 ; S. Alph. *VI,* 573 ; Sanchez *I, IX, n.* 35 ; De Lugo *De Poenit. XIX, n.* 30 ; Croix *VI, I, n.* 17.

(5) Schmalz. *l. c. n.* 8 ; Pirhing *n.* 15 ; Reiff. *n.* 46 ; Sanchez *III, XXV, n.* 5.

Digitized by Google

Haec quae huc usque diximus, valent etiam pro Ecclesia Orientali (1).

1169. Quaeritur utrum sit competens Episcopus loci in quo matrimonium celebratum fuit? Ex dictis apparet, si reus momento introductae actionis inibi habet domicilium aut quasi-domicilium, aut sit vagus, Episcopum esse competentem, sin minus ratione contractus, saltem ratione domicilii, aut quasi-domicilii, vel ratione conditionis vagi. Proinde quaestio practica respicit tantum casum quo reus, momento introductae actionis, nec domicilium aut quasi-domicilium inibi habeat, nec sit vagus.

Jam vero in genere jure communi *cap. ult. De foro competenti*, et *cap.* 1 *ejusd. tit. in* 6°, § *contrahentes*, judex est competens ratione contractus in suo territorio celebrati, si reus, uti explicat Pirhing *II, II, n.* 36 cum communi: « in loco ubi contraxit et incola non est, moram trahat, vel negotium ibi tractare coeperit, vel tabernam, officinam, pergulam, seu tentorium, aut horreum conduxerit ad vendendum, ibique distraxit vel emit, sicut mercatores ad nundinas venientes facere solent..; secus est de viatore seu peregrino, qui si in loco alieno, per quem transit, aut in quo non diu moraturus est, contrahat, non potest ratione talis contractus ibi conveniri..... ». Et praeterea ut contrahens actione personali in loco contractus conveniri possit, necesse est ut, momento actionis introductae, in territorio commoretur ex *cit. cap.* 1, *De foro competenti in* 6° (2). Ad rem Glossa in hunc locum: « Ex quibus praemissis concluditur, quod ratione solius contractus quis non sortitur forum, sed ultra requiritur, quod ipse habeat domicilium in loco contractus, vel faciat residentiam, operando mercantias: unde quamdiu ipse habet domicilium, potest conveniri in illo loco, vel quamdiu facit residentiam; sed mutato domicilio, non potest amplius conveniri, quia remanet tantummodo solus contractus ».

Si haec doctrina ad causas matrimoniales transferatur,

(1) Mansella *part. I, cap. VI, art. I, n.* 8.

(2) Pirhing, *n.* 38; Schmalz *II, II, n.* 31; Laiman in *cap. ult. De foro competenti*; Reiff. *II, II, n.* 5; Fagn. in *cap.* 20, *De foro comp., n.* 6 *sequ.*

Digitized by Google

sequitur Episcopum esse certe incompetentem in causa matrimoniali, si reus, contrahens in ejus dioecesi matrimonium, erat advena, diu in loco non moraturus, aut si momento introductae actionis in dioecesi non est (1): e contrario sequitur Episcopum esse competentem, si reus, contrahens in dioecesi matrimonium, moram traxerit, ut supra, et modo in dioecesi commoretur.

At vero notandum est in instructione Austriaca, et in cit. instructione S. C. de Prop. Fide ne verbum quidem esse de Episcopo competenti ratione contractus in causis matrimonialibus; et pariter nullus auctor alicujus auctoritatis id expresse meminit. Exinde quis non immerito suspicari posset tale forum competens esse solum pro contractibus civilibus, de quibus AA. tantum loquuntur, et ad matrimonium non pertinere; sed posito etiam hoc dubio, Episcopus ratione contractus, ex principio reflexo, tamquam competens in terminis juris communis habendus est.

S. C. C. omnes instantias ad se directas sive pro dispensatione matrimonii rati et non consummati sive pro declaratione nullitatis, remittere semper solet, pro processu conficiendo, ad Episcopum dioecesis in qua matrimonium initum fuit, ut scilicet implicatam saepe domicilii investigationem evitet; qua remissione, etsi hic Episcopus de jure competens non esset, suppletur ejusdem jurisdictio.

1170. Tandem quaeritur quid juris si aut partes judicem recusent, aut judex accusationem.

Ad primum quod attinet, in instructione Austriaca haec leguntur:

« § 103. Si conjuges vel nupturientes, qui in causis matrimonialibus citantur, competentiam tribunalis impugnari posse autumant, eidem intra decem post citationem intimatam dies exceptiones suas exponere debent. Quando reclamatio pro non fundata declaretur, liberum eis est ad instantiam proxime superiorem appellationem dirigere.

« § 104. Competentia, quam impugnarunt, per tribunal

(1) S. C. C. in *Neapolitana seu Romana Matrimonii super competentia seu avocatione et super subministratione*, 30 *Jan.* 1858.

Digitized by Google

superius confirmata, contendentes coram primae actionis judice causam dicant, oportet ».

Quoad alterum, Episcopus, certe certitudine directa competens, accusationem etiam matrimonii contracti serio fundamento innixam et a legitimo actore propositam rejicere per se non potest, prouti aliquando accidit in causis nullitatis matrimonii ; tum quia canones actori jus et Episcopo relativam obligationem in casu tribuunt, tum quia Episcopus, accusationem a priori recusans, potest esse causa malorum nec levium nec paucorum, si revera matrimonium viribus caret. Neque objicias exinde fideles scandalum pati ; nam scandalum, si adest, oritur ex ignorantia legum ecclesiasticarum, quam sententia corriget, et si perversi aliquam erroneam consequentiam exinde deducunt, haec non est ratio sufficiens, ut justitia fidelibus denegetur in re tanti momenti pro eorum salute temporali et aeterna. Episcopo autem reluctante accusationem in casu admittere, actor recurrat ad S. C. C., quae vel eidem Episcopo vel alii causam pertractandam committet.

Diximus tamen Episcopus *certe certitudine directa* competentem non posse accusationem recusare ; nam si ejus competentia est certa solum ex principio reflexo, Episcopus potest, sed non tenetur accusationem admittere, cum quisquis possit, sed non teneatur uti una opinione probabili, relicta altera.

Diximus ulterius Episcopum rejicere non posse accusationem *serio fundamento innixam et a legitimo actore propositam* ; quae verba ex dicendis clara erunt.

Tandem addimus Episcopum *per se* hanc accusationem rejicere non posse ; quia si speciales et extraordinariae circumstantiae suadeant causam in dioecesi non pertractari, actor adeat alium Episcopum competentem, si forte adest, vel recurratur ad S. C. C. pro opportuno remedio.

§ 2. — *De constitutione tribunalis matrimonialis.*

1171. Explicavimus quinam sit judex competens in causis matrimonialibus : modo videamus quomodo tribunal

Digitized by Google

matrimoniale constitui debeat. De compositione S. C. C. non est hic agendi locus : ea vero quae respiciunt defensorem vinculi in S. C. C., habes infra n. 1174. Loquimur igitur tantummodo de tribunali Episcopi in prima instantia, et Archiepiscopi in prima aut secunda.

Jam vero jure Decretalium nihil speciale statutum est pro tribunalis matrimonialis constitutione, et judex cum auxilio cancellarii omnia expedire poterat. At ex cit. Const. *Dei miseratione* Ben. XIV, tribunal matrimoniale componunt *judex* seu *moderator actorum*, *cancellarius*, *et defensor matrimonii* (1).

1172. Munus *judicis* seu *moderatoris actorum* « Episcopus vel ipse sibi assumet vel suum Vicarium Generalem aut alium probum et expertum virum e clero ad illud delegabit » ait cit. instructio S. C. S. Officii § 4 (2). Ejus erit « tribunal convocare, partes et testes citare, ut in judicium compareant, terminos dilationis concedere, quoties rationabiliter ab iis, qui jus habent, petantur, edere decreta et ordinationes pro regulari et recta actorum compilatione. Quae omnia scripto erunt exaranda, et in actis ipsis recensenda » cit. instructio § 7.

1173. *Cancellarii* officium est quidquid ad causam pertinet in acta referre, et nominatim interrogationes examinandis faciendas eorumque responsiones scripto consignare, ut docet cit. instructio S. C. S. Officii § 4. Cancellarius potest etiam ex laicis assumi ; sed magis decet, ut sit clericus.

1174. Tandem *defensorem vinculi ex officio* Ben. XIV cit. constitutione introduxit, omniaque, quae ad ipsum spectant, determinavit. Nam § 5 decernit ac jubet :

« § 5. Ut ab omnibus et singulis locorum Ordinariis in suis respective dioecesibus persona aliqua idonea eligatur et, si fieri potest, ex ecclesiastico coetu (3), juris scientia

(1) Episcopus aut Archiepiscopus iis aliquando addit *judicem assessorem*, *cancellarium adjunctum*, *defensorem vinculi adjunctum*. Plures consiliarii (non infra quatuor, non ultra sex), quos requirit cit. instructio Austriaca § 97, jure communi non sunt necessarii.

(2) Cit. instructio S. C. C. § *Cum itaque*.

(3) Proinde poterit deputari etiam laicus, si laicus idoneus sit, et in ecclesiastico coetu idoneus non habeatur. Idoneitatis autem judex est Episcopus.

Digitized by Google

pariter et vitae probitate praedita, quae matrimoniorum defensor nominabitur, cum facultate tamen eam suspendendi vel removendi, si justa causa adfuerit, et substituendi aliam aeque idoneam, et iisdem qualitatibus ornatam ; quod etiam fieri poterit quotiescumque persona ad matrimoniorum defensionem destinata, cum se occasio agendi obtulerit, erit legitime impedita (1).

« § 6. Ad officium autem defensoris matrimoniorum hujusmodi, ut supra, electi spectabit in judicium venire, quotiescumque contigerit matrimoniales causas super validitate vel nullitate coram legitimo judice disceptari, eumque oportebit in quolibet actu judiciali citari, adesse examini testium, voce et scriptis matrimonii validitatem tueri, eaque omnia deducere quae ad matrimonium sustinendum necessaria censebit.

« § 7. Et demum defensoris hujusmodi persona tamquam pars necessaria ad judicii validitatem et integritatem censeatur, semperque adsit in judicio, sive unus ex conjugibus, qui pro nullitate matrimonii agit, sive ambo, quorum alter pro nullitate, alter vero pro validitate in judicium veniant. Defensor autem, cum ei munus hujusmodi committetur, juramentum praestabit fideliter officium suum obeundi, et quotiescumque contigerit, ut in judicio adesse debeat pro alicujus matrimonii validitate tuenda, rursus idem juramentum praebebit : quaecumque vero, eo non legitime citato aut intimato, in judicio peracta fuerint, nulla, irrita, cassa declaramus, ac pro nullis, cassis, ac irritis haberi volumus, perinde ac si citata et intimata non esset ea pars, cujus citari intererat et quam juxta legum et canonum praescripta ad legitimam judicii validitatem citari aut intimari omnino necessarium erat (2).....

(1) Fatendum est in plerisque dioecesibus vinculi defensorem non nominari semel pro semper pro omnibus causis, sed potius toties quoties pro causa in particulari.

(2) Exinde patet acta esse nulla, nullamque subinde latam sententiam, legitime non citato, etiam semel, defensore matrimonii ; quod pluribus exemplis ex *thesauro resolutionum S. C. C.* deductis facile confirmari posset nisi forte ipse, licet non citatus, de facto adstiterit. At si citatus non comparuit, acta valent ; ipse autem si legitimo non detinetur impedimento,

Digitized by Google

« § 10..... Si judex in secunda instantia fuerit Metropolitanus, aut Sedis Apostolicae Nuntius, aut Episcopus vicinior, matrimonii defensor sit qui ab ipsis fuerit deputatus, quemadmodum ipsis deputare mandamus, ut quae a Nobis superius constituta sunt, peragere possit; si autem judex in secunda instantia erit judex commissarius, cui a Sede Apostolica causae cognitio demandata sit, et qui tribunal et jurisdictionem ordinariam non habeat, et propterea careat defensore matrimonii, volumus ut illo defensore matrimonii utatur, qui constitutus fuerit ab Ordinario in cujus dioecesi causam cognoscet, etiamsi idem Ordinarius sit, qui primam sententiam in eadem causa pronuntiaverit.....

« § 12. Defensor autem matrimonii, quem ad munus suum gratis obeundum pro amore Dei et proximi utilitate et Ecclesiae reverentia in Domino exhortamur, si operam suam sine mercede aut salario, aliqua ex causa, exhibere recusaverit, ab ipsius causae judice ei constituatur, et ab ea parte quae pro matrimonii validitate agit, si ipsi facultas sit, solvatur; sin minus a judice primae vel secundae vel tertiae instantiae respective subministrabitur, qui pecunias ex mulctis suorum tribunalium redactas vel redigendas et in opera pia erogandas in hujusmodi sumptus insumere poterunt. Cum vero judices causae erunt judices commissarii, qui neque forum habent, et consequenter neque pecuniam ex mulctis collectam, volumus ac mandamus ut defensori matrimonii satisfiat ex pecunia mulctarum illius Episcopi, in

culpa non vacat; secus non peccavit, sed, perdurante impedimento, Episcopus debebit pro futuris actis alium defensorem nominare, et servari debet praescriptum S. C. S. Officii in cit. instructione § 9: « Quod si ob peculiares circumstantias matrimonii defensor singulis actis interesse nequiverit, absoluto processu eadem ipsi traduntur, ut eas exarare queat animadversiones, quas tuendae matrimonii validitati necessarias judicaverit; si alia acta suggesserit, haec conficienda omnino erunt; si ex jam confectis deprehenderit alias adesse personas testimonio ferendo idoneas et opportunas, nondum examinatas, has examini subjiciendas proponet ». Quod si ab initio Episcopus nominaverat *defensorem adjunctum*, hic titularem supplet. Praeterea S. C. S. Officii § 8 tradit: « Eidem (defensori matrimonii) semper et quandocumque acta processus, etsi nondum publicati, erunt communicanda, semper et quandocumque ejus scripta recipienda, atque novi termini, eo flagitante, prorogandi, ut ea scripta perficiat atque exhibeat ».

Digitized by Google

cujus dioecesi judex commissarius, juxta Sedis Apostolicae mandatum, judicium exercebit.....

§ 13..... Quoad causas vero quae Romae disceptandae sunt, cum earum cognitio in prima instantia ad S. R. E. Cardinalem in praefata urbe ejusque suburbiis et districtu Vicarium Nostrum in spiritualibus pro tempore spectet, mandamus ac jubemus ut omnia et singula, quae in aliis causis extra Romanam curiam pertractandis praescripta fuerunt, nempe ut judicium peragatur, citato et audito defensore matrimonii ab eodem Card. Vicario deputato, aliaque, ut supra, omnino serventur; tum etiam in aliis causis quae in prima instantia ex consensu partium, vel in secunda per appellationem ad Sedem Apostolicam, omisso medio, interpositam, vel in tertia Romam deferuntur, quas omnes judicari volumus vel in Cong. S. R. E. Cardinalium super interpretatione et executione Conc. Trid., vel in causarum palatii Nostri Auditorio, dummodo Nobis et R. P. pro tempore justis ex causis non videatur particularis Cong. S. R. E. Cardinalium vel Romanae Curiae praelatorum deputanda. Cum autem causa super matrimonii nullitate agitabitur in dicta Cong. S. R. E. Cardinalium Conc. Trid. interpretum, defensor matrimonii a Cardinali Praefecto ejusdem Cong.; si vero in palatii Nostri Auditorio, ab Auditore decano praefati tribunalis; si demum in Cong. particulari, a persona ejusdem Cong. digniore deputetur ».

1175. Quaeritur utrum in omnibus causis matrimonialibus defensor vinculi ex officio sit necessarius? Diximus defensorem matrimonii inductum esse ex Benedictina constitutione: atqui Benedictina constitutio tradit esse necessarium « quotiescumque contigerit matrimoniales causas super validitate vel nullitate coram legitimo judice disceptari » *cit.* § 6: proinde defensor vinculi ex officio requiritur in omnibus causis nullitatis aut validitatis matrimonii: idque etiamsi nullitas sit certissima et prorsus evidens, cum Ben. XIV non distinguat. Confirmatur ex decreto S. C. S. Officii *diei* 3 *Junii* 1889 (n. 1207), et ex responsione S. C. C. in *Sonorensi Nullitatis matrimonii* 26 *Aug.* 1848. Nam Episcopus Sonorensis in America exposuerat:

Digitized by Google

« In bulla *Dei miseratione* Ben. XIV praescribitur forma, quae servari debet in judiciis de matrimonii nullitate, et licet nulla sit difficultas cum de casibus dubiis agitur, non minima sunt, quae occurrunt, obstacula in casibus in quibus aperta et notoria sit matrimonii nullitas. Exempli gratia N. religiosus professus et subdiaconus, dimisso habitu, et ementito nomine, pluribus abhinc annis ex Mexicana provincia huc advenit, publiceque matrimonium contraxit. Facta mihi dioecesim ingresso denuntiatione, omnia patefacta sunt nedum ipsius rei confessione, testium depositionibus, attestatis indubiis professionis solemnis, et ordinis, verum et identitate personae religiosi insinuati... Jam si in his et similibus casibus omnia adamussim servarentur, quae a Ben. XIV praescribuntur, non minimum publicae utilitati et saluti fidelium afferretur detrimentum, praecipue ob dilationes in prima, secunda, aut etiam tertia instantia necessarias, quas partes ita inique ferunt, ut insuper habito judicio nullitatis, non matrimonium aliud contrahere satagant, sed prout libuerit, incontinentem vitam ducere. Cum nulla sit tanti mali spes avertendi, postulo itaque a S. C. declarari praedictam constitutionem Ben. XIV locum non habere in casibus ita certis et notoriis, ut matrimonii nullitas nulla possit tergiversatione celari, aut si super hac re extitit Congregationis declaratio, talis declarationis mihi copiam praeberi ».

Proposito dubio : « An et quomodo sit annuendum precibus Episcopi Sonorensis in casu », S. C. reposuit : « *Negative et ad mentem* ». Mens ea fertur fuisse (1) : « de demander à Sa Sainteté un indult pour autoriser Monseigneur l'Évêque de Sonora à confier la seconde sentence conforme à un Évêque voisin, vu l'éloignement du Métropolitain, ou bien de se réserver cette seconde sentence, en se faisant assister de quelques prêtres, qui n'auront pas pris part à la première sentence » (2).

(1) Correspondance de Rome, *tom, I, pag.* 11 apud. Buix, *De judiciis, II, pag.* 445.

(2) In *therauso resolutionum S. C. C.* plures sunt causae evidentis nullitatis e. g. *Theatina Matrimonii*, 18 *Julii*, et 19 *Sept.* 1761; *Tridentina*

Digitized by Google

Imo S. C. C. in *Neapolitana seu Romana matrimonii super interventu defensoris ex officio et super subministratione*, 26 *Sept.* 1857, edixit interventum defensoris matrimonii ex officio esse necessarium, etsi in causa nullitatis vel validitatis matrimonii agitetur quaestio incidentalis de Episcopi competentia.

Tandem si agatur tantum *de dispensatione super matrimonio rato et non consummato*, ex rigido Benedictinae constitutionis praescripto defensor vinculi ex officio non videretur necessarius, quia in his causis non disceptatur de nullitate aut validitate matrimonii, sed tamen ex stylo Curiae requiritur (1) sive in instructione processus penes tribunal Episcopi, sive in judicio penes S. C. C. de non consummatione, et de consilio dando Pontifici pro dispensatione; et merito, cum in his causis agatur de *vinculo dissolvendo*.

1176. E contrario ex dictis apparet vinculi defensorem non esse necessarium :

1° Si in causa vinculum matrimoniale nullo modo in discrimen venit, sed disputatur tantum e. g. de validitate sponsalium, de separatione corporum etc. Sane defensor *vinculi* in istiusmodi causis nil haberet, quod defenderet.

1177. 2° Si agitur de matrimonio inito, penitus praetermissa forma Tridentina certe in loco necessaria. Nam Officialis Trevirensis expostulaverat : « Utrum s. m. Ben. XIV Const. *Dei miseratione*, *die* 3 *Nov.* 1741, etiam quoad illas nuptias sit servanda, quae per se pro ecclesiasticis matrimoniis nullo pacto haberi queunt ex eo quod neque in facie Ecclesiae, neque in alia in foro Ecclesiae quomodocumque valida forma contractae fuerunt. » S. C. C. *die* 29 *Jan.* 1853 reposuit : « In casu prout exponitur, negative ». Imo in his casibus, e. g. matrimonii civilis in Galliis, nec requiritur processus et sententia judicialis, sed sufficit nuda Episcopi declaratio; nam constitutio Benedictina procedit quoties de initi conjugii validitate vel nullitate quaestio est, in his autem

Nullitatis matrimonii, 22 *Jun.* 1822..., in quibus Benedictina constitutio ad unguem servata fuit. Incommodis, de quibus Episcopus Sonorensis conquerebatur, ob dilationes necessarias pro appellationibus, hodie provisum est per cit. decretum S. C. S. Officii *diei* 3 *Junii* 1889 (n. 1201).

(1) Buix *l. c. pag.* 456 *sequ.*

Digitized by Google

casibus matrimonium nullo modo initum fuit (n. 239). Diximus tamen *penitus praetermissa forma Tridentina certe in loco necessaria :* quia si matrimonium celebratum fuit in ecclesiastica forma, sed tantum quaestio est num haec forma vitio substantiali laboret ; vel si de matrimonii clandestini validitate aut nullitate in loco dubitetur, judicium juxta Benedictinam constitutionem agendum erit. Hoc modo intelligimus cit. decretum S. C. S. Officii *diei* 3 *Junii* 1889 (n. 1201), quo sensu non contradicit relatae responsioni S. C. C.

1178. 3° Si agitur de probanda libertate status in casu incertae mortis conjugis pro secundis nuptiis alteri permittendis. Huc spectat responsio S. C. C. *diei* 14 *Dec.* 1889. Nam Wratislaviensis Episcopus *die* 24 *Jan.* 1889 Ssmo supplicem libellum transmisit sequentis tenoris:

« Ben. XIV in Const. quae incipit *Dei miseratione*, postulavit ut in omnibus causis quae disceptantur de validitate seu nullitate matrimonii, juret, audiatur, appellet pro valore perpetim defensor matrimonii. His causis adnumerat instructio pro judiciis ecclesiasticis Austriacis, approbata a multis praestantibus theologis et jurisconsultis Romanis, et commendata per dominum Nuntium Apostolicum Vindobonen. *an.* 1855, etiam quaestionem de morte conjugis, si agit alter conjux pro admittendis secundis nuptiis a curia episcopali, Attamen S. C. C. in una *Mediolanensi*, *die* 27 *Febr.* 1734 remisit hujusmodi judicium *arbitrio Episcopi*. Ferraris in Bibliotheca sua sub voce *Polygamia* distinguit aperte processum de nullitate matrimonii a judicio de morte conjugis per probationes canonicas ad tramites plurium instructionum S. Officii simpliciter faciendo sine defensore matrimonii ».

Propositis dubiis : « 1° An probatio status liberi in casu incertae mortis conjugis recensenda sit inter causas matrimoniales, quae subsunt Benedictinae constitutioni *Dei miseratione* quoad formam processus in casu. 2° An in hujusmodi negotio expediendo defensor vinculi interesse adhuc tamen debeat, jurare, et appellare ad formam praefatae constitutionis in casu ? »

Digitized by Google

S. C. C. reposuit : « Ad 1um negative. Ad 2um pro ditione Austriaca posse servare instructionem in foro ecclesiastico ibi receptam : pro ditione Borussica standum instructionibus S. Officii ad rem spectantibus ».

1179. Corodinis loco animadvertimus integrum esse partibus procuratores et advocatos assumere, qui sibimet assistant in instructione processus, et deinde sua jura defendant. De procuratoribus et advocatis in causis matrimonialibus jus commune nil speciale constituit : unde ipsis applicari debent dispositiones latae pro procuratoribus et advocatis in causis fori ecclesiastici in genere.

§ 3. — *De actore et testibus in causis matrimonialibus* (1).

1180. Ad actorem quod attinet, in cit. instructione S. C. S. Officii § 1 legitur : « Ut in tribunali ecclesiastico causa aliqua matrimonialis tractanda suscipiatur, necesse est, ut contra matrimonium regularis et juridica accusatio praecesserit, quae numquam erit admittenda, nisi proficiscatur a persona vel personis quae communi jure habiles ad accusandum habeantur ; etenim in quibusdam impedimentis ipsi conjuges tantum uti accusatores admittuntur, in aliis qui sunt eisdem sanguine propinqui vel etiam quilibet de populo. Ac tandem ex officio etiam inquisitio fieri potest, et quandoque debet, quando praesertim contra alicujus matrimonii validitatem simplex denuntiatio facta fuerit, aut fama, fundamentum veritatis praeseferens, de alicujus impedimenti existentia divulgata sit ». Haec melius declarantes animadvertimus actionem in causis matrimonialibus competere aliquando utrique conjugi et non aliis, aliquando uni ipsorum tantum, aliquando etiam cuilibet de populo.

1181. 1° In primis jus agendi utrique conjugi privative competit in sequentibus casibus :

(1) Vide canonistas in tit. *Qui matrimonium accusare possunt, vel contra illud testificari, XVIII, lib. IV Decret. Accusare* enim matrimonium est causam coram competenti judice proponere ut matrimonium contrahendum impediatur, vel contractum dissolvatur, vel nullum declaretur. De accusatione matrimonii ineundi vide n. 174 sequ.

Digitized by Google

a) Si matrimonium nullum dicatur ob impotentiam ; potest scilicet instantiam proponere tum conjux potens, tum conjux impotens, tum uterque simul, non vero alii ; quia conjuges possent, si vellent, cohabitare ceu frater et soror ex *cap.* 4, *et* 5, *De frigidis et maleficiatis.* « Propter impotentiam, ait instructio Austriaca § 118, matrimonium consummandi, nisi notoria sit, conjuges tantum matrimonium accusare possunt » (1) ;

b) Si dispensatio a R. P. obtineri velit super matrimonio rato et non consummato ;

c) Si valor initorum sponsalium impugnetur.

1182. 2° Uni tantum conjugum jus agendi reservatur in sequentibus casibus, quos instructio Austriaca recenset:

a) « § 116. Propter errorem et coactionem injustam ea tantum pars quae in errore versata, aut cui consensus coactione injusta extortus est, matrimonium accusare potest. Jure suo excidit quando, postquam errorem agnovisset, aut metus qualis ad matrimonium irritandum sufficiat, cessavisset, debitum conjugale voluntarie ac scienter praestiterit, vel etiam, quin circumstantia ista probari possit, conjugale vitae consortium per sex menses voluntarie continuaverit (2).

b) « § 117. Quando matrimonium sub conditione contrahere per exceptionem concedatur, matrimonium propter conditionem non impletam ab eo tantum conjuge accusari potest, qui neque in conditionem positum adesse falso asseveraverit, aut quod haud existat, dolo reticuerit, neque ne conditio impleatur, sua culpa impedierit. Renuntians conditioni accusandi jure se exuit.

c) « § 119. In valorem matrimonii cui impedimentum impubertatis obstat, pubertate impleta, super ejus tantum qui matrimonii contracti tempore impuber fuerat, conjugis petitione inquirendum est (3).

(1) Cit. instructio S. C. S. Officii, § 45. Feje *n.* 584.

(2) *Cap.* 21, *et* 28, *De sponsalibus..*; et *cap.* 4, *Qui matrimonium accusare.....* At quoties ad matrimonium revalidandum renovatio consensus in forma Tridentina est necessaria, actio proposita a parte metum passa vel errante etiam in his casibus non repellitur.

(3) *Cap.* 7, *De desp. impuberum.* Rursus si decretum Tridentinum urget pro matrimonii revalidatione, etiam pars pubes agere posset.

Digitized by Google

d) « § 120. Propter impedimentum raptus raptor adversus matrimonium reclamare nequit. Rapta quae raptui consensit, suo matrimonium accusandi jure in exordio libertatis plene recuperatae utatur; alias non amplius audiatur (1).

e) « § 121. Impedimento ligaminis mutatione facti sublato, quando una pars, dum invalidas celebraret nuptias, impedimenti existentiam absque sua culpa ignoraverit, altera quae impedimenti conscia fuerat, matrimonium accusandi jure haud potitur (2) ».

His omnibus adde actionem soli parti innocenti spectare, si agatur vel de divortio semipleno ob alterius partis delictum, vel de sponsalibus, altera parte renuente eadem implere, aut volente nuptias cum tertia persona inire.

1183. 3° Tandem si matrimonium nullum dicatur ex alio capite praeter praecedentia, e. g. ob impedimentum consanguinitatis, affinitatis, criminis etc., aut ob defectum Tridentinae formae, jus accusandi « competit catholico cuivis, exceptis iis qui sua hac in re commoda quaerere suspecti sint, vel quamvis matrimonium contrahendum esse sciverint, ac proclamationes debito modo institutae essent, impedimentum, absque legitima excusatione, silentio presserint » instructio Austriaca § 115 (3).

De altera exceptione agitur in *cap.* 6 *cit. tit.*, ubi Inn. III haec habet: « Si tempore denuntiationis praemissae is qui jam conjunctos impetit, extra dioecesim existebat vel alias denuntiatio non potuit ad ejus notitiam pervenire, ut puta si, nimiae infirmitatis fervore laborans, sanae mentis patiebatur exilium, vel in annis jam teneris constitutus, quoad comprehensionem talium, ejus aetas sufficere non valebat, seu alia causa legitima fuerit impeditus, ejus accusatio debet audiri. Alioquin, cum rationabiliter praesumatur quod

(1) Quod si rapta mulier per longum tempus tacuit ob rationabilem causam, quae facile aderit, vel si tacuit per breve tempus etiam sine rationabili causa, audiretur (n. 550).

(2) *Cap.* 1, *De eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium.*

(3) Exemplum habes in *Civitatis Castelli Nullitatis matrimonii*, 18 *Julii* 1778, in qua mariti frater et soror, ejusdemque sororis vir petierunt et obtinuerunt declarationem nullitatis matrimonii contra maritum et uxorem propugnantes validitatem.

Digitized by Google

denuntiationem publice factam, idem existens in ipsa dioecesi, minime ignoravit, tamquam suspectus, est procul dubio repellendus, nisi proprio firmaverit juramento, quod postea didicerit ea quae objecerit, et ad hoc ex malitia non procedat; quia tunc etiamsi didicisset ab illis qui denuntiationis tempore siluerunt, claudi non debet eidem aditus accusandi, quoniam, etsi ab impetitione hujusmodi culpa de silentio tali contracta illos excluderet, iste tamen amoveri nequiret, cum culpabilis non existat ».

De prima autem exceptione agitur in *cap.* 5 *cit. tit.*, ubi idem Inn. III repelli mandavit matrem quae matrimonium filii accusare volebat *ut ab eo pecuniam extorqueret*, et volebat *habere pecuniam ut ab accusatione desisteret*: unde deducitur accusantes matrimonium propter turpem quaestum audiendos non esse. Si vero extranea persona habilis accusare matrimonium velit post conjugis mortem ad habendam illius haereditatem, nonnulli putant non esse repellendam (1). Contrarium sensit S. C. C. in sequenti facti specie de qua actum fuit in *Januensi Matrimonii*, 17 *Sept.* 1842. Nam matrimonium inter Annam B. et Carolum P. nullum declaratum fuerat ex capite vis et metus, et Anna, post hanc sententiam, nupserat Francisco R., cujus a pluribus annis contubernalis erat. Mortuo Francisco, sine testamento, nepotes ex fratre ad captandam haereditatem, exclusis illius filiis, petierunt facultatem probandi validum fuisse conjugium inter Annam et Carolum, et mala fide sententiam fuisse extortam, proinde fuisse nullum alterum matrimonium inter Annam et Franciscum, et omnes filios, vivente Carolo, editos fuisse adulterinos, qui patri defuncto minime succedunt ab intestato. Folium S. C. C., de hac petitione disserens, haec habet: « Illud etiam animadvertere praestat, diligenter perquisitas fuisse sacri hujus Ordinis resolutiones, et nullum reperiri potuisse exemplum, quo, ob quaestum et civiles effectus, admissa fuerit instantia accusantis matrimonium, postquam fuerant priores nuptiae judicialiter dissolutae. Praeterea nullum in praecedentibus reso-

(1) Schmalz. *IV, XVIII, n.* 27, et apud ipsum Konig. *n.* 4.

Digitized by Google

lutionibus repertum fuisse exemplum introductae nullitatis post obitum alterutrius conjugis. Unicum ac recens prostat exemplum decretae, *die* 21 *Apr.* proximi praeteriti, per S. C. particularem a Ssmo deputatam nullitatis matrimonii inter Comitissam Mathildem Perotti et Carolum Guglielmi Interamnensem, qui in pervigilio fere propositionis causae et post distributas allegationes ex hac vita migravit » (1). Proposito dubio : « An et quomodo oratorum precibus sit annuendum in casu » S. C. reposuit : « Negative in omnibus ».

1184. Quamquam vero in duabus relatis exceptionibus jus commune actionem extraneis adimat, tamen notandum est principium generale, quod instructio Austriaca § 122 tradit iis verbis : « Omnibus casibus et propter omnia impedimenta, quorum respectu jus accusandi conjugibus aut uni ipsorum haud privative competit, tribunal matrimoniale ex officio procedere debet, quam primum aut notorietate facti, aut denuntiationibus, aliove modo sufficiens suppeditet causa (2) ». Deinde vero eadem instructio docet quandonam denuntiatio satis sit, ut Ordinarius inquirat de denuntiato impedimento, et tandem, si locus est, ex officio procedat : sed de hoc postea.

1185. Caeterum persona habilis jus accusandi matrimonium conservat etiam post plures elapsos annos (nisi aliunde conjugium interim fuerit revalidatum), aut post adversam sententiam ; nam matrimonium nullum non redditur validum per lapsum temporis, idest per praescriptionem, et sententia in causis matrimonialibus numquam transit in rem judicatam : de qua re infra. Proinde quoad actionem contra matrimonium non valet dispositio civilis de praescriptione triginta vel quadraginta annorum *l.* 3, *et* 4 *C. De praescript.* (3). Schmalz. *l. c.* excipit : « Si mortui jam sint conjuges et post triginta vel quadraginta annos moveatur

(1) Sed si auctor folii magis accurate *thesaurum resolutionum S. C. C.* evolvisset, aliud exemplum invenisset in *Caesaraugustana Matrimonii*, 18 *Martii* 1870, et in *Neapolitana Matrimonii* 7 *Julii* 1736 (n. 835).

(2) Vide exemplum in cit. *Caesaraugustana Matrimonii*, 10 *Martii* 1770, quae in prima instantia apud curiam metropolitanam iudicata fuit, agente promotore fiscali.

(3) Sancti *IV, XVIII, n.* 6 ; Reiff. *n.* 8 ; Schmalz. *n.* 26 *sequ.* : Feje *n.* 584.

Digitized by Google

lis filiis super legitimitate, quod matrimonium nullum fuerit; nam hoc casu cum cesset periculum peccati, ob quod perpetua est actio contra matrimonium, nihil obstat quominus dispositio juris communis locum habeat, juxta quod actiones civiles post triginta vel quadraginta annos, accusationes criminum autem viginti annorum spatio extinguuntur ».

1186. Tandem quod attinet ad testes in causis matrimonialibus, omnes admittuntur qui rei notitiam habent, et suspecti non sunt. Ad rem Clem. III in *cap.* 3, *Qui matrimonium accusare....*: « Quod parentes, fratres et cognati utriusque sexus in testificatione suorum ad matrimonium conjungendum vel dirimendum admittantur, tam antiqua consuetudine, quam legibus approbatur. Ideo enim maxime parentes, et si defuerint parentes, proximiores admittuntur, quoniam unusquisque suam genealogiam cum testibus et chartis tum etiam ex recitatione majorum scire laborat; qui enim melius recipi debent, quam illi qui melius sciunt, et quorum est interesse, ita ut si non interfuerint et consensum non adhibuerint, secundum leges nullum fiat matrimonium? Quod vero legitur : *pater non recipiatur in causa filii, nec filius in causa patris* (1), in criminalibus causis et contractibus verum est : in matrimonio vero conjungendo et disjungendo, ex ipsius conjugii praerogativa, et quia favorabilis res est, congrue admittuntur ». Testis autem de audito non admittitur, si ille a quo audivit et in cujus auctoritate se fundat, a testimonio ferendo uti inhabilis repelleretur « cum satis videretur absurdum illos admitti, quorum repellerentur auctores » *cap.* 47, *De testibus*.....

1187. Sacri canones requirunt in causis matrimonialibus, maxime si agatur de impotentia aut matrimonii inconsummatione, *testimonium septimae manus*, ut ajunt, idest attestationem juratam septem testium ex unoquoque latere, scilicet quatuordecim testium propinquorum, vel saltem, si propinqui desunt, vicinorum ex *cap.* 5, *et* 7, *De frigidis et maleficiatis*. Videtur dici *manus*, quia est veluti auxilium ad confirmandum illud quod conjuges sub juramento depo-

(1) *Caus.* 4. 9. 3. *in Decreto.*

Digitized by Google

suerunt, et ad arcendam collusionem, quae inter ipsos conjuges fieri posset. At vero de hoc septimae manus testimonio rite animadvertit Avanzini *Acta S. Sedis vol. VI, pag.* 515 : « Interpretes sacrorum canonum valde accurate scripserunt de numero testium, qui appellantur *septima manus*, idest auxilium septem testium ex utraque parte propinquorum vel vicinorum, quorum testimonium in veteri methodo tractandi hujusmodi causas, erat auxilium praecipuum ad judicandum. Sed in praesenti disciplina animadverti ejusmodi testimonium septimae manus universim quidem requiri a S. C., sed numquam animadverti S. C. exigere adamussim septem ex una parte et septem ex alia, neque distinguere, ut interpretes faciunt, quando sit satis habere eos testes ex una tantum parte. Requirit universim testimonium septimae manus, idest aliquem numerum sive propinquorum sive vicinorum sive amicorum aliorumve, qui praesumantur rem melius de qua agitur, cognoscere ».

§ 4. — *De modo procedendi in causis matrimonialibus.*

1188. Principii loco monet cit. instructio S. C. C. § *cum itaque* : « Ea... (acta) non vernaculo sed latino sermone erunt conscribenda, exceptis tamen excipiendis, nimirum articulis, interrogatoriis, responsionibus ad ea, et peritorum relationibus ; praesertim vero decreta et sententia quae juxta priscos mores erit conficienda, latina lingua exarabuntur ».

1189. Hac autem praemissa generali animadversione, actor in primis petitionem suam exhibeat judici competenti. Hinc si agatur de dispensatione super matrimonio rato et non consummato vel de causa matrimoniali inter partes, quarum utraque vel alterutra principali fulget dignitate, petitio dirigenda est ad S. C. C., et si actor vult causam pertractari apud S. C. S. Officii, debet id in eadem petitione expostulare una cum commendatitia Ordinarii. Si vero agatur de alia causa matrimoniali in prima instantia, petitio exhibenda est Episcopo competenti, non autem S. C. C., quae hujusmodi instantias recipiens aliquando respondet : *Utatur*

Digitized by Google

(orator) *jure suo coram Ordinario* ; aliquando instantiam remittit ad Ordinarium, ut procedat.

1190. Si autem quaeratur quomodonam haec petitio redigi debeat, respondet cit. instructio S. C. S. Officii :

« § 4. Ista accusatio coram legitimo Ordinario ecclesiastico fieri debet, et quidem in scripto (1) ; si oretenus facta fuerit, judicialis reddenda erit juxta regulas communi jure traditas, scilicet efficiendo ut accusator eam repetat coram tribunali, et a cancellario in actis redigatur.

« § 5. In ea, praeter accuratam facti expositionem, enarranda erunt omnia adjuncta necessaria, et omnia indicia concurrentia ; indicandi et nominandi testes de re instructi, ut hoc modo fundamenta accusationis cognoscantur, et via tribunali sternatur veritati detegendae ».

Plerumque actor, petitionem porrigens, coram Episcopo ejusve delegato personaliter sistere debet ; alias accusatio ab eo facta qua mera denuntiatio consideranda et tractanda erit (2). At si nullum fraudis et calumniae periculum sit, Ordinarius potest petitionem recipere ab extraneo exhibitam, scriptam vel subscriptam ab actore, qui deinde in processu personaliter interrogabitur.

1191. Recepto accusationis libello, Episcopus vel per se vel per alium in primis videbit, num ipse sit competens. Si non est competens, actorem remittet ad judicem competentem ; secus ulterius videndum, num actor revera jus accusandi habeat. Si numquam illud habuit, vel habitum amisit, accusatio rejiciatur ; secus praeterea inquirendum, num accusatio serio fundamento seu juris seu facti polleat. Nam ut habet instructio Austriaca :

« § 137. Ubi accusatio matrimonii facto innitatur, quod licet verum undequaque esset, nihilominus aut absolute aut sub circumstantiis ab ipso actore expositis matrimo-

(1) Formula non est determinata. Actor penes Ordinarium uti potest etiam lingua vernacula, petitionem inscribens Episcopo ; penes S. C. C. utatur lingua latina aut italica aut etiam gallica, petitionem inscribens R. P., si agitur de dispensatione super matrimonio rato et non consummato ; secus etiam Cardinali Praefecto eam inscribere potest.

(2) Instructio Austriaca, § 127.

Digitized by Google

nium irritando impar foret, accusatio absque ulteriori inquisitione repellenda est.

« § 138. Fieri potest, ut factum cui accusatio innititur, veritate quidem ejusdem supposita, matrimonium irritaturum foret, attamen assertionis falsitas in propatulo sit. Tali casu actor de rei statu edocendus, et, ut ab accusatione desistat, commonendus est. Obsequium ipso detrectante, nisi forsan quae afferat aperte inepta vel absurda sint, accusatio per conclusum a tribunali matrimoniali debita forma conditum rejiciatur oportet ».

E contrario si ex hac praevia inquisitione resultet sententiam actori propitiam esse probabilem, Episcopus per se vel per alium totis viribus curabit matrimonium revalidari, si agatur de matrimonio nulliter inito sed revalidabili; vel partes inter se reconciliare, si agatur de divortio semipleno; vel tandem partes inter se amice componere, si agatur de sponsalibus (n. 114). Omnibus in irritum cedentibus, Episcopus ad constitutionem tribunalis procedet pro causa judicialiter examinanda (1).

1192. Quando accusatio dirigitur ad S. C. C., e. g. pro dispensatione matrimonii rati et non consummati, S. C. illam mittit ad Ordinarium dioecesis in qua matrimonium celebratum fuit, *pro informatione*. Si Ordinarius, praemissa summaria inquisitione, de qua supra, respondet accusationem omni fundamento esse destitutam, ulterius non procedatur. Si e contrario respondet accusationem seriam esse, S. C. rursus ipsam ad eumdem mittit, ut processum in forma juris instruat. Hinc, ad parcendum tempori, expedit, ut accusatio, quae primo ad S. C. dirigitur, secum ferat hanc Ordinarii commendatitiam.

1193. Quandonam denuntiatio vel fama alicujus impedimenti satis sit, ut Ordinarius hanc praeviam inquisitionem instituat, exponit instructio Austriaca:

« § 128. Denuntiationes, oretenus factae, in acta rediganturtur: si scripto proponantur, curandum est ut auctor personaliter examinetur. Omnes ad eum dirigantur interrogationes,

(1) De hoc praevia inquisitione peragenda et conciliatione curanda vide instructionem Austriacam, § 133, 134, 135, 136, 137, 138.

Digitized by Google

quae ad quaestionem facti in claram lucem vindicandam contribuere possunt.

« § 129. Denuntiationes scripto exhibitae, quarum auctores personaliter examinari nequeut, sub peculiaribus tantum rerum adjunctis pro sufficienti processus instituendi causa haberi possunt. Depositionibus tamen in iis contentis pro re nata utendum est ad ulteriores investigationes instituendas.

« § 130. Denuntiationes scripto factae quarum auctor nomen abscondit, per se sumptae, numquam sufficiunt, quae ansam praebeant ad inquirendum de matrimonii valore.

« § 131. Quod si de obtinente quodam matrimonii impedimento fama divulgetur, quae omnibus perpensis circumstantiis, attentionem meretur, tribunal matrimoniale circa fundamentum harum narrationum vel assertionum investiget, et judicet an quae eruantur, inquisitionem decerni postulent.

« § 132. Denuntiationum super impedimentis propter quae conjugibus tantum jus accusandi competit, de regula nullatenus ratio habenda est; ubi autem ex allatis liquido constet matrimonium aliquod propter ejusmodi impedimentum irritum esse, ex officio agendum est, ut vel convalidatio peragatur, vel pars, accusandi jure pollens, adversus matrimoniuum reclamet ».

1194. Porro tribunal matrimoniale componendum est illis personis, de quibus supra egimus. Harum vero « deputationes et delegationes in scriptis ab Ordinario fiant, et earum authentica documenta, vel saltem mentio in actis prostent » cit. instructio S. C. S. Officii, 20 *Junii* 1883, § 6.

1195. Constituto tribunali, defensor vinculi juramentum praestat, tactis sanctis Evangeliis, de munere suo diligenter et incorrupte adimplendo, spondens se omnia voce et scripto deducturum quae ad validitatem matrimonii sustinendam conferre judicaverit (1). Quamquam jus commune ab uno defensore vinculi juramentum exigat, tamen etiam alia tribunalis matrimonialis membra illud, tactis pariter sanctis

(1) Cit. Const. *Dei miseratione*, § 7, cit. instructio S. C. S. Officii, 20 *Junii* 1883, § 8. Instructio Austriaca, § 125.

Digitized by Google

Evangeliis, emittere solent de suo munere rite obeundo. Huic caeremoniae praestationis juramenti et actor et reus eorumque procuratores et advocati assistere possunt, sed non tenentur ; ideoque cancellarius actorem et reum monere debet de die, hora et loco hujus praestationis juramenti.

1196. Post praestitum juramentum acta processus incipiunt. Primus interrogatur actor; posterior alter conjux reus, aut ipsi conjuges, si actrix est tertia persona ; deinde testes ab actore et conjugibus indicati, et recipiuntur documenta, quae ad rem faciunt. Quaenam sit vis juratae depositionis actoris, conjugum, testium, aut receptorum documentorum ; quomodonam personae in judicium vocatae interrogari debeant, exponit lib. II Decretalium, qui est *De judiciis*, cum jus commune hac de re nihil peculiariter statuerit. Caeterum vide cit. instructionem S. C. S. Officii, 20 *Junii* 1883, § 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, et instructionem Austriacam a § 148 ad § 175, et cit. instructionem S. C. C. a § *interim*. Heic nobis quinque recoluisse sufficit.

a) Nomina testium unius partis sunt alteri parti patefacienda, quae potest exceptiones proponere, et testis alteriusve partis juramento, non autem depositioni, assistere ex *cap.* 21, *De accusationibus...*, et *cap.* 52, *De testibus...* (1).

b) Defensori matrimonii integrum est alios testes ex officio citare, aliaque documenta requirere, patefactis, ut supra, parti adversae testium nominibus.

c) Quaestiones personis in judicium vocatis proponendae concinnantur ab eodem vinculi matrimonialis defensore, qui eas tradit clausas et obsignatas cancellario, aperiendas a judice in actu examinis (2): deinde eas singillatim judex proponit personae examinatae, alias etiam addens ex officio juxta suam prudentiam, responsionesque audit et dictat cancellario (3).

(1) Buix *De judiciis p.* I, *pag.* 311, 312.

(2) S. C. C. in cit. instructione § *Praefinita die.*

(3) Quaestiones proponendae remittuntur prudentiae defensoris vinculi, et moderatoris actorum, juxta naturam causae et qualitatem personae in-

Digitized by Google

d) At quaelibet pars jus habet remittendi defensori matrimonii positiones seu articulos, quos vocant, super quibus interrogari desiderat alteram partem vel testem (1); et vinculi defensor in suis interrogatoriis harum positionum seu articulorum rationem habere debet: praecavendum enim est nequid detrimenti justa defensio capiat, et obviandum, quantum maxime fieri potest, novo testium examini.

e) Nullo jure, quod sciamus, prohibetur, quominus pars aut testis ulterius tribunali scripta exhibeat ea omnia, quae ad rem spectantia dignoscit.

1197. Si agatur de probanda impotentia antecedenti et perpetua (n. 526 sequ.), nonnulla in specie notanda sunt.

Quamquam Ecclesia semper recognoverit hanc impotentiam irritare matrimonium, tamen non semper eamdem disciplinam in causis impotentiae retinuit. Antiquitus hujusmodi causas non judicabat, respondens partes debere simul manere uti fratrem et sororem, si non poterant tamquam vir et uxor, ex *cap.* 2, *et* 4, *De frigidis...* in prima collectione, *cap.* 4 *ejusd. tit.* in Decretalibus Greg. IX, *c.* 2, *c.* 339, *q.* 1 in Decreto. Ratio erat, quia tales causae sunt maximae difficultatis, ita ut facile error facti intervenire possit: proinde causis impotentiae indiscriminatim applicabatur in praxi principium *cap.* 47, *De testibus..*: « tolerabilius est aliquos contra statuta hominum dimittere copulatos, quam conjunctos legitime contra statuta Domini separare ».

At cum experientia docuisset conjuges nec servare continentiam, nec pacifice vivere, praesertim si unus conjux erat potens, qui damnabatur ad coactum caelibatum, haec disciplina immutata fuit, et etiam ex capite impotentiae processus matrimoniales fuerunt recepti (2).

Proceduram autem tradit Caelest. III in *cap.* 5, *De frigidis...*: « Requisisti quantum tempus indulgendum sit naturaliter frigidis ad experientiam copulae nuptialis. Nos

terrogatae. Magnae utilitatis ipsis erunt pro iis interrogatoriis concinnandis documenta quae prostant in Alleg. IX.

(1) Cit. instructio S. C. S. Officii, 20 *Junii* 1883, § 16.

(2) Santi *IV, XV, n.* 11 *sequ.*; De Angelis *n.* 4.

Digitized by Google

vero in praesenti consultatione sentimus, ut a tempore celebrati conjugii, si frigiditas prius probari non possit, cohabitent per triennium; quo elapso, si nec tunc cohabitare voluerint, et, juxta decretum Gregorii mulier per justum judicium de viro probare potuerit quod cum ea coire non possit, accipiat alium; si autem ille aliam acceperit, separentur. Quod si ambo consentiant simul esse, vir eam etsi non ut uxorem, saltem habeat ut sororem. Si autem quod numquam se invicem cognoverint, ambo fatentur, cum septima manu propinquorum vel vicinorum bonae famae (si propinqui defuerint), tactis sacrosanctis evangeliis, uterque jurejurando dicat quod numquam per carnis copulam una caro effecti fuissent; et tunc videtur quod mulier valeat ad secundas nuptias convolare. Verum si ille aliam duxerit, tunc hi qui juraverunt, rei perjurii teneantur, et, peracta poenitentia, cogantur ad connubia priora redire ».

Nimirum si impotentia antecedens et perpetua signis certis constitisset, facta etiam per idoneas personas inspectione, matrimonium statim a judice nullum declarabatur, et partibus dabatur optio ut vel simul viverent ceu frater et soror, vel ad invicem separarentur. Si autem impotentiae signa dubia fuissent, imponebatur *experimentum triennale*, quo si matrimonium consummari non potuit, sententia ferebatur, ut supra. Matrimonium autem non potuisse consummari probabatur tum inspectione corporis mulieris, tum jurata confessione partium, et jurato testimonio *septimae manus*. Hanc ipsam methodum servavisse S. C. C. vide e. g. in *Romana seu Reatina Nullitatis matrimonii*, 1 *Febr.* 1766; *Senensi Matrimonii*, 28 *Feb.* 1807; *Panormitana Matrimonii*, 25 *Jan.* 1817; *Foroliviensi Nullitatis matrimonii*, 20 *Sept.* 1817.

At vero experimentum triennale deinde in desuetudinem abiit. A pluribus abhinc annis S. C. illud non amplius requirit: illud ultima vice indixit in cit. *Foroliviensi Nullitatis matrimonii*, 20 *Sep.* 1817: nec illius ullam mentionem habent seu S. C. C. seu S. C. S. Officii in citatis instructionibus. Proinde non immoramur in illis quaestionibus, quas AA. de hoc triennali experimento evolvunt. Hodie istius-

Digitized by Google

modi processus absolvuntur depositione jurata partium, jurato testimonio septimae manus, et inspectione corporum; in qua servari debet, quoad substantialia, norma tradita a S. C. C. in cit. instructione, et a S. C. S. Officii in instructione quam habes Alleg. IX, III; secus acta processus nullitate laborarent (1). Regulariter exigitur inspectio corporis utriusque conjugis, nisi unius sit plane inutilis aut impossibilis. Haec eadem procedura servatur in causis de non consummatione matrimonii (n. 1066).

1198. « Quatenus... actorum moderatori aut defensori matrimonii nulla alia probatio requirenda videatur, finis imponatur probationum collectioni, et processus publicetur, edito hac super re decreto ab ipso moderatore, a defensore matrimonii, et a cancellario subscribendo » cit. instructio S. C. S. Officii, § 20.

Post hanc publicationem acta processus partibus, earumque procuratoribus et advocatis communicantur. Haec actorum publicatio et communicatio, sicut in aliis causis, ita et in matrimonialibus, est de justitia, sed ejus omissio non vitiat processum, valetque sententia inde sequuta. Dum vero post attestationum publicationem regulariter in aliis causis novae probationes non admittuntur, in causis matrimonialibus de nullitate aut non consummatione matrimonii actorum moderator, etiam post publicationem, novos testes novaque documenta producta recipere debet (praeclusa tamen fraudibus via), cum sententia in ejusmodi causis numquam transeat in rem judicatam (2). Notat vero instructio Austriaca, § 176 : « Absoluto processu probatorio, conjuges et quicumque matrimonium accusaverit, nec non defensor matrimonii moneantur de eo quo pollent jure, in huc usque acta animadvertendi. Exceptiones si quas habeant, intra

(1) Diximus tamen *quoad substantialia :* quia e. g. in curia Parisiensi inspectio corporis mulieris fit non ab obstetricibus, sed a duobus peritis, assistente non matrona, sed religiosa ex illis quae mulieribus parturientibus opem praestant ; inspectio corporis viri fit non a quinque, sed a duobus peritis ; tandem judex, defensor matrimonii, et cancellarius numquam accedant, statuta die et hora, ad locum inspectionis ; et tamen S. C. C. acta ejusdem curiae sanare non solet.

(2) S. C. C. in cit. instructione § *Locus deinde* ; Instructio Austriaca § 177.

Digitized by Google

octiduum proponant. Ratione domicilii interesse habentium, terminus protrahi potest ita tamen ut major quam necessaria, mora non concedatur ».

1199. « Publicato processu, locus fiet defensionibus quas partes, ad sua jura tuenda, voluerint allegare, facta iisdem facultate, adhibendi eos defensores, quos maluerint: imo praemonendae erunt de hoc jure, ut, lata sententia, injustae contra eam incusationi aut reclamationi aditus praecludatur. Allegationes autem, si ab iisdem oblatae fuerint, communicandae erunt defensori vinculi matrimonialis, ut eas expendere, et quatenus matrimonii validitatem impugnent, refutare valeat » cit. instructio S. C. S. Officii, § 21. Advocatus autem partis quae matrimonii nullitatem sustinet, potest defensori vinculi respondere; defensor vinculi advocato; advocatus defensori vinculi; defensor vinculi advocato, et hic satis: sed judex potest vel jus ulterius respondendi utrique concedere, vel silentium citius imponere, dummodo defensori vinculi jus ultimo loco respondendi sarctum tectumque sit.

Quod si actorum moderator sententiam proferre non debet, post actorum publicationem, processum Romam mittit ad S. C. C. vel ad S. C. S. Officii, et inibi hujusmodi defensiones locum habent. « Omnibus superius recensitis, ait S. C. S. Officii Alleg. IX, III in fine, diligenter ab Ordinario collectis, illa ad S. C. mittere *festinabit*, decretorio ejus judicio subiicienda ».

1200. « Omnibus ut supra peractis, ad sententiam pronuntiandam veniendum erit. Quod ut ab Ordinario seu ejus delegato rite fiat, in primis a defensore matrimonii exquiri debet declaratio sibi nihil amplius deducendum, aut inquirendum superesse: deinde integra causa duobus aut tribus viris peritis, si haberi possint, examinanda subiiciatur, et, nonnisi audito eorum voto, sententia proferatur. Haec in scriptis erit exaranda, in eaque rationum momenta, quibus innititur, ex processu deprompta exponantur, succincte quidem, sed ita tamen ne quidpiam essentiale omittatur. Sententia subscriptione judicis et secretarii nec non sigillo curiae episcopalis munita partibus erit notificanda per cu-

Digitized by Google

riae apparitorem, relicto eisdem illius exemplari, de quo in scripto fides erit facienda » cit. instructio S. C. S. Officii § 22.

1201. Prolata sententia, locus est appellationi.

Si causa matrimonialis non respicit conjugii valorem, pars succumbens, quaecumque ea sit, potest appellare vel juri suo renuntiare, sicuti in omnibus aliis causis.

At si in causa agitur de matrimonii nullitate aut de dispensatione super matrimonio rato et non consummato, distinguendum utrum sententia fuerit pro validitate aut contra dispensationem, an e contrario fuerit pro nullitate aut pro dispensatione.

Si *primum*, pars succumbens potest appellare, nisi causa in prima instantia definiatur penes S. C. C. quae suae sententiae addiderit particulam *et amplius* (1); e. g. in *Parisiensi Nullitatis matrimonii*, 20 *Dec.* 1890, S. C., causam expendens in prima instantia, ad dubium : « An constet de matrimonii nullitate in casu » reposuit *negative et amplius*, judicans nimirum, rebus sic stantibus, accusationem matrimonii serio fundamento destitui, ita ut inutile esset causam rursus proponere. At pars succumbens potest etiam non appellare, quo in casu neque defensor matrimonii appellabit, et causa finita censeatur (2).

Si *alterum*, licet conjuges sententiae acquieverint, defensor matrimonii appellationem facere debebit, et novam sententiam ab alio tribunali postulare, aut novum examen, si sententia a S. C. C. prolata sit (3).

Haec regula absoluta ac generalis pro omnibus causis matrimonialibus, etsi nullitas foret certissima et evidens, non levia secumferebat incommoda (n. 1175). Hinc S. C. S.

(1) Haec particula significat causam non esse amplius proponendam, nisi quid aliud supervenerit in favorem partis succumbentis. Posita igitur haec clausula, si pars succumbens nihilominus voluerit appellare, hoc novum examen peti debet a Card. Praefecto ; qui si illud concedere haud putaverit, instantiam cum decreto : *Per memoriale, citata parte,* remittit ad ipsam S. C. (*art.* 22 *Regolamento,* 27 *Settembre* 1847).

(2) Cit. instructio S. C. S. Officii, 30 *Junii* 1883, § 23 ; Ben. XIV in cit. Const. *Dei miseratione*, § 8.

(3) Ben. XIV in cit. Const. *Dei miseratione*, § 8. Cit. instructio S. C. S. Officii *l. c.*

Digitized by Google

Officii, *feria IV*, *die* 3 *Junii* 1889, probante Pontifice, sequens tulit decretum: « Quando agitur de impedimento disparitatis cultus, et evidenter constat unam partem esse baptizatam, et alteram non fuisse baptizatam ; quando agitur de impedimento ligaminis, et certo constat primum conjugem esse legitimum et adhuc vivere ; quando denique agitur de consanguinitate aut affinitate ex copula licita, aut etiam de cognatione spirituali, vel de impedimento clandestinitatis in locis ubi decretum Tridentinum *Tametsi* publicatum est, vel uti tale diu observatum, dummodo ex certo et authentico documento, vel, in hujus defectu, ex certis argumentis evidenter constet de existentia hujusmodi impedimentorum Ecclesiae auctoritate non dispensatorum, hisce in casibus, praetermissis solemnitatibus in constitutione Apostolica *Dei miseratione* requisitis, matrimonium poterit ab Ordinariis declarari nullum, cum interventu tamen defensoris vinculi matrimonialis, quin opus sit secunda sententia ».

Praeterea si causa in prima instantia judicatur a S. C. C., haec potest, si nullitas aut non-consummatio matrimonii cum sufficienti dispensationis causa sit indubia, prohibere novam causae propositionem, nec exempla desunt.

Posita autem appellatione, partibus non licet novas nuptias inire sub gravi culpa ac poenis statutis contra illos qui matrimonium contrahunt contra interdictum Ecclesiae, et contra polygamos (1), licet matrimonium forte initum validum per se foret, si processus nullitatis declaratione terminaretur (2).

1202. Caeterum si causa matrimonialis talis est, ut sententia, forte falsa, foret nutritiva peccati, non obstante partis consensu, sententia numquam transit in rem judicatam, ideoque appellari potest etiam post terminum legalem, idest post decem dies. Talis est sententia sive pro nullitate matrimonii ex *cap.* 7, et 10, *De sententia et re judicata*, et *cap.* 6, *De frigidis... et maleficiatis*, sive pro ejusdem valore (3) ;

(1) Ben. XIV *l. c.*, § 9.
(2) Instructio Austriaca, § 199.
(3) Reiff. *II, XXVII, n.* 119.

Digitized by Google

et talis est quoque sententia pro valore sponsalium, si matrimonium sine peccato fieri nequeat. Rationem his verbis tradit cum communi Sanchez *VII*, *C*, *n.* 1 : « Quod in reliquis sententiis consensus omittentis debito tempore appellare possit aliquid operari, ac eo ipso quod non appellat, videatur consentire. Ex quo consensu sententia vires rei judicatae assumit, *cap. Quoad consultationem*, *De sent. et re jud.* ibi: *Cum per hoc videatur per interpretationem juris latae sententiae paruisse*. At in causa conjugali nequit consensus omittentis appellationem efficere, ut matrimonium cum impedimento dirimenti initum sit validum, vel ut legitime contractum dissolvatur. Quare sententia per errorem decidens illud esse validum, vel hoc dissolvendum, nulla ratione assumere potest vires rei judicatae, sive quod bis confirmata sit, sive quod ab ea non appellans censeatur consentire. Quia sententia illa transiens in rem judicatam foveret peccatum separando veros conjuges, vel uniendo eos qui tales esse nequeunt. At nullum vinculum, quantumcumque multiplicatum, potest firmare actum, ex quo peccatum consurgit ».

Ex qua ratione decidendi sequitur sententiam pro validitate matrimonii transire in rem judicatam quoties ab ea infra terminum legalem pars succumbens non appellaverit, et matrimonium, si nullum foret, solo ipsius consensu privatim posito convalesceret; nam non appellans videtur consentire sententiae seu matrimonio, et consentiens illud revalidat, ideoque nequit amplius illud accusare (1).

Quamquam vero praedictae sententiae non transeant in rem judicatam, ac proinde quocumque tempore possit novum judicium provocari, tamen expedit, ut appellatio quantocius fiat; et si defensor ipse hoc munus neglexerit, compelli ad id poterit vel a suo Episcopo, vel etiam ab illo apud quem de jure appellatio esset facienda (2).

E contrario sententia quae, etsi falsa, non foret nutritiva

(1) Reiff. *l. c. n.* 120; Sanchez *l. c. n.* 13; Glossa in *cap.* 7, *De sent. et re jud. v. permanere*.

(2) Cit. instructio S. C. de Prop. Fide § 25. Haec appellatio in curiis fieri solet statim post perlectam a judice sententiam, et cancellarius appellationis factae mentionem refert in actis.

Digitized by Google

peccati, transit semper in rem judicatam. Talis est sententia pro nullitate sponsalium (n. 25), et etiam pro validitate, si nuptiae essent licitae ; item in causa matrimoniali cujuscumque generis sententia quoad expensas (1).

1203. Appellatio autem a prima pro altera instantia fit ad tribunal superius juxta ea quae diximus n. 1167. Nimirum si sententia in prima instantia lata fuit in curia episcopali, appellatio fit ad curiam metropolitanam, licet possit etiam ad S. Sedem, praetermisso Archiepiscopo, appellari (2); si in curia metropolitana, appellatio fieri debet ad S. Sedem ; tandem si in ipsa S. C. C., appellatio proprie dicta esse nequit, sed est novum examen in eadem S. C., quod locum tenet appellationis.

1204. Judex *a quo* fit appellatio, transmittere debet ad judicem *ad quem* sententiam una cum integro processu, caeterisque omnibus ad causam iterum judicandam pertinentibus. Judex vero ad quem « omnia a primo tribunali peracta diligenter examinabit, atque ea omnia peraget quae necessaria videbuntur ut defectus suppleantur, dubia elucidentur et errores corrigantur. Hunc in finem, praesente semper vinculi defensore in curia constituto vel specialiter delegato, conjuges examinabit, investigationes instituet circa documenta priori tribunali exhibita, testes a quibus novas informationes hauriri possint, iterum audiet. Imo poterit etiam praescribere, ut novus processus ex integro conficiatur » cit. instructio S. C. S. Officii, § 26. Si hoc judex praescribit, omnia in hoc novo conficiendo processu servari debent, quae supra exposuimus. At nisi speciales gravesque rationes aliud suadeant, satius est ut delato utatur processu, iis additis quae pro animi sui securitate addenda putaverit (3). Tandem sententiam profert.

1205. A sententia alterius instantiae datur, etsi non semper, provocatio ad tertiam, et deinde quandoque etiam ad quartam in S. C. C., sed non ultra. Seriem appellationum

(1) Sanchez *l. c., n.* 11 ; Mansella *p. I, cap. VI, art. V, n.* 3.
(2) S. C. S. Officii in cit. instructione, 20 *Jun.* 1883, § 24.
(3) Mansella *l. c., n.* 13 ; Instructio Austriaca § 185, 186 ; Cit. instructio S. C. S. Officii *l. c.*

Digitized by Google

instructio Austriaca, § 179, limitat hac regula : « Appellatio admittenda est, donec matrimonii validitas per duas, aut ejus invaliditas per tres sententias conformes pronuntiata sit. Duabus sententiis pro matrimonio, et duabus contra illud militantibus, matrimonium pro valido tenendum est ». Huic autem regulae S. C. derogare utique potest pro sua prudentia, ita ut aliquando appellationem vel concedat vel deneget. Praeterea limes in appellationibus intelligendus est, salvo privilegio causarum matrimonialium, quae, non transeuntes in rem judicatam, si nova res quae non deducta vel ignorata fuerit, detegatur, semper resumi possunt.

Sed singulos casus breviter expendamus.

1206. In primis supponas appellationem a curia episcopali factam fuisse ad curiam metropolitanam, quae profert sententiam in secunda instantia.

a) Si utraque sententia fuit pro validitate matrimonii, « sciat tamen pars impugnans matrimonium, sibi adhuc omnino patere appellationem ad Apostolicam Sedem » cit. instructio S. C. S. Officii, 20 *Junii* 1883, § 20. Proinde in hoc casu regula instructionis Austriacae (vide etiam § 180 ejusdem instructionis) fallit. Facta autem appellatione, si tertia quoque sententia fuit pro validitate, ulterior appellatio non competit ; si fuit pro nullitate, defensor matrimonii ex officio petere debet quartam instantiam, quae erit definitiva.

b) Si utraque sententia sive in curia episcopali primae instantiae, sive in curia metropolitana alterius instantiae fuit pro nullitate « et ab ea pars vel defensor, pro sua conscientia, non crediderit appellandum, in potestate et arbitrio conjugum sit novas nuptias contrahere, dummodo alicui eorum ob aliquod impedimentum vel legitimam causam id vetitum non sit. Potestas tamen post alteram sententiam conformem, ut supra, conjugibus facta intelligatur, salvo semper et firmo remanente jure seu privilegio causarum matrimonialium, quae ob cujuscumque temporis lapsum numquam transeunt in rem judicatam, sed si nova res quae non deducta vel ignorata fuerit, detegatur, resumi possunt, et rursus in judicialem controversiam revocari. Quod si a

Digitized by Google

secunda sententia super nullitate vel altera pars appellaverit, vel defensor matrimonii ei, salva conscientia, acquiescendum non putet, quia sibi vel manifeste injusta vel aliunde invalida videatur, re tota ad S. Sedem delata, interim firma remaneat utrique conjugi prohibitio ad alias transeundi nuptias » cit. instructio S. C. S. Officii *l. c.* (1). Posita autem appellatione, si sententia in tertia instantia fuit etiam pro nullitate, ulterior appellatio non competit (2); si fuit pro validitate, pars succumbens potest petere quartam definitivam instantiam (3).

c) Si sententia in prima instantia fuit pro nullitate, in altera pro validitate, pars accusans matrimonium potest appellare, sed, eadem non appellante, nec defensor matrimonii appellabit, et causa finita haberi debet. Posita autem appellatione, si sententia in tertia instantia fuit pro validitate, ulterior appellatio non competit; si pro nullitate, defensor matrimonii petere debet quartam definitivam instantiam (4).

d) Tandem si sententia in prima instantia fuit pro validitate, in altera pro nullitate, matrimonii defensor appellare ex officio tenetur. Si tertia sententia confirmat primam, ulterior appellatio non competit (5); si alteram, defensor vinculi petere debet quartam instantiam, pro cujus sententia matrimonium vel validum vel invalidum habeatur (6).

Quod si modo supponas primam instantiam locum habuisse in curia episcopali aut in curia metropolitana, et alteram in S. C. C., vel utramque in S. C. C., ex dictis varios casus facile resolves.

1207. Quoad expensas in causis matrimonialibus principii loco notamus, actorem si egestate laboret, posse obtinere patrocinium prorsus gratuitum, seu, uti dicitur, ut causa pertractetur *more pauperum*. Paupertas penes S. C. C., aut curiam metropolitanam in secunda instantia, probari debet testimonio Ordinarii, qui in prima instantia habebit

(1) Ben. XIV in cit. Const. *Dei miseratione*, § 10, 11, 12.
(2) Instructio Austriaca, § 181.
(3) Instructio Austriaca *l. c.*
(4) Instructio Austriaca, § 182.
(5) Instructio Austriaca, § 181.
(6) Instructio Austriaca *cit.*, § 181.

Digitized by Google

ejusdem notitiam ex testimonio parochi vel alio sufficienti modo.

Si autem actor pauper non est, in curia episcopali aut metropolitana exigitur ab eo, ante actorum initium, aliqua pecuniae summa, jure communi non determinata, diversa pro diversis partibus, major quando agitur de nullitate matrimonii ex capite impotentiae, aut matrimonii non-consummatione, cum ex eadem pecuniae summa stipendium peritis solvi debeat (1); et si processus magnum in modum excrescat, supplementum aliquod postulatur. Hac pecuniae summa non solum solvitur peritis stipendium, sed etiam datur, juxta proportionem ab Episcopo statutam, aequa retributio personis quae operam suam in matrimoniali tribunali praestant, et amanuensi qui acta meliori calamo conscribit. Insuper actor et reus debent suo advocato, si quem assumunt, stipendium, quod pariter jure determinatum non est.

Deinde apud S. C. C. aliae sunt expensae, paulo majores, quia acta et scripturae omnes typis eduntur. Exinde jam patet expensas non esse easdem pro omnibus causis matrimonialibus. Si medietatem quamdam indicari desideras, dici potest apud S. C. C. requiri 2.000 libellas, si causa duabus vicibus proponitur; si unica tantum vice, ut aliquando rara exceptione accidit, 1.600, vel 1.700 libellas: insuper solvendum est advocato stipendium, de quo inter partem et advocatum conveniri solet, etsi habeantur antiquae leges ac nominatim *il Regolamento Gamberini*. Apud S. C. S. Officii expensae longe minores sunt; nam ad 1.000 libellas pertingere non solent, praeter advocati stipendium. Idem dicas de S. C. de Prop. Fide.

1208. Jam vero S. C. restitutionem expensarum a parte succumbente alteri faciendarum decernere non solet, uti in *Derthonen.*, 6 *Julii* 1726 *ad* 4um; *Leodicen. Residentiae*, 12 *Jun.* 1762 *ad* 3um; *Adjacen. Distributionum*, 21 *Aug. ejusd. anni* etc., nisi pars succumbens *temere litigaverit*; quod ejusdem S. C. est definire. At uxori pauperi in causa

(1) Hic Parisiis tribunal petit 1000 *francos* in aliis causis; 1500 *francos* in causis impotentiae, aut inconsummationis matrimonii.

Digitized by Google

nullitatis matrimonii recognovit sumptus litis ante litem a viro divite praestandos, etsi alimenta uxor haberet, in *Caesenaten. seu Forolivien. Matrimonii*, 24 *Febr.* 1723 ; *Mediolanensi Matrimonii*, 24 *Febr.* 1732 ; *Romana Nullitatis seu dispensationis matrimonii*, 12 *Mart.* 1853 *ad* 3um ; cit. *Neapolitana seu Romana Matrimonii super competentia seu avocatione et super subministratione*, 30 *Jan. et* 5 *Jun.* 1858. Imo in *Spoletana Dissolutionis matrimonii super expensis*, 23 *Apr.* 1763 declaravit expensas, a muliere actrice factas, esse a viro post litem restituendas. Etiam vir, si ipse pauper est et uxor dives, posset sumptus litis obtinere, quia jure canonico vir et uxor non ad imparia judicantur, ut ait Inn. III in *cap.* 8, *De divortiis.*

1209. Tandem de filiis natis ex matrimonio, quod nullum fuit declaratum, Sanchez *X*, *XX*, *n.* 11 ita docet cum communi : « Quando matrimonium bona fide initum est et postea reperitur invalidum, filius, interim conceptus, est communibus expensis alendus. Quod significare videtur textus *cap.* 2, *Qui filii sint legitimi* ibi : *De parentum facultatibus nutriantur*. Et ratio est, quia, soluto matrimonio, non est cur filius ille debeat esse onerosior patri, quam matri, cum uterque in bona fide constitutus fuerit ; ac proinde onus communiter est ferendum..... Quod si alter parens fuerit in mala fide constitutus, altero existente in bona, existimo filium alendum esse ab eo qui in mala fuit, nisi pauper sit, alius autem locuples. Quoniam ratio praedicta cessat, et non est cur conjux bonae fidei gravetur onere alendi filium, sed id onus decipienti imponendum est, nisi paupertas excuset. Quod si uterque malam habuerit fidem, jam filii inde concepti sunt illegitimi, ac proinde de alimentis eorum judicandum est instar aliorum illegitimorum ». Quinam vero ex conjugibus post declarationem nullitatis matrimonii filios apud se retinere et educare debeat, collige ex dictis n. 1119 ; caeterum in dubio res arbitrio judicis favore prolis remittitur.

Digitized by Google

APPENDIX

DE MATRIMONIO, UT AJUNT, CIVILI

1210. Matrimonium civile illud dicitur quod initur ad praescriptum legis civilis, nempe a personis habilibus juxta civilem legem, et in forma a lege civili praescripta. Status illud recognoscit, illique civiles effectus tribuit. Ignotum toti antiquitati Christianae ortum habuit ex errore, quod matrimonium etiam inter Christianos sit contractus civilis, qui regitur auctoritate status, et cui deinde ritu religioso accedit ratio sacramenti (n. 223). Primum invaluit tempore Gallicae rebellionis, et hodie apud fere omnes nationes, etiam catholicas, receptum est.

In primis videamus quaenam sit civilis legislatio in Galliis circa matrimonia, ut exinde appareat discrimen a canonica matrimoniali legislatione ; deinde sermo erit de legitimitate vel potius illegitimitate matrimonii civilis ; et tandem de civili divortio.

I

1211. Impedimenta matrimonialia in jure Gallico sequentia enumerantur :

Aetas. « *Art.* 144 : L'homme avant 18 ans révolus, la femme avant 15 ans révolus ne peuvent contracter mariage ».

« *Art.* 145 : Néanmoins il est loisible au Roi (au Président de la République) d'accorder des dispenses d'âge pour des motifs graves » (1).

1212. *Ligamen.* « *Art.* 147 : On ne peut contracter un nouveau mariage avant la dissolution du premier ». *Premier*, nempe primum matrimonium civile. *Dissolution*, sive

(1) In codice Italico vide *art.* 55, qui idem statuit, et *art.* 110, 111.

Digitized by Google

morte alterius, sive sententiâ judicis post divortii civilis legem. Polygamia et polyandria in sensu exposito gravibus poenis plectuntur. Tandem mulier non potest ex *art.* 228 alterum matrimonium inire ante decem menses devolutos a primi dissolutione : sed antea initum ajunt esse validum, ita ut in casu adsit impedimentum impediens tantummodo (1).

1213. *Consensus parentum.* « *Art.* 148 : Le fils, qui n'a pas atteint l'âge de 25 ans accomplis, la fille qui n'a pas atteint l'âge de 21 ans accomplis, ne peuvent contracter mariage sans le consentement de leurs père et mère. En cas de dissentiment, le consentement du père suffit ».

« *Art.* 149 : Si l'un des deux est mort, ou s'il est dans l'impossibilité de manifester sa volonté, le consentement de l'autre suffit. »

« *Art.* 150 : Si le père et la mère sont morts, ou s'ils sont dans l'impossibilité de manifester leur volonté, ses aïeuls et aïeules les remplacent : s'il y a dissentiment entre l'aïeul et aïeule de la même ligne, il suffit du consentement de l'aïeul ».

Art. 156 statuit poenas contra officialem civilem matrimonio assistentem, non servatis articulis praecedentibus.

Utrum autem matrimonium initum sine hoc parentum consensu nullum sit ipso jure, an potius irritandum per sententiam judicis ad parentum instantiam, non bene constat. In hac altera hypothesi haec lex foret contraria juri divino, ideoque nulla.

« *Art.* 151 : Les enfants de famille ayant atteint la majorité fixée par l'*art.* 148 sont tenus, avant de contracter mariage, de demander par un acte respectueux et formel, le conseil de leur père et de leur mère, ou celui de leurs aïeul et aïeule, lorsque leur père et leur mère sont décédés ou dans l'impossibilité de manifester leur volonté ».

Huc spectant *art.* 152, 153, 154, 155, 158, qui hanc rem melius determinant, et *art.* 157, qui statuit poenas. Sed id non constituit nisi impedimentum impediens.

« *Art.* 159 : L'enfant naturel qui n'a point été reconnu

(1) In codice Italico vide *art.* 56, et 158, qui decernit matrimonium solvi tantum morte unius.

Digitized by Google

et celui qui, après l'avoir été, a perdu ses père et mère, ou dont les père et mère ne peuvent manifester leur volonté, ne pourra avant l'âge de 21 ans révolus se marier, qu'après avoir obtenu le consentement d'un tuteur *ad hoc* qui lui sera nommé ».

« *Art.* 160 : S'il n'y a ni père, ni mère, ni aïeuls, ni aïeules, ou s'ils se trouvent tous dans l'impossibilité de manifester leur volonté, les fils ou filles mineurs de 21 ans ne peuvent contracter mariage sans le consentement du conseil de famille ».

Rursus non liquet utrum matrimonium initum, non servata dispositione horum duorum articulorum, sit nullum ipso jure, an potius irritandum (1).

1214. *Consanguinitas et affinitas.* « *Art.* 161 : En ligne directe le mariage est prohibé entre tous les ascendants et descendants légitimes, ou naturels, et les alliés au même degré ».

« *Art.* 152 : En ligne collatérale le mariage est prohibé entre le frère et la sœur légitimes, ou naturels, et les alliés au même degré ».

« *Art.* 163 : Le mariage est encore prohibé entre l'oncle et la nièce, la tante et le neveu ».

Duo notanda : Consilium status *an.* 1801 declaravit sub *art.* 163 comprehendi *le grand oncle et la petite-nièce*, *la grande tante et le petit-neveu.*

Insuper inquisitio paternitatis (*la recherche de la paternité*) est lege vetita : unde e. g. inter Titium filium naturalem Maevii non recognitum ex Francisca, et Semproniam filiam legitimam ejusdem Maevii ex conjuge Lucretia, matrimonium civile admittitur, exclusa probatione consanguinitatis : item inter Titium filium naturalem non recognitum ex Francisca ; et Semproniam filiam naturalem non recognitam ex Lucretia etc.

Art. 164 statuit Regem (Praesidem Reipublicae) ob graves rationes posse dispensare in *art.* 162, 163 (2).

(1) In codice Italico vide similes dispositiones in *art.* 63, 64, 65, 66, 67 : sed non exigitur pro majoribus *l'acte respectueux*, de quo codex Gallicus.
(2) In codice Italico huc spectant *art.* 58, 59.

Digitized by Google

1215. *Cognatio legalis.* « *Art.* 348. Le mariage est prohibé entre l'adoptant, l'adopté, et ses descendants — entre les enfants adoptifs du même individu — entre l'adopté et les enfants, qui pourraient survenir à l'adoptant — entre l'adopté et le conjoint de l'adoptant, et réciproquement entre l'adoptant et le conjoint de l'adopté » (1).

Hodie in Galliis nemo fere dubitat impedimentum cognationis legalis esse impediens tantum.

1216. *Ordo sacer* post recentem sententiam *de la Cour de cassation* non est impedimentum dirimens civile : sed ajunt esse impedimentum impediens ; quod de *solemni religiosa professione* repeti debet.

Pariter milites non admittuntur ad matrimonium, nisi exhibeant auctorizationem *du Ministre de la guerre* ; sed defectus hujus auctorizationis constituit impedimentum impediens tantum (2).

Huc usque de impedimentis matrimonialibus juris civilis Gallici.

1217. Praeterea etiam jure civili Gallico partes, caeteroquin habiles, debent consentire ut matrimonium civile valide ineant :

« *Art.* 146 : Il n'y a point de mariage lorsqu'il n'y a point de consentement ».

Proinde ad matrimonium quoque extenditur *art.* 489 de illis qui sunt *dans un état habituel d'imbécillité, de démence ou de fureur*, qui, postquam interdicti sunt, nequeunt contrahere etiam in lucido intervallo.

Item *art.* 1109, 1113 de contractibus in genere invalide initis ob vim et metum. Et *in art.* 180 agitur de nullitate postulanda propter errorem circa personam (3).

1218. Tandem forma et locus matrimonii ineundi determinantur in sequentibus articulis :

« *Art.* 63 : Avant la célébration du mariage l'officier de

(1) In codice Italico vide *art.* 60.

(2) Codex Italicus *art.* 101 recognoscit impedimentum dirimens *impotentiae*, et *art.* 62 impedimentum dirimens *criminis* homicidii alterius conjugis.

(3) In codice Italico vide *art.* 61, 105, 112, 324, 1108, 1109, 1112.

Digitized by Google

l'état civil fera deux publications à huit jours d'intervalle, un jour de dimanche, devant la porte de la maison commune. Ces publications, et l'acte qui en sera dressé énonceront les prénoms, noms, professions et domiciles des futurs époux, leur qualité de majeurs ou de mineurs, et les prénoms, noms, professions et domiciles de leurs pères et mères. Cet acte énoncera en outre les jours, lieux, et heures où les publications auront été faites : il sera inscrit sur un seul registre, qui sera coté et paraphé comme il est dit en l'article 41, et déposé à la fin de chaque année au greffe du tribunal de l'arrondissement ».

Huc spectant quoque *art.* 64, 65, 66, 67, 68, 69, 70, 71, 72, 166, 167, 168, 169.

« *Art.* 165 : Le mariage sera célébré *publiquement* devant l'officier civil du domicile de l'une des deux parties ».

« *Art.* 74 : Le mariage sera célébré dans la commune où l'un des deux époux aura son domicile. Ce domicile, quant au mariage, s'établira par six mois d'habitation continue dans la commune ».

« *Art.* 75 : Le jour désigné par les parties, après le délai des publications, l'officier de l'état civil, dans la maison commune, en présence de quatre témoins parents, ou non parents, fera lecture aux parties des pièces ci-dessus mentionnées, relatives à leur état et aux formalités du mariage, et du chapitre VI du titre *du Mariage* sur les droits et les devoirs respectifs des époux. Il recevra de chaque partie, l'une après l'autre, la déclaration qu'elles veulent se prendre pour mari et femme ; il prononcera au nom de la loi qu'elles sont unies par le mariage, et il en dressera acte sur le champ ». De quo actu agit *art.* 76 (1).

1219. Hoc matrimonium civile celebrari debet ante religiosum sub gravibus statutis poenis in Codice poenali :

« *Art.* 199 : Tout ministre d'un culte qui procédera aux cérémonies religieuses d'un mariage sans qu'il lui ait été justifié d'un acte de mariage préalablement reçu par les officiers de l'état civil, sera pour la première fois puni d'une amende de 16 francs à 100 francs.

(1) In codice Italico vide art. 70, 71, 72, 77, 92, 93, 100.

Digitized by Google

« *Art.* 200 : En cas de nouvelles contraventions de l'espèce exprimée en l'article précédent, le ministre du culte qui les aura commises sera puni, savoir : Pour la première récidive d'un emprisonnement de deux à cinq ans : et pour la seconde de la détention ».

1220. Tandem de procedura in causis matrimonialibus sive quoad matrimonium contrahendum, sive quoad matrimonium contractum agit *lib. I, tit. V, cap. III* et *IV*; de obligationibus et juribus conjugum *cap. V* et *VI*; de solutione matrimonii *cap. VII*; et tandem de secundis nuptiis *cap. VIII.*

II

1221. Legislatio civilis circa matrimonii vinculum *pro non-baptizatis* est legitima, dummodo in se rationabilis sit et ad bonum commune conducat, quia auctoritas civilis est competens. Etiam *pro baptizatis* matrimonium civile esset legitimum, si in eo tantum consisteret, quod civilis magistratus de matrimonio coram Ecclesia doceretur pro illius relatione in acta status civilis pro effectibus civilibus (n. 280); sed in hoc casu matrimonium civile improprie tantum appellaretur (n. 1210). At cum e contrario matrimonium civile, prout nostris temporibus receptum est, sit distinctum prorsus et separatum a matrimonio religioso, et vel ipsum tantum a lege recognoscatur, non autem religiosum, vel saltem utrumque recognoscatur, scilicet tum civile sine religioso, tum religiosum sine civili; hinc patet matrimonium civile in primo casu inniti duplici errori dogmatico, nempe quod auctoritas civilis competens sit in vinculum matrimoniale baptizatorum, et quod ecclesiastica non sit competens; in altero casu inniti uni tantum errori dogmatico, nempe quod auctoritas civilis (una cum ecclesiastica) competens sit. His adde innumera incommoda ex oppositione inter utramque legislationem. Hinc Ecclesia, reclamans contra hujus matrimonii civilis legem in aliqua natione latam, semper insistit in exclusiva competentia Ecclesiae in vinculum matrimoniale baptizatorum, et illa incommoda indigitat,

Digitized by Google

1222. Ex dictis sequitur graviter delinquere legislatorem, qui hoc civile matrimonium in nationem primo introducit, aut illud introductum non removet, si potest. Si ad subditos descendamus, certum pariter est peccare omnes qui de errore dogmatico legislatoris participant, habentes matrimonium civile, quatenus tale, uti verum matrimonium, nisi bona fide excusentur. Seposito autem illo errore dogmatico, matrimonium civile considerari potest tanquam mera civilis caeremonia a lege praecepta, qua declaratio veri matrimonii (iniri vel mox ineundi in facie Ecclesiae) a fidelibus fit magistratui civili; et tunc licet seu fidelibus contrahentibus, seu officiali civili in obsequium legis, et ad civiles effectus vero conjugio obtinendos. Sed ad haec melius declaranda in primis loquamur de fidelibus civilem actum ponentibus, deinde de officiali civili.

1223. In locis ubi decretum *Tametsi* viget, et pro personis quae eodem adstringuntur, in primis quisque videt civile conjugium nullum esse defectu formae Tridentinae (nisi forte officialis civilis sit ipse parochus, et insuper duo testes adsint), ita ut nec vim sponsalium habeat (n. 881); vitamque communem, quae inde sequitur, esse *verum concubinatum* lege civili probatum. Exinde sequitur filios esse illegitimos (1); qui proinde, si alicubi adest consuetudo baptizandi legitimos ritu solemniori, e. g. sonitu organi vel aeris campani, non debent eo ritu baptizari, ut reposuit S. C. C. *die* 31 *Julii* 1867; nec legitimis in libro baptizatorum accenseri debent, si legitimi et illegitimi separatim scribuntur; nec mater jus habet ad benedictionem post partum, ut eadem S. C. edixit *die* 18 *Julii* 1859. Quin imo haec benedictio in hoc casu dari non potest, quippe concubinatus quasi ratihabitio videretur (2).

Proinde parochus nullum non debet movere lapidem ut fideles qui, solo civili actu juncti, maritalem vitam ducunt cum tanto animae suae detrimento et aliorum scandalo, quantocius nuptias ineant coram Ecclesia, aut, si id nequeant aut nolint, separentur; et interim utrumque habere

(1) Ben. XIV in epist. *Redditae sunt Nobis*, 17 *Sept.* 1746, § 3.
(2) D'Annibale *III*, § 334, *not.* 1.

Digitized by Google

debet absolutione indignum, donec haud resipiscat, ac, praescriptionibus Ecclesiae se subjiciens, ad poenitentiam convertatur.

1224. At nihilominus fidelibus civile matrimonium per se licitum est, etsi officialis civilis sit haereticus vel infidelis. Id declaravit Ben. XIV in cit. epist. *Redditae sunt Nobis*. In Statibus Foederatis Belgii et Hollandiae jam introductum erat civile conjugium : omnes nimirum debebant coram magistratu civili, qui haereticus erat, contractus matrimoniales inire, neque lex matrimonium religiosum aliter celebratum recognoscebat. Catholici autem, post initum matrimonium civile, aliquando negligebant consensum renovare in forma Tridentina, et interim maritalem consuetudinem inter se habebant. Simon a S. Joseph Carmelita missionarius in Statibus Foederatis, petiit a Ben. XIV num hoc matrimonium coram magistratu civili initum valeret saltem ratione contractus. Doctissimus Pontifex *l. c.* respondet tale matrimonium inter duas partes catholicas nullum esse sive ratione sacramenti sive ratione contractus, licet inter duas partes haereticas, aut inter partem haereticam et partem catholicam validum foret. Deinde § 3 subjungit : « Sciant itaque catholici vestrae curae concrediti, cum civili magistratui, aut haeretico ministello matrimonii celebrandi causa se sistunt, actum se mere civilem exercere, quo suum erga leges et instituta Principum obsequium ostendant ». Proinde fideles licite accedunt ad civile conjugium intendentes ponere caeremoniam mere civilem, qua, in obsequium legislatoris, matrimonium religiosum (celebratum vel mox celebrandum) magistratui civili declarant ad civiles effectus obtinendos.

1225. Haec quae diximus unam patiuntur exceptionem, nempe matrimonium civile est fidelibus prorsus illicitum, quoties ritu haeretico vel idolatrico perficiatur, ut monet idem Ben. XIV in Const. *Inter omnigenas*, 2 *Febr.* 1747, et in genere quoties fideles hac occasione aliquid dicere aut facere tencantur, quod iniquum in se est. Huc spectat responsio S. C. S. Officii, 27 *Aug.* 1658. Expositum fuerat : « Cum in praedictarum provinciarum aliquibus politica

Digitized by Google

jubeant statuta, ut catholici omnes qui matrimonium inire volunt, in templis haereticis coram praedicante et populo Calvinistis contrahant sub hac formula sponsorum reciproca: *Accipio N. N. conjugem meam coram hac sancta communitate*, quaeritur, 1° an id possit permitti; 2° an possint a parocho catholico conjungi in matrimonium immediate postquam contraxerint coram praedicante et populo Calvinistis cum illa verborum formula: *Coram hac sancta communitate*, antequam de tali synagoga haeretica pro sancta agnita poeniteant ».

S. C. reposuit: « Ad 1um negative. Ad 2um: qui contraxerunt coram tali communitate pro sancta agnita, ac denuo petunt conjungi coram parocho catholico, posse et debere conjungi, antequam poeniteant. Ex charitate tamen esse monendos, ut interim poeniteant, et, si fieri potest, prius confiteantur, et imponatur illis aliqua suavis poenitentia salutaris. Qui vero prius contraxerunt coram parocho catholico monendos esse, ne compareant ad contrahendum coram praedicante et populo haeretico cum illa formula: *Coram hac sancta communitate* ».

Ita etiam in instructione jussu Pii VI exarata, et ad Episcopos Galliarum missa *die* 26 *Sept.* 1791.

1226. Imo civile matrimonium non solum fidelibus licitum est, sed etiam obligatorium *indirecte* et *per accidens*. Nam S. Poenitentiaria in instructione *diei* 15 *Jan.* 1866 docet, prout sequitur:

« ..... Ad vexationes poenasque vitandas, et ob prolis bonum, quae alioquin a laica potestate ut legitima nequaquam haberetur, tum etiam ad polygamiae periculum avertendum, opportunum et expediens videtur (1), ut iidem fideles, postquam matrimonium legitime contraxerint coram Ecclesia, se sistant actum lege decretum executuri, ea tamen intentione (uti Ben. XIV docet in Brevi *diei* 17 *Sept. an.* 1746. *Redditae sunt Nobis*) ut sistendo Gubernii Offi-

(1) D'Annibale *III*, § 334, non immerito putat a gravi peccato non excusari illos, qui civiles solemnitates praetermittunt: nam ex una parte licitae sunt ex dictis, et ex alia earum omissio gravissima pericula et damna ingerit.

Digitized by Google

ciali nil aliud faciant, quam ut civilem caeremonia exequantur.

« Iisdem de causis, nequaquam vero ut infaustae legis executioni cooperentur, parochi ad matrimonii celebrationem coram Ecclesia eos fideles qui, quoniam lege arcentur, ad civilem actum dein non admitterentur, ac proinde non haberentur ut legitimi conjuges, non ita facile ac promiscue admittant. Hac in re multa uti debebunt cautela ac prudentia, et Ordinarii consilium exposcere ; atque hic facilis ne sit ad annuendum, sed in gravioribus casibus hoc Sacrum Tribunal consulat ».

Exinde etiam sequitur parochum curare debere ut caeremoniam civilem quamprimum expleant conjuges qui matrimonium religiosum iniverunt, quamquam hoc interim uti profecto valeant.

1227. Consultius est ut fideles prius contrahant matrimonium coram Ecclesia et deinde actum civilem expleant, nisi lex civilis, uti in Galliis, vel alia vera necessitas aut gravis ratio eos cogat ut ordinem invertant. Ad rem Ben. XIV *l. c.*, postquam docuisset fideles, post matrimonium civile ante religiosum, debere maritalem consuetudinem ac nimiam inter se familiaritatem et cohabitationem sub eodem tecto evitare, subjungit : « Ad hujusmodi porro evitanda pericula cognoscimus consultius utique fore, ut catholici nonnisi matrimonio jam antea in faciem Ecclesiae inter se legitime celebrato, ad illam explendam civilem caeremoniam saecularem magistratum seu haereticum ministellum adirent. Sed quoniam ex vestris literis deprehendimus id non sine periculo et perturbationibus posse adimpleri, id saltem pro viribus satagite, ut postquam reipublicae morem illi gesserunt, non diu differant Ecclesiae legibus parere et conjugale foedus, juxta praescriptam a Tridentino normam, rite et sancte inire ». Haec confirmat S. Poenitentiaria in cit. instructione n. 7 : « Quod si opportunum est ac expedit ut fideles, sistentes se ad actum civilem peragendum, se probent legitimos conjuges coram lege, hunc tamen actum, antequam matrimonium coram Ecclesia celebraverint, peragere nequaquam debent. Et si qua coactio, aut absoluta necessitas,

Digitized by Google

quae facile admittenda non est, hujusmodi ordinis invertendi causa esset; tunc omni diligentia utendum erit ut matrimonium coram Ecclesia quamprimum contrahatur, atque interim contrahentes sejuncti consistant... »

1228. In locis ubi decretum *Tametsi* Conc. Trid. non viget, aut pro personis quae eodem non adstringuntur, ubi viget, haec statuenda sunt. Expedit omnino ut fideles prius matrimonium contrahant coram Ecclesia, et deinde actum civilem ponant, intendentes meram civilem caeremoniam in obsequium legislatoris ad matrimonii jam initi declarationem pro civilibus effectibus. Necessitate cogente, nil prohibet quominus ordinem invertant, scilicet prius actum civilem ponant, intendentes eam caeremoniam ad declarationem matrimonii ineundi, et deinde matrimonium contrahant coram Ecclesia. At si partes habiles sunt juxta Ecclesiae leges, et, actum civilem ponentes ante matrimonium coram Ecclesia, intenderint verum matrimonium, actus civilis est verum matrimonium, non quia lex civilis servata est, sed quia nil deest juxta Ecclesiae legislationem necessarium ad matrimonii validitatem. Proinde partes hoc matrimonio licite utuntur, nec debitum valent detrectare, et filii sunt legitimi: tenentur vero benedictionem sacerdotis recipere, non renovato consensu (n. 1004). At quoniam praesumitur partes non intendisse coram officiali civili verum matrimonium, hinc solent non solam benedictionem recipere, sed etiam consensum coram sacerdote exprimere, nisi aliud clare constet. Huc usque de fidelibus civile matrimonium contrahentibus.

1229. Sicuti fidelibus licitum est matrimonium civile inire, ita et civilis magistratus potest in illius celebratione assistentiam et operam praestare, dummodo et ipse intendat ponere meram civilem caeremoniam, qua declarationem recipit matrimonii initi aut mox ineundi, et nil dicat contra sanctitatem matrimonii et contra necessitatem illud contrahendi coram Ecclesia. Ben. XIV *l. c.* de officiali civili non agit, sed non semel Sedes Apostolica id declaravit, e. g. S. Poenitentiaria *die* 15 *Dec.* 1865, respondens Episcopis Provinciarum Taurinensis, Vercellensis, et Januensis. Caeterum

Digitized by Google

si Ecclesia passa est matrimonium civile a fidelibus celebrari, eo ipso debuit permittere ut officialis civilis eidem assistentiam praestaret (1). Imo etiam sacerdos officialis civilis munere fungi potest in hoc civili matrimonio, et de facto in nonnullis locis parochus est officialis civilis.

Huc spectant sequentia dubia proposita S. C. S. Officii a Vicario Apost. Sandwich:

« 1° D'après les lois du pays nous pouvons marier, et nous marions en effet des catholiques avec des catholiques, des catholiques avec des hérétiques, des catholiques avec des infidèles, des hérétiques avec des hérétiques, des hérétiques avec des infidèles, des infidèles avec des infidèles.

« 2° Pour les catholiques avec des catholiques nous suivons exactement le Rituel, et nous avons toujours soin de les confesser auparavant.

« 3° Pour les catholiques avec des hérétiques, ou les infidèles, nous confessons auparavant, pour plus grande sûreté, la partie catholique, et nous nous contentons de demander ensuite le consentement des deux parties.

« 4° Pour les autres nous ne demandons que le consentement.

« 5° Nul doute que nous puissions, en vertu de nos pouvoirs, marier des catholiques avec des catholiques, des catholiques avec des hérétiques, ou des infidèles. Mais pouvons-nous, en sûreté de conscience, comme simples officiers civils, recevoir le consentement d'un hérétique avec un hérétique, d'un hérétique avec un infidèle, d'un infidèle avec un infidèle, qui ne prétendent se marier que d'après le sens, et les termes de la loi civile, qui admet le divorce?

« 6° Lorsque les deux parties, que nous avons mariées, ne sont pas toutes deux catholiques, pouvons-nous remarier celle qui obtient un billet de divorce?

« 7° Si (ce qu'à Dieu ne plaise) deux catholiques allaient se faire marier par les ministres calvinistes avec l'intention de ne se marier que d'après le sens et les termes de la loi civile, qui admet le divorce, pourrions-nous remarier la par-

(1) Santi *IV, III, n.* 54.

Digitized by Google

tie qui obtiendrait du gouvernement la permission de se marier à un autre ?

« 8° Notre conduite dans ce cas est de marier indistinctement, et même de remarier tous ceux qui obtiennent du gouvernement la permission de se marier. Nous ne sommes inexorables, qu'envers les catholiques que nous aurions validement mariés, et qui voudraient, en vertu de la loi du divorce, se marier de nouveau ».

S. C. reposuit *Dec.* 1850 :

« Ad 1um : providebitur in sequentibus.

« Ad 2um : bene et rite se gerere.

« Ad 3um : rationem, sive modum ibi descriptum conjungendi contrahentes, de quibus agitur, minime vetari, dummodo detur consensus extra Ecclesiam, sine ulla omnino benedictione, quemadmodum recte, de more, jubet Ben. XIV *De Syn. Dioec. lib. V, cap. VIII, n.* 5. Et serventur conditiones, de quibus infra.

« Ad 4um : providebitur in sequentibus.

« Ad 5um : quoad quaesiti partem primam, viderit S. C. de Prop. utrum orator cum suis missionariis fruatur revera facultate dispensandi super mixtae religionis impedimento et disparitate cultus. In mentem tamen ejusmodi Vicarii Apost. hic opportune revocetur, matrimonia hujus generis semper esse detestanda, numquam a sacerdote catholico benedicenda, et contrahenda extra fores ecclesiae, praemissis prius tribus solitis conditionibus, quae sunt nimirum educatio totius prolis in catholica veritate, et liberum exercitium religionis catholicae, et studium catholicae partis pertrahendi alteram ad verae fidei professionem. Quoad secundam quaesiti partem, missionariis, de quibus agitur, sub quocumque respectu consideratis, vetitum esse recipere consensum tam hereticorum cum hereticis, quam infidelium cum infidelibus inter se contrahentium. Quod si Vicarius Apost. praevideat superventura damna gravissima catholicae religioni ex recusata hac missionariorum assistentia, sciat ipse missionarios, in tali hypothesi, non esse pro interim ob id inquietandos. Sed ipse quam citissime deferat omnia ad hanc S. Sedem, enuntiando eidem diligenter et

Digitized by Google

accurate, quae et quanta forent damna quae in casu imminerint, referendo insuper exactissime omnes locorum, temporum personarumve circumstantias, referendo tamen utrum nostri catholici, sive alii quicumque scandalum patiantur ob memoratam sacerdotum catholicorum assistentiam, ut S. Sedes matura deliberatione definire valeat, utrum illius regionis missionariis possit licite permitti, ut intersint praefatis connubiis tamquam officiales, ut ajunt, civiles, sive tamquam testes qualificati et auctorizabiles, sola nimirum exhibita praesentia materiali et passiva, sine ullo approbationis signo et sine ulla benedictione.

« Ad 6um et 7um: non licere nisi constet matrimonium fuisse nullum, sive ob legem divortii in pactum deductam, sive ob aliquod aliud dirimens canonicum impedimentum.

« Ad 8um: praxim de qua agitur, omnino esse vetandam, praesertim si agatur de mixtis matrimoniis fidelium cum hereticis et infidelibus. Quoad assistentiam vero, quam missionarii nostri praestant haereticis inter se contrahentibus et infidelibus, missionarios praedictos non posse licite eisdem assistere, prout responsum fuit supra ad partem 2 quaes. 5 ».

Etiam Episcopus Bardensis in Statibus Unitis Americae Septentrionalis petiit ab eadem S. C. num ipse aliusve sacerdos posset matrimoniis haereticorum assistere tamquam officialis civilis, quod legibus Reipublicae licitum est. S. C. respondit *die* 20 *Dec.* 1837 : « Si agatur de matrimonio inter duas partes haereticas, licet hujusmodi interventus non ita reprobetur, ut numquam licitus esse possit, communiter tamen esse dissuadendum. Si vero altera pars sit catholica, obtenta dispensatione ab impedimento mixtae religionis, et servatis solitis clausulis et conditionibus, licere ».

1230. Quaeritur num officialis civilis assistere possit, etiamsi sciat fideles matrimonium Christianum vel non esse contracturos ob malam ipsorum voluntatem, vel etiam non posse contrahere, obstante canonico impedimento a lege civili non recognito. Nonnulli putant assistentiam in casu esse intrinsece malam ; alii id negant ; quaestio valde implexa.

Digitized by Google

Patroni alterius sententiae hanc afferunt rationem ; quia officialis civilis assistit tamquam testis auctorizabilis pro Statu : atqui assistere actui malo aut etiam invalido tamquam testem non est ita intrinsece malum ut numquam valeat esse licitum ; et inde fit quod vel ipse parochus, testis auctorizabilis pro Ecclesia, aliquando matrimonio indignorum assistere possit (n. 447, 476 sequ.). Admittunt tamen hanc assistentiam prohiberi ex charitate ratione scandali, et ratione mali proximi, quod officialis civilis debet impedire ; sed charitas non obligat cum gravi incommodo, quod in casu verificatur tum privatum, dimittendi scilicet officium, tum publicum, quia interest societatis ut boni civiles officiales (*les Maires*) habeantur.

Clarissimus Santi *IV, III, n.* 55 *sequ.* ad positam quaestionem ita respondet :

« Omittimus hypothesim publici scandali, quod ex assistentia officialis posset in populo derivare, quo in casu solutio quaestionis penderet a qualitate scandali, quod vitandum esset.

« Restringimus hypothesim ad cooperationem, quam, secluso etiam scandalo, habere potest officialis in illicita celebratione contractus civilis, et in effectibus malis, qui inde sequuntur. Haec cooperatio per se mala est et reprehensibilis; ex lege enim charitatis nemo potest facto suo concurrere in malum proximi sui.

« Verum ex natura legis charitatis, quae in genere non obligat cum gravi praejudicio proprio, malitia cooperationis potest attenuari, imo etiam tolli si officiali praesto sint validae rationes ad assistentiam et operam suam exhibendam, simulque pro parte sua studeat evitare malum proximi sui. Gravis autem ratio ad praestandam assistentiam esset debitum officii sui, et periculum amittendi officium ipsum, quoties renueret caeremoniae matrimoniali adesse.

« Satis autem officialis studebit vitare peccatum contrahentium, si eosdem prudenter et caute admoneat eorum matrimonium esse solum caeremoniam civilem, et nihil prorsus valere coram Ecclesia ; immo ab eadem interdici ob impedimentum, quo ipsi contrahentes ligantur.

Digitized by Google

« Porro circa onus admonendi contrahentes, animadvertunt distinguendum esse inter impedimentum notorium, quod facile cognosci et demonstrari possit, et occultum vel dubium impedimentum, quod illico non cognoscitur. Officialis enim civilis non tenetur inquirere, utrum contrahentes ligentur impedimento ecclesiastico, sed solum pro ratione sui officii debet videre utrum verificetur habilitas civilis. Hinc non tenetur inquirere e. g. utrum contrahentes sint in tertio vel quarto gradu affinitatis.

« Quare merito tradunt DD. onus admonendi contrahentes urgere officiales solummodo in casu impedimenti notorii, quod facile dignosci et facile ipsis contrahentibus posset declarari, non autem in casu impedimenti occulti, quod specialem exposcit inquisitionem ut cognoscatur, nec facile contrahentibus demonstrari potest ».

Quamquam Santi non citet S. Poenitentiariam, tamen nonnulli suspicantur hanc doctrinam ex jurisprudentia ipsius S. Poenitentiariae desumpsisse, cujus fuit per plures annos canonista, et tandem Regens per paucos menses ante mortem ; secus enim homo eximiae humilitatis et timiditatis hanc doctrinam in re adeo salebrosa ita incunctanter non dedisset.

Ex quibus omnibus videtur haec doctrina tamquam probabilis in praxi sequi posse, ideoque officialem civilem posse, juxta dicta, huic matrimonio assistere. At si inter partes est impedimentum in quo Ecclesia non possit aut non soleat dispensare, vide et applica quae in specie de casu impedimenti ligaminis dicimus n. sequ.

1231. Haec quaestio nostris diebus acrius exarsit post nefastam divortii civilis legem ; scilicet quaesitum est num syndicus posset assistere matrimonio eorum qui, ligati vinculo matrimoniali coram Ecclesia, divortium civile obtinuerunt. Hac in re habentur tres responsiones, et omnes in sensu negativo. Prima est responsio S. C. S. Officii ad 6um et 7um relata n. 1229. Altera est responsio S. C. Inqu. ad 3um relata n. 1242. Tandem tertia est responsio S. Poenitentiariae *diei* 28 *Nov.* 1883 (1). Episcopus Italiae quaesiverat

(1) Bucceroni, *Enchiridion Morale, pag.* 52.

Digitized by Google

num syndicus posset assistere matrimonio civili illius, qui jam ligatus est vinculo conjugali coram Ecclesia cum tertia persona (1); et S. Poenitentiaria respondet: « Ho riferito al l'Emo Penitenziere Maggiore il caso del sindaco di cotesta diocesi, che, in forza del suo officio, dovrebbe assistere al matrimonio civile di un tale, che è già legato in faccia alla Chiesa; e per commando del lodato Emo devo significarle, che non puó il nominato sindaco in verun modo prestarsi ad un atto cosi contrario alla santità del matrimonio. Quindi *qualunque siano le circostanze del caso*, deve assolutamente astenersi da tale assistenza, *ancorchè poi ne seguisse che dovesse dimettersi* » (2).

S. Poenitentiaria, S. C. S. Officii, aut S. C. Inqu. proprie non affirmant hanc assistentiam esse intrinsece malam. Qui praeferunt theoriam, quam verbis clariss. Santi n. praec. exposuimus, eamdem etiam huic casui applicant. Nempe ajunt etiam assistentiam huic matrimonio esse officiali civili prohibitam ex charitate, quia matrimonium nullum ob impedimentum ligaminis est aeque nullum ac matrimonium nullum ob aliud impedimentum, cum *non esse non admittat magis et minus* ; at vero in casu nostro malum proximi gravius est, cum usus matrimonii civilis sit adulterium ; item scandalum gravius ; et tandem interest societatis, ne funesta divortii civilis lex radices in populi moribus figat ; proinde incommodum sufficiens ad obligationem charitatis declinandam debet esse gravissimum non privatum tantum, sed et publicum ; et de facto tale esse non solet. Quidquid de hoc sit, licet extraordinariae circumstantiae verificentur, quae maximam incommodi privati et publici

(1) In Italia non est divortium civile, et civile matrimonium auctoritas civilis non praecipit ante religiosum. Absque dubio in casu proposito agitur de viro qui post matrimonium initum coram Ecclesia, vult matrimonium civile contrahere cum tertia persona.

(2) *Latine :* Retuli Emo Card. Poenitentiario Majori casum syndici istius dioecesis, qui vi sui officii assistere deberet matrimonio civili illius qui jam coram Ecclesia ligatus est ; et ab eodem Emo Cardinali jussus sum tibi respondere hunc syndicum nullo modo posse concurrere ad actum adeo sanctitati matrimonii contrarium. Consequenter, *quaecumque tandem sint casus circumstantiae*, ipse non potest assistere, *etiamsi exinde deberet suum officium dimittere.*

Digitized by Google

gravitatem inducant, syndicus consulat Episcopum, et Episcopus S. Poenitentiariam, aut S. C. Inquis.

III

1232. Pleraeque nationes, quae in sua legislatione habent matrimonium civile, habent quoque civile divortium, Anglia, Gallia, Belgium, Helvetia, Germania, America Septentrionalis etc. Imo nonnullae, e. g. Gallia, habent tum separationem corporum, tum civile divortium, sed aliae, e. g. Germania, habent tantum civile divortium. Modo de liceitate vel illiceitate divortii civilis agendum est; et licet quae dicturi sumus, facile applicentur etiam divortio civili quoad infideles, tamen, majoris claritatis gratia, nos sermonem restringimus ad divortium civile quoad Christianos.

1233. In primis omnes admittere debent hanc legem malam esse, quatenus funestissimos parit effectus individuis, familiis, Statui, de quibus Leo XIII in encycl. *Arcanum* § *At vero* ; et innititur tum errori dogmatico contra exclusivam competentiam Ecclesiae in vinculum matrimoniale causasque matrimoniales baptizatorum, tum errori dogmatico formali contra indissolubilitatem veri matrimonii ; nam legislator, habens civile matrimonium ut verum matrimonium, putat illud esse sua lege solubile. Verum ii errores legislatoris, et illa legis incommoda satis per se non videntur, ut dicamus civile divortium *numquam* licitum esse posse, nisi ipsum quoque divortium in se, idest legis objectum, esset intrinsece malum, non obstantibus quibusvis circumstantiis, aut restrictionibus, vel Ecclesiae tolerantia ; e. g. lex matrimonii civilis tristissimos producit effectus, et innititur errori dogmatico (n. 1221), et tamen matrimonium civile, servatis servandis, licitum est. Videamus igitur num divortium civile ita in se malum sit, ut numquam possit sine peccato judex illud pronuntiare, pars petere, procurator (*avoué*) et advocatus illi patrocinari.

1234. Consulto quaestionem restringimus ad judicem, partes et procuratorem ac advocatum, seposito syndico, et actuario (*le greffier*). Nam in Gallica legislatione procedura

Digitized by Google

in causis divortii civilis usque ad mensem Aprilis 1886 erat prorsus singularis. Judex scilicet proprie loquendo non ferebat sententiam divortii, sed pronuntiabat : *Il y a lieu à prononcer le divorce*, vel quid simile et deinde syndicus divortii sententiam ferebat. Nam legislator voluit in causis divortii, ut praecederet judicis sententia de existentia causae legalis divortii, et deinde syndicus, huic sententiae innixus, divortium pronuntiaret, ut scilicet ille partes dissolveret, quae easdem ligaverat. Tunc igitur quaestio moralis etiam syndicum comprehendebat, imo magis syndicum quam judicem, quippe qui revera hoc unum declarabat, in casu adesse causam legalem divortii, quod deinde syndicus sua sententia inducebat. Sed lege *diei* 18 *Aprilis* 1886 haec procedura immutata est ; et modo in legislatione Gallica, sicuti in aliis legislationibus, judex fert sententiam divortii, quae deinde transcribitur in actis status civilis (1). Eam transcribit actuarius, qui peccare non videtur, licet sententiam divortii dicamus intrinsece malam ; nam sententia ex se vim habet, non ex transcriptione quae potius pertinet ad probationem, ita ut actuarius notet factum jam consummatum iniquum. Syndicus autem nil facit, aut ad summum jubet sententiam transcribi in actis status civilis ; quo in casu eadem repetenda esse videntur, quae diximus de actuario.

1235. Jam vero *si matrimonium religiosum non existit,* omnes admittunt civile divortium esse per se licitum, quia importat libertatem civilem partibus, quae reipsa liberae sunt : remanet incompetentia judicis laici in causis matrimonialibus, de qua tamen vide n. **1165**. Imo quamquam partibus, civili tantum matrimonio junctis, in genere enixe suadendum sit, ut potius matrimonium religiosum ineant aut revalident, tamen dari optime potest casus quo pars *teneatur* in conscientia civile divortium petere, si scilicet religiosi matrimonii celebratio aut revalidatio obtineri nequeat.

(1) Decreta et responsa Sedis Apostolicae eodem modo de judice et syndico loquuntur ; sed valde dubitamus illam procedurae Gallicae singularitatem, et mutationem subinde factam lege *diei* 18 *Aprilis* 1886 S. C. Inquis. et S. Poenitentiariae expositam fuisse ; nam plures in Galliis, etiam inter Ordinarios, et Romae plures docti viri qui hisce quaestionibus studuerunt, illam ignorant prorsus.

Digitized by Google

Porro matrimonium religiosum non existit vel 1° si numquam initum fuit; vel 2° si initum fuit cum aliquo impedimento dirimenti aut sine debito consensu, et nullum declaratum a competenti auctoritate ecclesiastica; vel 3° si initum fuit sine ullo impedimento dirimenti et cum debito consensu, sed deinde ratum et non consummatum fuit diremptum dispensatione R. P., aut solemni alterius partis religiosa professione.

1236. Quid vero *si matrimonium religiosum existit*? Sequentia certa sunt apud omnes: 1° Judicem in Galliis posse causam acceptare et ad examen revocare, deinde autem *contra divortium* sententiam ferre (n. 1165); 2° Reum semper posse sese defendere per procuratorem et advocatum contra partem petentem divortium, aut posse passive se habere; 3° Peccare partem quae petit divortium cum intentione transeundi ad novas nuptias (quae intentio de facto saepius adest); nam habet intentionem adulterium perpetrandi.

Sed videamus utrum judex in conscientia queat sententiam *pro divortio* ferre, pars eam petere ejusque petitionem procurator et advocatus sustinere, praescindendo ab ejus intentione novum contrahendi conjugium.

1237. Est duplex opinio etiam post declarationes S. C. Inquis. et S. Poenitentiariae, quas infra referimus, inter DD. catholicos Sedi Apostolicae aeque devotos.

Plures censent divortium civile in hypothesi ita illicitum esse, ut numquam sine piaculo possit judex illud pronuntiare, pars petere, procurator et advocatus defendere. Praecipuus hujus sententiae patronus in Galliis est P. Baudier S. J. in nostro Instituto catholico Parisiensi sacrae theologiae dogmaticae professor eximius. Argumentum intrinsecum ita exponimus: Divortium civile inducit civilem libertatem inter partes, idest importat partes deinceps coram lege civili nullum jus ac officium matrimoniale habere ad invicem, hinc relationes inter ipsas esse illegitimas, filios illegitimos, matrimonium ab ipsis cum tertia persona initum esse validum licitumque, relationes legitimas, filios legitimos etc. Atqui haec omnia, si matrimonium religiosum existit inter partes, ita mala

Digitized by Google

sunt, ut numquam pronuntiari a judice, peti a parte, defendi a procuratore et advocato valeant. Ergo.

Neque dicas judicem, partem, advocatum praescindere, sicuti civilem legislatorem, a vinculo religioso quod subest, et unice spectare vinculum civile, quod reipsa nihil est. Nam haec verissima erunt; sed non obstante hac abstractione, vinculum religiosum existit; et vinculum religiosum existens reddit intrinsece malam civilem partium libertatem, de qua supra.

Nec ulla paritas est inter judicem ferentem sententiam divortii civilis, et officialem civilem assistentem civili matrimonio eorum qui matrimonium religiosum nec contraxerunt, nec contracturi sunt, nec contrahere possunt, obstante impedimento dirimenti canonico. Siquidem hoc matrimonium civile est profecto iniquum; sed officialis civilis, si eidem assistere potest (n. 1230, 1231), id inde est, quia eidem *assistit* ut testis auctorizabilis pro statu, sicuti parochus assistit matrimonio religioso ut testis auctorizabilis pro Ecclesia. Atqui assistere uti testem actui iniquo potest esse licitum ex gravibus rationibus (cit. n. 1230); sed sententia judicialis cujus objectum est intrinsece malum, numquam licita esse potest.

1238. Alii putant (ut alias laxiores opiniones omittamus) divortium civile, ex justa causa, posse judicem pronuntiare, partem petere, procuratorem et advocatum defendere, dummodo intendant, et se intendere declarent unum civile matrimonium. Inter hujus opinionis patronos facile princeps est Lehmkuhl *II*, *n.* 701 in nota, qui tamen de uno judice agit; et eam sive in theoria sive in praxi retinent, saltem ut probabilem, non pauci Antistites, docti, pii, prudentes et Sedi Apostolicae addictissimi in Germania, Anglia, America, et praesertim Gallia, quorum nonnullos nos ipsi dignoscimus. Non omnes rem explicant eodem modo, sed verosimilior explicatio sequens videtur: In Galliis (nam in hac quaestione singulae legislationes examinandae sunt) divortium civile est solutio unius vinculi civilis, a religioso prorsus distincti et separati, prouti in Senatu Gallico, quando de lege civilis divortii disceptabatur, expresse quoque cautum fuit; seu est solutio

Digitized by Google

vinculi reipsa non existentis ; atqui solutio vinculi reipsa non existentis est per se moraliter indifferens ; ergo divortium civile est per se moraliter indifferens. Equidem ex hoc divortio sequitur effectus contrarius juri divino, nempe quod matrimonium religiosum privetur suis effectibus civilibus, sed hic effectus sequitur indirecte, etsi necessario ; atqui ex justa causa licitus est actus ex se indifferens, ex quo certe, sed indirecte tantum, sequitur effectus contrarius juri divino ; e. g. mulier gravida, ad vitam propriam salvandam, potest sumere potionem ex qua certo abortus causatur. Equidem ex divortii sententia utrique parti praebetur occasio peccandi, lex adeo perniciosa magis firmatur etc. ; sed haec omnia judex, pars, procurator et advocatus ex justa causa permittere potest. Ergo.

Porro haec causa, ut justa sit, debet esse aliquo modo proportionata malo quod sententia producit, ideoque causa boni publici. Talis verificatur pro judice, quia si omnes judices timoratae conscientiae officio cederent, id in grave damnum utriusque societatis vergeret. Sed non verificatur pro actore et pro procuratore ac advocato saltem voluntario qui commodum privatum prosequuntur ; nisi forte agatur de actione reconventionali praesertim ex gravi causa e. g. ad filios salvandos a comparte haeretica, impia etc., tum quia hoc bonum, licet privatum, est tamen ordinis supernaturalis, tum quia reconventionaliter agens videtur petere minus malum in eadem linea : quod et nonnulli inter patronos rigidae opinionis admittunt.

1239. Breviter exposita utraque sententia cum suis argumentis, modo videamus quid S. C. S. Inquis. et S. Poenitentiaria circa hanc quaestionem responderint.

1240. In primis est responsio S. C. Inquis. *diei* 3 *Apr.* 1877 ad Episcopum S. Galli in Helvetia. Expositum fuerat : « Lex Confoederationis Helveticae de statu et matrimonio civili lata sancivit : causas matrimoniales omnes et singulas, suppressa ex nunc et deinceps ecclesiastica jurisdictione, in tribunalibus laicorum ad normam tractandas esse quae in causis civilibus statuitur, sententias in iis proferendas esse secundum praescriptiones juris communis et novissimae

Digitized by Google

latae legis, qua matrimonia, etiam catholicorum, sub certis rationibus valde levibus, perpetuo dirimi atque quoad vinculum dissolvi possunt, ita ut ejusmodi conjuges litigantes, post latam judicum saecularium sententiam divortii, ad alia matrimonia contrahenda, si voluerint, possint transire. Quaeritur igitur :

« *Dubium quintum* : Utrum judices catholici et advocati in ejusmodi tribunalibus laicis causas matrimoniales tuta conscientia suscipere ac defendere sive cognoscere et judicare possint?

« *Dubium sextum* : Utrum iidem judices catholici et advocati secundum recentem Helvetiae legem matrimonii vinculum ut dissolvendum proponere, seu ut dissolutum declarare tuta conscientia possint, necnon declarare ejusmodi conjuges ad aliud matrimonium contrahendum posse transire, sicut lex civilis hoc in casu judicare et declarare judices expresse jubet et urget?

« In disserenda hac quaestione obliviscendum non est quod tribunalia saecularia, quorum est judicare de causis civilibus, eadem sunt quibus nova lege incumbit causas matrimoniales cognoscere et judicare. Quod si ergo judicibus catholicis vetitum fuerit ejusmodi tribunalibus interesse, in magnum damnum civium ea tribunalia iis judicibus privari experiemur, qui timore Dei repleti pie et juste judicant ».

S. C. reposuit : « *Ad quintum et sextum* : Quoad judices, recurrat in casibus particularibus. Quoad advocatos, dentur responsa jam data Episcopo Southwarcensi, nempe : *Feria III, loco IV, die* 22 *Maii* 1860 ad dubium : *Utrum advocatus catholicus possit defendere causas partis conventae contra actorem vinculi solutionem exquirentem*? Responsum fuit : *Dummodo Episcopo constet de probitate advocati, et dummodo advocatus nihil agat, quod a principiis juris naturalis et ecclesiastici deflectat, posse tolerari*. Et ad aliud dubium : *Utrum liceat advocati...* (vide n. 1165) ».

1241. In Galliis, post latam divortii civilis legem, plures Episcopi dubia proposuerunt eidem S. C. ; quae eisdem

Digitized by Google

reposuit per decretum *diei* 25 *Junii* 1885 quod retulimus cit. n. 1165. Dubitandum non est sensum hujus decreti esse illum quem *l. c.* indicavimus, scilicet tolerari posse ut causae matrimoniales, ad forum ecclesiasticum per se pertinentes, pertractentur in Gallia a tribunalibus laicalibus, quin judices et advocati officio cedere teneantur; nam sine hac Ecclesiae tolerantia partes non possent tribunal laicale in causa matrimoniali adire, et judex, procurator et advocatus deberent officium dimittere, potiusquam causam acceptare, etiamsi sententia futura esset contraria petitioni divortii, prouti explicavimus cit. n. 1165. Notandae autem sunt conditiones vel restrictiones, quibus haec tolerantia conceditur: *Dummodo catholicam doctrinam de matrimonio, deque causis matrimonialibus ad solos judices ecclesiasticos pertinentibus palam profiteantur, et dummodo ita animo comparati sint tum circa valorem et nullitatem conjugii, tum circa separationem corporum, de quibus causis judicare coguntur, ut numquam proferant sententiam, neque ad proferendam defendant, vel ad eam provocent vel excitent divino aut ecclesiastico juri repugnantem...*

1242. Relatum decretum S. C. Inquis. plures in Gallia male intellexerunt de tolerantia ipsius sententiae divortii. Hinc, cum nonnulli Episcopi aliqua dubia eidem S. C. proposuissent, sequens prodiit decretum:

« A nonnullis Galliarum Episcopis sequentia dubia S. R. et U. Inquis. proposita sunt:

« In epistola S. R. et U. Inquis., 25 *Junii* 1885, ad omnes in Gallica ditione Ordinarios circa civilis divortii legem ita decernitur: *Attentis gravissimis rerum, temporum ac locorum adjunctis, tolerari posse, ut qui magistratus obtinent et advocati causas matrimoniales in Gallia agant, quin officio cedere teneantur.* Conditiones adjecit, quarum secunda haec est: *Dummodo ita animo comparati sint tum circa valorem et nullitatem conjugii, tum circa separationem corporum, de quibus causis judicare coguntur, ut numquam proferant sententiam, neque ad proferendam defendant, vel ad eam provocent, vel excitent divino aut ecclesiastico juri repugnantem.*

Digitized by Google

« Quaeritur :

« 1° An recta sit interpretatio, per Gallias diffusa ac etiam typis data, juxta quam satisfacit conditioni praecitatae judex qui, licet matrimonium aliquod validum sit coram Ecclesia, ab illo matrimonio vero et constanti omnino abstrahit, et, applicans legem civilem, pronunciat locum esse divortio, modo solos effectus civiles solumque contractum civilem abrumpere mente intendat, eaque sola respiciant termini prolatae sententiae? Aliis terminis, an sententia sic lata dici possit divino aut ecclesiastico juri non repugnans?

« 2° Postquam judex pronuntiavit locum esse divortio, an possit syndicus (gallice *le maire*), et ipse solos effectus civiles solumque civilem contractum intendens, ut supra exponitur, divortium pronuntiare, quamvis matrimonium validum sit coram Ecclesia (1).

« 3° Pronuntiato divortio, an possit idem syndicus conjugem ad alias nuptias transire attentantem civiliter cum alio jungere, quamvis matrimonium prius validum sit coram Ecclesia vivatque altera pars?

« *Feria V, loco IV, die* 27 *Maii* 1886.

« In Congr. Gen. S. R. et U. Inquis. habita coram EE. ac RR. DD. S. R. E. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, propositis suprascriptis dubiis, ac praehabito voto DD. Consultorum, iidem EE. ac RR. DD. rescribi mandarunt: *Ad primum, secundum, et tertium dubium negative.*

« Eadem feria ac die, facta de his SSmo D. N. Leoni Papae XIII relatione, S.S. resolutiones EE. PP. approbavit et confirmavit ».

Haec responsio rigidae opinioni aperte favere videtur. Dum casus conscientiae discuteretur Romae in ecclesia S. Apollinaris *die* 11 *Martii* 1889, viri, qui mentem S. C. Inquis. optime perspectam habebant, publice affirmarunt S. C. hoc decreto sententiam divortii civilis damnavisse tamquam intrinsece illicitam. Patroni opinionis benignae variis explicationibus sese extricare conantur, inter quas sequens est,

(1) Tempore propositi dubii non judex, sed syndicus pronuntiabat divortium in Gallia, licet tempore responsionis procedura immutata fuisset (n. 1234).

Digitized by Google

conformis argumento intrinseco supra exposito. S. C. hoc decreto declarat sententiam judicis, etiam abstrahentis a matrimonio religioso, in Galliis esse contrariam juri divino aut ecclesiastico; quod verum est, cum, non obstante hac sua abstractione, privet matrimonium religiosum effectibus civilibus jure divino ipsi competentibus. At hic effectus contrarius juri divino sequitur indirecte tantum, licet necessario, cum sententia divortii civilis directe sit solutio matrimonii civilis a religioso distincti et separati; atqui, ut supra explicatum est, actio per se indifferens poni ex justa causa potest, etsi indirecte sequatur effectus malus contrarius juri divino. DD. videant quanti facienda sit haec explicatio.

1243. Citatum decretum S. C. Inquis. etiam ephemerides liberales in Belgio publicaverunt; et, illud intelligentes in sensu intrinsecae illiceitatis, ita ratiocinabantur: Eadem est legislatio in Belgio et in Galliis quoad divortium; proinde, sicuti in Galliis, ita et in Belgio judices catholici nequeunt hanc sententiam pronuntiare; et ideo catholici nequeunt judicis officium assumere, et qui illo potiti sunt, debent eidem cedere. His ad praxim deductis, actum fuisset de gubernio catholico in Belgio non solum in praesentiarum, sed et in futurum; proinde rursus abruptae relationes diplomaticae inter S. Sedem et Belgium etc. Ephemerides catholicae in difficili hac quaestione doctrinali haerebant, et argumentationem ephemeridum liberalium non solvebant. Gubernium petiit a Nuntio Apostolico quid respondendum deputatis liberalibus hac de re interpellaturis. Nuntius consuluit R. P., qui jussit hanc rem in S. C. Inquis. ad examen revocari; quae reposuit, prouti constat ex epistola Nuntii Apostolici ad Ministrum Negotiorum Exterorum in Belgio data *die* 14 *Sept.* 1886... « que le décret du 24 Mai ne concerne pas la Belgique, et que par conséquent rien n'est modifié en ce pays en ce qui touche la matière du divorce ». Hoc modo tempestas pacata fuit.

Ex hac responsione patet judices catholicos in Belgio non obligari officio cedere ob generale periculum causarum divortii; et juvenes posse officium judicis suscipere, non obstante juramento ferendi sententias ad normam

Digitized by Google

legum, quod intelligitur de legibus non contrariis juri divino vel ecclesiastico. Huc etiam spectat responsio S. C. S. Officii *diei* 26 *Julii* 1887 pro Galliis. Episcopus N. exponebat catholicum magistratum nominatum fuisse praesidem tribunalis civilis, sed paratum esse officio cedere, si sententiam divortii civilis in conscientia ferre non posset, quia in praxi haud semper possibile est vel partem actricem a sua petitione deterrere, vel ejus petitionem rejicere contra apertam legis dispositionem; et, praemissis duabus quaestionibus doctrinalibus circa divortium, Episcopus quaerebat: « 3° An onus dignitatemque praesidis tribunalis civilis possit acceptare, cum perspectum habeat quod inde erit constitutus *in strictiori necessitate ferendi saepius sententiam divortii* » S. C., silentio premens duas quaestiones doctrinales, ad casum praticum reposuit: « Excitandum summopere ab Amplitudine Tua judicem, de quo agitur, ut in officio perseveret, stando restrictionibus jam datis a S. Sede, et adhibitis cautelis, quae a virtute prudentiae suadentur ».

Sed relata responsio significatne decretum *diei* 27 *Maii* Belgium *nullo pacto* afficere, ita ut exinde deduci nequeat sententiam judicis in Belgio similem sententiae in Galliis, malam esse? Si ita esset, sequeretur decretum *diei* 27 *Maii* non tradere intrinsecam malitiam sententiae judicis in Galliis, quia responsio jus divinum declarans, uni data, omnes afficit; et ita rigida sententia praecipuo argumento destitueretur, et grave vulnus accepisset. Patroni hujus sententiae rem ita explicant. S. C. Inquis., ad gravissimas consequentias, de quibus supra, evitandas, hoc responsum dedit diplomaticum, respiciens factum tantum et non jus; idest *le décret du* 27 *Mai ne concerne pas la Belgique*, quatenus de facto datum fuit Episcopis Galliarum; *et par conséquent rien n'est modifié en ce pays en ce qui touche la matière du divorce*, quod non significat sententiam judicis in Belgio licitam esse. In eadem discussione casus conscientiae (n. 1242) affirmatum est illam revera fuisse S. C. mentem.

1244. Ulterius S. Poenitentiariae propositum fuit sequens dubium: « Mulier, vi sententiae separata a marito quoad torum, vellet ad vitam sustentandam quoddam publicum mu-

Digitized by Google

nus suscipere (*un bureau de tabac*) ; sed gubernium id non sinit, nisi petat divortium (1). Ipsa petere vellet, sed, in sua intentione, semper salvo ligamine. Parochus, qui est et illius confessarius, petit num admitti possit ad sacramenta, et lumen seu consilium circa reliqua, et infra ».

S. Poenitentiaria reposuit *die* 5 *Jan.* 1887 : « Mulieri poenitenti in casu nihil aliud esse consulendum, nisi ut a petendo divortio sub gravi se abstineat ».

1245. Eidem S. Poenitentiariae expositum fuit :

« Judex quidam Gallus, olim theologiae cultor, confessarium adiit, variisque peccatis mortalibus declaratis, subjungit : « De sententiis a me latis in materia divortii civilis nihil est quod dicam, Pater. Soleo enim divortium civile declarare, quotiescumque adsunt motiva gravissima sive ex parte mea, sive ex parte eorum qui ad me causam deduxerunt ». « Prave actum, reponit sacerdos, neque declarationem legisti qua nuper (27 *Maii* 1886) Cong. Genr. S. R. et U. Inquis. judices ita agere vetuit ? » — « Imo hanc plane novi, Pater, neque tamen peccasse existimo propter sequentes rationes : 1° Novisti et tu, Pater, responsum nomine Summi Pontificis Gubernio Belgii recentius datum a Nuntio Apostolico. Porro actus in Belgio toleratus, et in Gallia tolerari potest, recurrentibus eisdem circumstantiis, nisi certo afferatur prohibitio positiva Summi Pontificis, quae per simplicem approbationem decreti S. Officii minime constituitur. 2° Non concordant theologi circa hujusmodi decisionum valorem. 3° Denique, et hoc est rei praecipuus cardo, in propositione ex vario capite justissime damnata (27 *Maii* 1886) ne unum quidem verbum legitur *de gravissimis rationibus*, quae sive ex parte judicis sive ex parte postulantium occurrere poterunt. Cum igitur opinionibus vere probabilibus liceat uti, et rite dispositus, ut confido, peccata mortalia tibi declaraverim, humilis te rogo, Pater, absolutionem mihi impertiri velis, ad quam ex omnium doctrina jus habeo.

« Confessarius adlaborat ut poenitentem inducat ad de-

(1) Forte quia mulier, corporis tantum separatione a viro sejuncta, indiget auctorizatione mariti ad contractus ineundos.

Digitized by Google

ponendam talem sententiam, sed frustra. Aliunde, rationibus quas protulit judex, motus, non audet sententiam suam illi imponere, et poenitentem absolutum in pace demittit.

« Quaeritur utrum confessarius recte egerit? An absolutionem denegare debuisset? »

S. Poenitentiaria reposuit *die 4 Apr.* 1887 : « Confessarios teneri, circa quaestionem propositam, judices dirigere juxta receptas declarationes a S. Sede editas ».

Porro eae recentes declarationes a S. Sede editae videntur esse et responsio S. Poenitentiariae *diei* 5 *Jan.* 1887, et responsio S. C. Inquis. *diei* 25 *Jun.* 1885, et 27 *Maii* 1888.

1246. Ulterius eidem S. Poenitentiariae Episcopus Lucionensis exposuit :

« N..... Lucionensis, *cujus matrimonium validum fuit coram Ecclesia*, divortium postulavit, juxta nefandam legem quae nunc viget in Gallia, jamque judices civiles pronuntiarunt locum esse divortio. Conjux N...., ut fert *art.* 264 legis praedictae, mox se sistet cum alio conjuge coram syndico, ut ille pronuntiet divortium. Si autem syndicus pronuntiare recusaverit, absque dubio magistratu spoliabitur ; quod valde periculosum erit rei catholicae, cujus strenuum defensorem syndicus ille se semper probat.

« Quaeritur an propter gravissimas circumstantias rerum, temporum ac locorum ille syndicus possit pronuntiare divortium civile modo :

« 1° Catholicam doctrinam de matrimonio, deque causis matrimonialibus ad solos judices ecclesiasticos pertinentibus palam profiteatur ;

« 2° In ipsa sententia, et tamquam magistratus loquens, publice declaret se solos effectus civiles, solumque civilem contractum abrumpere velle, aliunde vinculum matrimonii omnino firmum remanere coram Deo et conscientia ».

S. Poenitentiaria *die* 23 *Sept.* 1887 reposuit : «... eumdem (Episcopum Lucionensem) in hoc casu particulari, si inspectis omnibus ejus adjunctis ita in Domino expedire judicaverit, tolerare posse ut syndicus orator ad actum, de quo in precibus, procedat cum declarationibus ab ipso propositis, ita tamen ut loco verborum : *solumque civilem*

Digitized by Google

contractum abrumpere velle, ponat: *solumque civilem contractum spectare posse* » (1).

1247. Publicato hoc S. Poenitentiariae rescripto, Episcopus Massiliensis statim eidem S. Poenitentiariae exposuit, ut infra:

« Repetitis licet vicibus S. Sedis oraculum quid sentiendum sit declaraverit de actu civilis judicis divortii sententiam inter conjuges ferentis legitimo matrimonio coram Ecclesia inito conjunctos, theologorum in Galliis imo et Episcoporum unus in interpretandis S. C. decretis non est sensus. Major etiam animorum confusio facta est, ex quo publicae ephemerides S. Poenitentiariae responsum evulgarunt *die* 24 *Sept.* 1887 Episcopo Ordinario Lucionensi datum, nimirum: syndicum in casu, praemissis utique debitis declarationibus, divortium pronuntiare tolerari posse; quod responsum in periodico, *Le canoniste contemporain*, scriptor aliquis ita interpretatus est ac si decreto aequivaleret permittendi generatim syndico, ut, praemissis debitis declarationibus, divortium in casu simili pronuntiet. Et aliunde ex quo idem responsum publici juris factum est, magis magisque invaluit opinio actum judicis divortii sententiam ferentis, atque syndici illud pronuntiantis, dummodo praemittantur praescriptae declarationes, non esse juri divino contrarium, nec proinde malum intrinsecum.

« Quapropter praedictus orator, utpote quia huc usque oppositam sententiam, ex decretis S. C. R. U. Inquis. hac de re latis, tamquam unice veram tenebat et docebat, supplex, ut propriae in obeundo episcopali suo munere conscientiae consulat, responsum super duplici sequenti dubio expostulat:

« 1° Utrum ex memorato S. Poenitentiariae ad Episcopum

(1) Nimirum N. sententiam divortii civilis a judice obtinuerat. Syndicus, optimus fervensque catholicus, timens ne N., post judicis sententiam, sisteret coram se divortium petiturus, consuluit parochum; parochus consuluit Episcopum; Episcopus consuluit S. Poenitentiariam, quae reposuit, ut supra. Syndicus, hoc non obstante responso, si N. divortium a se petiisset, officio cedere malebat. Sed N. divortium a syndico, qui lege *diei* 18 *Apr.* 1886 illud non amplius pronuntiat, minime expostulavit, sed per cursorem requisivit relationem latae sententiae in acta status civilis.

Digitized by Google

Ordinarium Lucionensem rescripto deducere liceat universim syndicos in Gallia, qui secus officio suo cedere cogerentur, praemissis debitis declarationibus, divortium inter conjuges in facie Ecclesiae ligatos tuta conscientia pronuntiare posse? (1)

« 2° Utrum idem dici valeat de judice civili inter similes conjuges et sub iisdem declarationibus divortii sententiam ferentis? ».

S. Poenitentiaria *die 4 Junii* 1890 reposuit:

« Ad 1um S. Poenitentiariam in rescripto, de quo agitur, edendo id unum in mente habuisse, ut casui particulari pro ejus circumstantiis et exigentiis provideret.

« Ad 2um negative ».

Jam vero ex rescriptis S. Poenitentiariae pro casu particulari datis in genere nulla regula practica pro aliis casibus particularibus deduci potest, quia nos ignoramus circumstantias particulares, fortasse in instantia non expressas, propter quas rescriptum datum fuit. At in casu nostro, cum certum omnino sit inter circumstantias propter quas rescriptum Lucionense datum fuit, non esse circumstantiam absentiae matrimonii religiosi, fatendum est hoc rescriptum non modicam facessere difficultatem contra rigidam opinionem, et difficile conciliari cum responso ad 2um S. C. Inquis. *diei* 27 *Maii* 1886 (n. 1242). Nam exinde sequitur vinculum religiosum existens non impedire, quominus *in aliquibus circumstantiis* (illis scilicet rescripti Lucionensis, quas nos forte ignoramus) tolerari possit ut syndicus, cum illis restrictionibus, sententiam divortii ferat juxta antiquam proceduram, qua potiores partes syndico erant (n. 1234). Explicationes, a rigidae sententiae patronis usque modo datae, solidae minime videntur.

1248. Huc usque quaestionem exposuimus, et decreta ac responsa quae ad ipsam attinent, retulimus. Jam vero nos in rigidam opinionem inclinamur, cui S. C. Inquis., quae in his quaestionibus suprema est, favere videtur. At in praxi Episcoporum est fideles, parochos, confessarios

(1) Hoc dubium amplius practicum non est (n. 1234).

Digitized by Google

dirigere, ut expresse etiam edixit S. C. Inquis. in fine decreti *diei* 25 *Junii* 1885 (n. 1165); qui in dubio consulent S. Poenitentiariam vel S. C. Inquis.

1249. Parti non licet petere divortium propter bonum temporale etiam magni momenti; quod deducitur ex cit. responsione S. Poenitentiariae *diei* 5 *Jan.* 1887 (n. 1244). Id admittere solent etiam patroni benignae sententiae: et consonat praxis ubique recepta; licet nonnullae curiae, extraordinariis circumstantiis concurrentibus, quandoque id permiserint. Tria tantum animadvertere liceat; 1° Pars, quae necesse habet actionem reconventionalem divortii introducere ex gravi causa e. g. ad animam filiorum salvandam, consulat Episcopum; 2° Ubi in legislatione civili non est separatio corporum, sed tantum divortium, pars quae jam obtinuit ab Ecclesia corporum separationem, aut ad eam judicio Episcopi jus habet ad normam sacrorum canonum, juxta plures etiam inter patronos rigidae opinionis, potest divortium petere, indicans in instantia se intelligere divortium semiplenum; et hanc esse praxim in his locis receptam nobis affirmatum est. 3° Dari potest casus, quo partem, quae putat se licite posse divortium petere, magis expediat, ad prudentiae regulas, relinquere in bona fide.

1250. Nec licet causam divortii sustinere procuratori ac advocato voluntario, qui scilicet ob lucrum causam acceptant, eidemque positive patrocinantur. Etiam patroni benignae sententiae id admittere solent, cum in casu agatur de bono privato; et revera si mulier nequit divortium petere ad publicum munus obtinendum necessarium pro vitae sustentatione (n. 1244), non apparet curnam possint ob lucrum petitioni patrocinari procurator et advocatus, qui unam personam cum cliente constituunt. At procurator et advocatus, qui coactus ad divortii causam agendam sub poena amittendi officium suum, paratus sit materialem tantum operam praestare, consulat Episcopum.

1251. Tandem quoad judices res est difficilior.

In locis ubi lex divortii civilis a multo tempore saevit, judices catholici bona fide sententiam proferunt, tacentibus Ordinariis et S. Sede; e. g. in Belgio. Eorum bona fides, in

Digitized by Google

praesentibus circumstantiis, turbanda minime est; quia, admissa etiam illiceitate actus, prudentia suadet non esse impediendum malum materiale cum maximo utriusque societatis incommodo. Hinc in praesentibus circumstantiis minus probamus illos, qui hanc actus illiceitatem alte et in publicis ephemeridibus praedicant; possunt enim gravissimis practicis difficultatibus locum dare. Etiam in Galliis jam haec bona fides, ob data ab Ordinariis responsa, in pluribus introducta est; et censemus ea quae diximus, esse repetenda.

Quid vero si judex consulat Ordinarium? Ordinarius, quin imponat obligationem renuntiandi officio suo, potest dare responsionem evasivam; e. g. potest respondere: Difficile est dare regulam generalem; suadeo ut in officio permaneas, cum bonis judicibus utraque indigeat societas; tu potes utique causam divortii acceptare et examinare, et quoad sententiam in casibus particularibus, juxta diversas circumstantias, judicabis prout melius in Domino putaveris. Haec aut similis responsio satis certe non est moralistae, sed saepe satis erit judici.

Dices: opinio benigna probabilis est, cum a pluribus viris doctis, et a pluribus Antistibus virtute, prudentia et doctrina praestantibus, etiam post declarationes S. C. Inquis., admittatur, eique plura ex relatis responsis favere videantur; proinde in gravissimis circumstantiis poterit Episcopus eam, ut probabilem, suadere. Fatemur haec nobis gravia videri; sed cum neque S. Poenitentiaria, neque S. C. Inquis. hoc dederint consilium, neque nos dare illud audemus. Episcopus, prae oculis habens responsa et decreta huc usque data, in difficilioribus casibus particularibus consulat potius, ut supra dictum est, S. C. Inquis. aut S. Poenitentiariam.

Digitized by Google

ALLEGATUM I

EPISTOLA ENCYCLICA SSMI D. N. LEONIS PP. XIII
DE MATRIMONIO CHRISTIANO

VENERABILIBUS FRATRIBUS PATRIARCHIS PRIMATIBUS
ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS UNIVERSIS CATHOLICI ORBIS GRATIAM
ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBUS

LEO PP. XIII

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Arcanum divinae sapientiae consilium, quod Salvator hominum Iesus Christus in terris erat perfecturus, eo spectavit, ut mundum, quasi vetustate senescentem, Ipse per se et in se divinitus instauraret. Quod splendida et grandi sententia complexus est Paullus Apostolus, cum ad Ephesios ita scriberet: *Sacramentum voluntatis suae..... instaurare omnia in Christo, quae in caelis et quae in terra sunt* (1). — Revera cum Christus Dominus mandatum facere instituit quod dederat illi Pater, continuo novam quamdam formam ac speciem rebus omnibus impertiit, vetustate depulsa. Quae enim vulnera piaculum primi parentis humanae naturae imposuerat, Ipse sanavit: homines universos, natura filios irae, in gratiam cum Deo restituit; diuturnis fatigatos erroribus ad veritatis lumen traduxit; omni impuritate confectos ad omnem virtutem innovavit; redonatisque hereditati beatitudinis sempiternae spem certam fecit, ipsum eorum corpus, mortale et caducum, immor-

(1) Ad Eph. I, 9-10.

Digitized by Google

talitatis et gloriae caelestis particeps aliquando futurum. Quo vero tam singularia beneficia, quamdiu essent homines, tamdiu in terris permanerent, Ecclesiam constituit vicariam muneris sui, eamque jussit, in futurum prospiciens, si quid esset in hominum societate perturbatum, ordinare; si quid collapsum, restituere.

Quamquam vero divina haec instauratio, quam diximus, praecipue et directo homines attigit in ordine gratiae supernaturali constitutos, tamen pretiosi ac salutares ejusdem fructus in ordinem quoque naturalem largiter permanarunt; quamobrem non mediocrem perfectionem in omnes partes acceperunt cum singuli homines, tum humani generis societas universa. Etenim, Christiano rerum ordine semel condito, hominibus singulis feliciter contigit, ut ediscerent atque adsuescerent in paterna Dei providentia conquiescere, et spem alere, quae non confundit, caelestium auxiliorum; quibus ex rebus fortitudo, moderatio, constantia, aequabilitas pacati animi, plures denique praeclarae virtutes et egregia facta consequuntur. — Societati vero domesticae et civili mirum est quantum dignitatis, quantum firmitudinis et honestatis accesserit. Aequior et sanctior effecta principum auctoritas; propensior et facilior populorum obtemperatio; arctior civium coniunctio; tutiora jura dominii. Omnino rebus omnibus, quae in civitate habentur utiles, religio Christiana consuluit et providit; ita quidem, ut, auctore S. Augustino, plus ipsa afferre momenti ad bene beateque vivendum non potuisse videatur, si esset parandis vel augendis mortalis vitae commodis et utilitatibus unice nata.

Verum de hoc genere toto non est Nobis propositum modo singula enumerare; volumus autem de convictu domestico eloqui, cujus est in *matrimonio* principium et fundamentum.

Constat inter omnes, Venerabiles Fratres, quae vera sit matrimonii origo. — Quamvis enim fidei Christianae vituperatores perpetuam hac de re doctrinam Ecclesiae fugiant agnoscere, et memoriam omnium gentium, omnium saeculorum delere jamdiu contendant, vim tamen lucemque veritatis nec extinguere nec debilitare potuerunt. Nota omnibus et nemini dubia commemoramus: posteaquam sexto creationis die formavit Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, sociam illi voluit adjungere, quam de latere viri ipsius dormientis mirabiliter eduxit. Qua in re hoc voluit providentissimus Deus, ut illud par conjugum esset cunctorum hominum naturale principium, ex quo scilicet propagari humanum genus, et, numquam intermissis procreationibus, conservari in omne tempus oporteret.

Digitized by Google

Atque illa viri et mulieris conjunctio, quo sapientissimis Dei consiliis responderet aptius, vel ex eo tempore duas potissimum, easque in primis nobiles, quasi alte impressas et insculptas praesetulit proprietates, nimirum unitatem et perpetuitatem. — Idque declaratum aperteque confirmatum ex Evangelio perspicimus divina Iesu Christi auctoritate ; qui Judaeis et Apostolis testatus est, matrimonium ex ipsa institutione sui dumtaxat inter duos esse debere, scilicet virum inter et mulierem ; ex duobus unam veluti carnem fieri ; et nuptiale vinculum sic esse Dei voluntate intime vehementerque nexum, ut a quopiam inter homines dissolvi, aut distrahi nequeat. *Adhaerebit* (homo) *uxori suae, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet* (1).

Verum haec conjugii forma, tam excellens atque praestans, sensim corrumpi et interire apud ethnicos populos coepit ; et penes ipsum Hebraeorum genus quasi obnubilari atque obscurari visa. — Nam apud hos de uxoribus susceperat consuetudo communis, ut singulis viris habere plus una liceret ; post autem, cum *ad duritiam cordis* (2) eorum indulgenter permisisset Moyses repudiorum potestatem, ad divortium factus est aditus. — In societate vero ethnicorum vix credibile videatur, quantam corruptelam et demutationem nuptiae contraxerint, quippe quae objectae fluctibus essent errorum uniuscujusque populi et cupiditatum turpissimarum. Cunctae plus minus gentes dediscere notionem germanamque originem matrimonii visae sunt ; eamque ob caussam de conjugiis passim ferebantur leges, quae esse e republica viderentur, non quas natura postularet. Solemnes ritus, arbitrio legumlatorum inventi, efficiebant ut honestum uxoris, aut turpe concubinae nomen mulieres nanciscerentur ; quin eo ventum erat, ut auctoritate principum reipublicae caveretur, quibus esset permissum inire nuptias, et quibus non esset, multum legibus contra aequitatem contendentibus, multum pro iniuria. Praeterea polygamia, polyandria, divortium caussae fuerunt, quamobrem nuptiale vinculum magnopere relaxaretur. Summa quoque in mutuis conjugum juribus et officiis perturbatio extitit, cum vir dominium uxoris acquireret, eamque suas sibi res habere, nulla saepe justa caussa, juberet ; sibi vero ad effrenatam et indomitam libidinem praecipiti impune liceret *excurrere per lupanaria et ancillas, quasi culpam dignitas faciat, non voluntas* (3). Exsuperante

(1) **Matth. xix. 5-6.**
(2) **Matth. xix, 8.**
(3) **Hieronym. *Oper.* tom. 1, col. 455.**

Digitized by Google

viri licentia, nihil erat uxore miserius, in tantam humilitatem dejecta, ut instrumentum pene haberetur ad explendam libidinem, vel gignendam sobolem comparatum. Nec pudor fuit, collocandas in matrimonium emi vendi, in rerum corporearum similitudinem (1), data interdum parenti maritoque facultate extremum supplicium de uxore sumendi. Talibus familiam ortam connubiis necesse erat aut in bonis reipublicae esse, aut in mancipio patrifamilias (2), cui leges hoc quoque posse dederant, non modo liberorum conficere et dirimere arbitratu suo nuptias, verum etiam in eosdem exercere vitae necisque immanem potestatem.

Sed tot vitiis, tantisque ignominiis, quibus erant inquinata conjugia, sublevatio tandem et medicina divinitus quaesita est; quandoquidem restitutor dignitatis humanae legumque mosaicarum perfector Iesus Christus non exiguam, neque postremam de matrimonio curam adhibuit. Etenim nuptias in Cana Galilaeae Ipse praesentia sua nobilitavit, primoque ex prodigiis a se editis fecit memorabiles (3); quibus caussis vel ex eo die in hominum conjugia novae cujusdam sanctitudinis initia videntur esse profecta. Deinde matrimonium revocavit ad primaevae originis nobilitatem, cum Hebraeorum mores improbando, quod et multitudine uxorum et repudii facultate abuterentur; tum maxime praecipiendo, ne quis dissolvere auderet quod perpetuo conjunctionis vinculo Deus ipse constrinxisset. Quapropter cum difficultates diluisset ab institutis mosaicis in medium allatas, supremi legislatoris suscepta persona, haec de conjugibus sanxit: *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur; et qui dimissam duxerit, moechatur* (4).

Verum quae auctoritate Dei de coniugiis decreta et constituta sunt, ea nuncii divinarum legum Apostoli plenius et enucleatius memoriae litterisque prodiderunt. Jamvero Apostolis magistris accepta referenda sunt, quae *sancti Patres nostri, Concilia et universalis Ecclesiae traditio semper docuerunt* (5), nimirum Christum Dominum ad sacramenti dignitatem evexisse matrimonium; simulque effecisse ut conjuges, caelesti gratia quam merita ejus pepererunt septi ac muniti, sanctitatem in ipso conjugio adipisce-

(1) Arnob. *adv. Gent.* 4.
(2) Dionys. Halicar. lib. II, c. 26, 27.
(3) Ioan. II.
(4) Matth. XIX, 9.
(5) Trid. sess. XXIV, in pr.

Digitized by Google

rentur : atque in eo, ad exemplar mystici connubii sui cum Ecclesia mire conformato, et amorem qui est naturae consentaneus perfecisse (1), et viri ac mulieris individuam suapte natura societatem divinae caritatis vinculo validius conjunxisse. *Viri*, Paullus inquit ad Ephesios, *diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illum sanctificaret... Viri debent diligere uxores suas ut corpora sua... nemo enim unquam carnem suam odio habuit ; sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam ; quia membra sumus corporis eius, de carne eius et de ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est : ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (2). — Similiter Apostolis auctoribus didicimus unitatem, perpetuamque firmitatem, quae ab ipsa requirebatur nuptiarum origine, sanctam esse et nullo tempore violabilem Christum jussisse. *Iis qui matrimonio iuncti sunt*, idem Paullus ait, *praecipio non ego, sed Dominus uxorem a viro non discedere ; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari* (3). Et rursus : *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit : quod si dormierit vir ejus, liberata est* (4). — Hisce igitur caussis matrimonium extitit *sacramentum magnum* (5), *honorabile in omnibus* (6), pium, castum, rerum altissimarum imagine et significatione verendum.

Neque iis dumtaxat quae commemorata sunt, Christiana ejus perfectio absolutioque continetur. Nam primo quidem nuptiali societati excelsius quiddam et nobilius propositum est, quam antea fuisset : ea enim spectare jussa est non modo ad propagandum genus humanum, sed ad ingenerandam Ecclesiae sobolem, *cives Sanctorum et domesticos Dei* (7) ; *ut* nimirum *populus ad veri Dei et Salvatoris nostri Christi cultum et religionem procrearetur atque educaretur* (8). — Secundo loco sua utrique conjugum sunt officia definita, sua jura integre descripta. Eos scilicet ipsos necesse est sic esse animo semper affectos, ut amorem maximum, constantem fidem, sollers assiduumque praesidium alteri alterum debere intelligant. — Vir est familiae princeps, et caput mulie-

(1) Trid. sess. XXIV, cap, 1. *de reform. matr.*
(2) Ad Ephes. v, 25 et seqq.
(3) I. Cor. VII, 10-11.
(4) Ibid. v. 39.
(5) Ad Eph. v. 32.
(6) Ad Hebr. XIII, 4.
(7) Ad. Eph. II, 19.
(8) Catech. Rom. cap. VII.

Digitized by Google

ris ; quae tamen, quia caro est de carne illius et os de ossibus ejus, subiiciatur pareatque viro, in morem non ancillae, sed sociae ; ut scilicet obedientiae praestitae nec honestas, nec dignitas absit. In eo autem qui praeest, et in hac quae paret, cum imaginem uterque referant alter Christi, altera Ecclesiae, divina caritas esto perpetua moderatrix officii. Nam *vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae... Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus* (1). — Ab liberos quod pertinet, subesse et obtemperare parentibus, hisque honorem adhibere propter conscientiam debent ; et vicissim in liberis tuendis atque ad virtutem potissimum informandis omnes parentum curas cogitationesque evigilare necesse est : *Patres.... educate illos* (filios) *in disciplina et correptione Domini* (2). Ex quo intelligitur, nec pauca esse conjugum officia, neque levia ; ea tamen conjugibus bonis, ob virtutem quae Sacramento percipitur, non modo tolerabilia fiunt, verum etiam jucunda.

Christus igitur, cum ad talem ac tantam excellentiam matrimonia renovavisset, totam ipsorum disciplinam Ecclesiae credidit et commendavit. Quae potestatem in conjugia Christianorum omni cum tempore, tum loco exercuit, atque ita exercuit, ut illam propriam eius esse appareret, nec hominum concessu quaesitam, sed auctoris sui voluntate divinitus adeptam. — Quot vero et quam vigiles curas in retinenda sanctitate nuptiarum collocarit, ut sua his incolumitas maneret, plus est cognitum quam ut demonstrari debeat. — Et sane improbatos novimus Concilii Hierosolymitani sententia amores solutos et liberos (3) ; civem Corinthium incesti damnatum beati Paulli auctoritate (4); propulsatos ac rejectos eodem semper tenore fortitudinis conatus plurimorum, matrimonium Christianum hostiliter petentium, videlicet Gnosticorum, Manichaeorum, Montanistarum sub ipsa rei Christianae primordia ; nostra autem memoria Mormonum, Sansimonianorum, Phalansterianorum, Communistarum. — Simili modo ius matrimonii aequabile inter omnes atque unum est constitutum, vetere inter servos et ingenuos sublato discrimine (5) ; exaequata viri et uxoris jura ; etenim, ut aiebat Hieronymus (6), *apud nos quod non licet feminis, aeque non licet viris, et eadem servitus pari conditione*

(1) Ad Eph. v, 23-24.
(2) Ad Eph. vi, 4.
(3) Act. xv, 29.
(4) I. Cor. v, 5.
(5) Cap. 1 *deconiug. serv.*
(6) Oper. tom. i, col. 455.

Digitized by Google

censetur: atque illa eadem jura ob remunerationem benevolentiae et vicissitudinem officiorum stabiliter firmata ; adserta et vindicata mulierum dignitas; vetitum viro poenam capitis de adultera sumere (1), juratamque fidem libidinose atque impudice violare. — Atque illud etiam magnum est quod de potestate patrumfamilias Ecclesia, quantum oportuit, limitaverit, ne filiis et filiabus conjugii cupidis quidquam de justa libertate minueretur (2); quod nuptias inter cognatos et affines certis gradibus nullas esse posse decreverit (3), ut nimirum supernaturalis conjugum amor latiore se campo diffunderet; quod errorem et vim et fraudem, quantum potuit, a nuptiis prohibenda curaverit (4); quod sanctam pudicitiam thalami, quod securitatem personarum (5), quod conjugiorum decus (6), quod religionis incolumitatem (7) sarcta tecta esse voluerit. Denique tanta vi, tanta providentia legum divinum istud institutum communiit, ut nemo sit rerum aequus existimator, quin intelligat, hoc etiam ex capite quod ad coniugia refertur, optimam esse humani generis custodem ac vindicem Ecclesiam ; cuius sapientia et fugam temporum, et injurias hominum, ei rerum publicarum vicissitudines innumerabiles victrix evasit.

Sed, adnitente humani generis hoste, non desunt qui, sicut cetera redemptionis beneficia ingrate repudiant, sic restitutionem perfectionemque matrimonii aut spernunt, aut omnino non agnoscunt. — Flagitium nonnullorum veterum est, inimicos fuisse nuptiis in aliqua ipsarum parte ; sed multo aetate nostra peccant perniciosius qui earum naturam, perfectam expletamque omnibus suis numeris et partibus, malunt funditus pervertere. Atque huius rei caussa in eo praecipue sita est, quod imbuti falsae philosophiae opinionibus corruptaque consuetudine animi plurimorum, nihil tam moleste ferunt, quam subesse et parere ; acerrimeque laborant, ut non modo singuli homines, sed etiam familiae atque omnis humana societas imperium Dei superbe contemnant. — Cum vero et familiae et totius humanae societatis in matrimonio fons et origo consistat, illud ipsum jurisdictioni Ecclesiae

(1) Can. *Interfectores*, et Can. *Admonere*, quaest. 2.
(2) Cap. 30, quaest. 3, cap. 8 *de cognat. spirit.*
(3) Cap. 8 *de consang. et affin.* ; cap. 1 *de cognat. legali.*
(4) Cap. 26 *de sponsal.*; capp. 13, 15, 29 *de sponsal. et matrim.*, et alibi.
(5) Cap. 1 *de convers. infid.* ; capp. 5 et 6 *de eo qui duxit in matr.*
(6) Capp. 3, 5 et 8 *de sponsal. et matr.* Trid. sess. XXIV, cap. 3 *de reform. matr.*
(7) Cap. 7 *de divort.*

Digitized by Google

subesse nullo modo patiuntur; imo dejicere ab omni sanctitate contendunt, et in illarum rerum exiguum sane gyrum compellere, quae auctoribus hominibus institutae sunt, et jure civili populorum reguntur atque administrantur. Unde sequi necesse erat, ut principibus reipublicae jus in connubia omne tribuerent, nullum Ecclesiae esse decernerent; quae si quando potestatem ejus generis exercuit, id ipsum esse aut indulgentia principum, aut injuria factum. Sed jam tempus esse inquiunt, ut qui rempublicam gerunt, iidem sua iura fortiter vindicent, atque omnem conjugiorum rationem arbitrio suo moderari aggrediantur. — Hinc illa nata, quae *matrimonia civilia* vulgo appellantur ; hinc scitae leges de caussis, quae conjugiis impedimento sint; hinc judiciales sententiae de contractibus conjugalibus, iure ne initi fuerint, an vitio. Postremo omnem facultatem in hoc genere juris constituendi edicundi videmus Ecclesiae catholicae praereptam tanto studio, ut nulla jam ratio habeatur nec divinae potestatis ejus, nec providarum legum, quibus tamdiu vixere gentes, ad quas urbanitatis lumen cum Christiana sapientia pervenisset.

Attamen *Naturalistae* iique omnes, qui reipublicae numen se maxime colere profitentes, malis hisce doctrinis totas civitates miscere nituntur, non possunt reprehensionem falsitatis effugere. Etenim cum matrimonium habeat Deum auctorem, fueritque vel a principio quaedam Incarnationis Verbi Dei adumbratio, idcirco inest in eo sacrum et religiosum quiddam, non adventitium, sed ingenitum, non ab hominibus acceptum, sed natura insitum. Quocirca Innocentius III (1) et Honorius III (2), decessores Nostri, non injuria nec temere affirmare potuerunt, *apud fideles et infideles existere Sacramentum coniugii.* Testamur et monumenta antiquitatis, et mores atque instituta populorum, qui ad humanitatem magis accesserant et exquisitiore juris et aequitatis cognitione praestiterant: quorum omnium mentibus informatum anticipatumque fuisse constat, ut cum de matrimonio cogitarent, forma occurreret rei cum religione et sanctitate conjunctae. Hanc ob caussam nuptiae apud illos non sine caeremoniis religionum, auctoritate pontificum, ministerio sacerdotum fieri saepe consueverunt. — Ita magnam in animis caelesti doctrina carentibus vim habuit natura rerum, memoria originum, conscientia generis humani ! — Igitur cum matrimonium sit sua vi, sua natura, sua sponte sacrum, consentaneum est, ut regatur ac temperetur non

(1) Cap. 8 *de divort.*
(2) Cap. 11 *de transact.*

Digitized by Google

principum imperio, sed divina auctoritate Ecclesiae, quae rerum sacrarum sola habet magisterium. — Deinde consideranda sacramenti dignitas est, cujus accessione matrimonia Christianorum evasere longe nobilissima. De sacramentis autem statuere et praecipere, ita, ex voluntate Christi, sola potest et debet Ecclesia, ut absonum sit plane potestatis ejus vel minimam partem ad gubernatores rei civilis velle esse translatam. — Postremo magnum pondus est, magna vis historiae, qua luculenter docemur, potestatem legiferam et judicialem, de qua loquimur, libere constanterque ab Ecclesia usurpari consuevisse iis etiam temporibus, quando principes reipublicae consentientes fuisse aut conniventes in ea re, inepte et stulte fingeretur. Illud enim quam incredibile, quam absurdum, Christum Dominum damnasse polygamiae repudiique inveteratam consuetudinem delegata sibi a procuratore provinciae vel a principe Iudaeorum potestate; similiter Paullum Apostolum divortia incestasque nuptias edixisse non licere, cedentibus aut tacite mandantibus Tiberio, Caligola, Nerone! Neque illud unquam homini sanae mentis potest persuaderi, de sanctitate et firmitudine conjugii (1), de nuptiis servos inter et ingenuas (2), tot esse ab Ecclesia conditas leges, impetrata facultate ab Imperatoribus romanis, inimicissimis nomini Christiano, quibus nihil tam fuit propositum, quam vi et caede religionem Christi opprimere adolescentem: praesertim cum jus illud ab Ecclesia profectum a civili jure interdum adeo dissideret, ut Ignatius Martyr (3), Iustinus (4), Athenagoras (5) et Tertullianus (6), tamquam injustas vel adulterinas publice traducerent nonnullorum nuptias, quibus tamen imperatoriae leges favebant. — Postea vero quam ad Christianos Imperatores potentatus omnis reciderat, Pontifices maximi et Episcopi in Concilia congregati, eadem semper cum libertate conscientiaque juris sui, de matrimoniis jubere vetare perseverarunt quod utile esse, quod expedire temporibus censuissent, utcumque discrepans ab institutis civilibus videretur. Nemo ignorat quam multa de impedimentis ligaminis, voti, disparitatis cultus, consanguinitatis, criminis, publicae honestatis in Conciliis Illiberitano (7), Arelatensi (8), Chalcedonen-

(1) Can. Apost. 16, 17, 18.
(2) Philosophum. Oxon. 1851.
(3) Epist. ad Polycarp. cap. 5.
(4) Apolog. mai. n. 15.
(5) Legat. pro Christian. nn. 32, 33.
(6) De coron. milit. cap. 13.
(7) De Aguirre, Conc. Hispan. tom. I. can. 13, 15, 16, 17.
(8) Harduin., Act. Concil. tom. I. can. 11.

Digitized by Google

si (1), Milevitano II (2) aliisque, fuerint ab Ecclesiae praesulibus constituta, quae a decretis jure imperatorio sancitis longe saepe distarent. — Quin tantum abfuit, ut viri principes sibi adsciscerent in matrimonia Christiana potestatem, ut potius eam, quanta est, penes Ecclesiam esse agnoscerent et declararent. Revera Honorius, Theodosius junior, Iustinianus (3) fateri non dubitarunt, in iis rebus quae nuptias attingant, non amplius quam custodibus et defensoribus sacrorum canonum sibi esse licere. Et de connubiorum impedimentis si quid per edicta sanxerunt, caussam docuerunt non inviti, nimirum id sibi sumpsisse ex Ecclesiae permissu atque auctoritate (4) ; cujus ipsius judicium exquirere et reverenter accipere consueverunt in controversiis de honestate natalium (5), de divortiis (6), denique de rebus omnibus cum conjugali vinculo necessitudinem quoquo modo habentibus (7). — Igitur jure optimo in Concilio Tridentino definitum est in Ecclesiae potestate esse *impedimenta matrimonium dirimentia constituere* (8), *et caussas matrimoniales ad judices ecclesiasticos spectare* (9).

Nec quemquam moveat illa tantopere a Regalistis praedicata distinctio, vi cujus contractum nuptialem a sacramento disjungunt, eo sane consilio, ut, Ecclesiae reservatis sacramenti rationibus, contractum tradant in potestatem arbitriumque principum civitatis. — Etenim non potest hujusmodi distinctio, seu verius distractio, probari ; cum exploratum sit in matrimonio Christiano contractum a sacramento non esse dissociabilem ; atque ideo non posse contractum verum et legitimum consistere, quin sit eo ipso sacramentum. Nam Christus Dominus dignitate sacramenti auxit matrimonium ; matrimonium autem est ipse contractus, si modo sit factus jure. — Huc accedit, quod ob hanc caussam matrimonium est sacramentum, quia est sacrum signum et efficiens gratiam, et imaginem referens mysticarum nuptiarum Christi cum Ecclesia. Istarum autem forma ac figura illo ipso exprimitur summae conjunctionis vinculo, quo vir et mulier inter se conligantur, quodque aliud nihil est, nisi ipsum matrimonium. Itaque

(1) Ibid. can. 16.
(2) Ibid. can. 17.
(3) Novel. 137.
(4) Fejer *Matrim. ex instit. Christ.* Pest. 1835.
(5) Cap. 3 *de ordin. cognit.*
(6) Cap. 3 *de divort.*
(7) Cap. 13 *qui filii sint legit.*
(8) Trid. sess. XXIV, can. 4.
(9) Ibid. can. 12.

Digitized by Google

apparet, omne inter Christianos iustum coniugium in se et per se esse sacramentum: nihilque magis abhorrere a veritate, quam esse sacramentum decus quoddam adiunctum, aut proprietatem allapsam extrinsecus, quae a contractu disiungi ac disparari hominum arbitratu queat. — Quapropter nec ratione efficitur, nec teste temporum historia comprobatur potestatem in matrimonia Christianorum ad Principes reipublicae esse iure traductam. Quod si hac in re alienum violatum ius est, nemo profecto dixerit esse ab Ecclesia violatum.

Utinam vero Naturalistarum oracula, ut sunt plena falsitatis et iniustitiae, ita non etiam essent fecunda detrimentorum et calamitatum. Sed facile est pervidere quantam profanata coniugia perniciem attulerint; quantam allatura sint universae hominum communitati. — Principio quidem lex est provisa divinitus, ut quae Deo et natura auctoribus instituta sunt, ea tanto plus utilia ac salutaria experiamur, quanto magis statu nativo manent integra atque incommutabilia; quandoquidem procreator rerum omnium Deus probe novit quid singularum institutioni et conservationi expediret, cunctasque voluntate et mente sua sic ordinavit, ut suum unaquaeque exitum convenienter habitura sit. At si rerum ordinem providentissime constitutum immutare et perturbare hominum temeritas aut improbitas velit, tum vero etiam sapientissime atque utilissime instituta aut obesse incipiunt, aut prodesse desinunt, vel quod vim iuvandi mutatione amiserint, vel quod tales Deus ipse poenas malit de mortalium superbia atque audacia sumere. Iamvero qui sacrum esse matrimonium negant, atque omni despoliatum sanctitate in rerum profanarum coniiciunt genus, ii pervertunt fundamenta naturae, et divinae providentiae tum consiliis repugnant, tum instituta, quantum potest, demoliuntur. Quapropter mirum esse non debet, ex huiusmodi conatibus insanis atque impiis eam generari malorum segetem, qua nihil est saluti animorum, incolumitatique reipublicae perniciosius.

Si consideretur quorsum matrimoniorum pertineat divina institutio, id erit evidentissimum, includere in illis voluisse Deum utilitatis et salutis publicae uberrimos fontes. Et sane, praeter quam quod propagationi generis humani prospiciunt, illuc quoque pertinent, ut meliorem vitam coniugum beatioremque efficiant; idque pluribus caussis, nempe mutuo ad necessitates sublevandas adiumento, amore constanti et fideli, communione omnium bonorum, gratia caelesti quae a sacramento proficiscitur. Eadem vero plurimum possunt ad familiarum salutem; nam

Digitized by Google

matrimonia quamdiu sint congruentia naturae, Deique consiliis apte conveniant, firmare profecto valebunt animorum concordiam inter parentes, tueri bonam institutionem liberorum, temperare patriam potestatem, proposito divinae potestatis exemplo, filios parentibus, famulos heris facere obedientes. Ab eiusmodi autem coniugiis expectare civitates iure possunt genus et sobolem civium qui probe animati sint, Deique reverentia atque amore assueti, sui officii esse ducant iuste et legitime imperantibus obtemperare, cunctos diligere, laedere neminem.

Hos fructus tantos ac tam praeclaros tamdiu matrimonium revera genuit, quamdiu munera sanctitatis, unitatis, perpetuitatisque retinuit, a quibus vim omnem accipit frugiferam et salutarem; neque est dubitandum similes paresque ingeneraturum fuisse, si semper et ubique in potestatem fidemque fuisset Ecclesiae, quae illorum munerum est fidissima conservatrix et vindex. — Sed quia modo passim libuit humanum ius in locum naturalis et divini supponere, deleri non solum coepit matrimonii species ac notio praestantissima, quam in animis hominum impresserat et quasi consignaverat natura; sed in ipsis etiam Christianorum coniugiis, hominum vitio, multum vis illa debilitata est magnorum bonorum procreatrix. Quid est enim boni quod nuptiales afferre possint societates, unde abscedere Christiana religio iubetur, quae parens est omnium bonorum, maximasque alit virtutes, excitans et impellens ad decus omne generosi animi atque excelsi? Illa igitur semota ac reiecta, redigi nuptias oportet in servitutem vitiosae hominum naturae et pessimarum dominarum cupiditatum, honestatis naturalis parum valido defensas patrocinio. Hoc fonte multiplex derivata pernicies, non modo in privatas familias, sed etiam in civitates influxit. Etenim salutari depulso Dei metu, sublataque curarum levatione, quae nusquam alibi est quam in religione Christiana maior, persaepe fit, quod est factu proclive, ut vix ferenda matrimonii munera et officia videantur; et liberari nimis multi vinculum velint, quod iure humano et sponte nexum putant, si dissimilitudo ingeniorum, aut discordia, aut fides ab alterutro violata, aut utriusque consensus, aliaeve caussae liberari suadeant oportere. Et si forte satis fieri procacitati voluntatum lege prohibeatur, tum iniquas clamant esse leges, inhumanas, cum iure civium liberorum pugnantes; quapropter omnino videndum ut, illis antiquatis abrogatisque, licere divortia humaniore lege decernatur.

Nostrorum autem temporum legumlatores, cum eorumdem iuris principiorum tenaces se ac studiosos profiteantur, ab illa ho-

Digitized by Google

minum improbitate, quam diximus, se tueri non possunt, etiamsi maxime velint : quare cedendum temporibus ac divortiorum concedenda facultas. — Quod historia idem ipsa declarat. Ut enim alia praetereamus, exeunte saeculo superiore, in illa non tam perturbatione quam deflagratione Galliarum, cum societas omnis, amoto Deo, profanaretur, tum demum placuit ratas legibus esse coniugum discessiones. Easdem autem leges renovari hoc tempore multi cupiunt, propterea quod Deum et Ecclesiam pelli e medio ac submoveri volunt a societate coniunctionis humanae; stulte putantes extremum grassanti morum corruptelae remedium ab eiusmodi legibus esse quaerendum.

At vero quanti materiam mali in se divortia contineant, vix attinet dicere. Eorum enim caussa fiunt maritalia foedera mutabilia ; extenuatur mutua benevolentia ; infidelitati perniciosa incitamenta suppeditantur; tuitioni atque institutioni liberorum nocetur ; dissuendis societatibus domesticis praebetur occasio ; discordiarum inter familias semina sparguntur; minuitur ac deprimitur dignitas mulierum, quae in periculum veniunt ne, cum libidini virorum inservierint, pro derelictis habeantur. — Et quoniam ad perdendas familias, frangendasque regnorum opes nihil tam valet, quam corruptela morum, facile perspicitur, prosperitati familiarum ac civitatum maxime inimica esse divortia, quae a depravatis populorum moribus nascuntur, ac, teste rerum usu, ad vitiosiores vitae privatae et publicae consuetudines aditum ianuamque patefaciunt. — Multoque esse graviora haec mala constabit, si consideretur, frenos nullos futuros tantos, qui concessam semel divortiorum facultatem valeant intra certos, aut ante provisos, limites coercere. Magna prorsus est vis exemplorum, maior cupiditatum : hisce incitamentis fieri debet, ut divortiorum libido latius quotidie serpens plurimorum animos invadat, quasi morbus contagione vulgatus, aut agmen aquarum, superatis aggeribus, exundans.

Haec certe sunt omnia per se clara ; sed renovanda rerum gestarum memoria fiunt clariora. — Simul ac iter divortiis tutum lege praestari coepit, dissidia, simultates, secessiones plurimum crevere ; et tanta est vivendi turpitudo consecuta, ut eos ipsos, qui fuerant talium discessionum defensores, facti poenituerit ; qui nisi contraria lege remedium mature quaesissent, timendum erat, ne praeceps in suam ipsa perniciem respublica dilaberetur. — Romani veteres prima divortiorum exempla dicuntur inhorruisse ; sed non longa mora sensus honestatis in animis obstupescere, moderator cupiditatis pudor interire, fidesque nuptialis tanta

Digitized by Google

cum licentia violari coepit, ut magnam veri similitudinem habere videatur quod a nonnullis scriptum legimus, mulieres non mutatione consulum, sed maritorum enumerare annos consuevisse. — Pari modo apud Protestantes principio quidem leges sanxerant, ut divortia fieri liceret certis de causis, iisque non sane multis : istas tamen, propter rerum similium affinitatem, compertum est in tantam multitudinem excrevisse apud Germanos, Americanos, aliosque, ut qui non stulte sapuissent, magnopere deflendam putarint infinitam morum depravationem, atque intolerandam legum temeritatem. — Neque aliter se res habuit in civitatibus catholici nominis : in quibus si quando datus est coniugiorum discidiis locus, incommodorum, quae consecuta sunt, multitudo opinionem legislatorum longe vicit. Nam scelus plurimorum fuit, ad omnem malitiam fraudemque versare mentem, ac per saevitiam adhibitam, per iniurias, per adulteria fingere caussas ad illud impune dissolvendum, cuius pertaesum esset, coniunctionis maritalis vinculum : idque cum tanto publicae honestatis detrimento, ut operam emendandis legibus quamprimum dari omnes iudicaverint oportere. — Et quisquam dubitabit, quin exitus aeque miseros et calamitosos habiturae sint leges divortiorum fautrices, sicubi forte in usum aetate nostra revocentur? Non est profecto in hominum commentis vel decretis facultas tanta, ut immutare rerum naturalem indolem conformationemque possint : quapropter parum sapienter publicam felicitatem interpretantur, qui germanam matrimonii rationem impune perverti posse putant; et, qualibet sanctitate cum religionis tum sacramenti posthabita, diffingere ac deformare coniugia turpius velle videntur, quam ipsa ethnicorum instituta consuevissent. Ideoque nisi consilia mutentur, perpetuo sibi metuere familiae et societas humana debebunt, ne miserrime coniiciantur in illud rerum omnium certamen atque discrimen, quod est Socialistarum ac Communistarum flagitiosis gregibus iamdiu propositum. — Unde liquet quam absonum et absurdum sit publicam salutem a divortiis expectare, quae potius in certam societatis perniciem sunt evasura.

Igitur confitendum est, de communi omnium populorum bono meruisse optime Ecclesiam catholicam, sanctitati et perpetuitati coniugiorum tuendae semper intentam ; nec exiguam ipsi gratiam deberi, quod legibus civicis centum iam annos in hoc genere multa peccantibus palam reclamaverit (1) ; quod haeresim deter-

(1) Pius VI, epist. ad episc. Lucion. 28 *Maii* 1793. — Pius VII, litter. encycl. *die* 17 *Febr.* 1809, et Const. dat. *die* 19 *Iul.* 1817. — Pius VIII,

Digitized by Google

rimam Protestantium de divortiis et repudiis anathemate perculerit (1) ; quod usitatam Graecis diremptionem matrimoniorum multis modis damnaverit (2) ; quod irritas esse nuptias decreverit ea conditione initas, ut aliquando dissolvantur (3) ; quod demum vel a prima aetate leges imperatorias repudiarit, quae divortiis et repudiis perniciose favissent (4). — Pontifices vero maximi quoties restiterunt Principibus potentissimis, divortia a se facta ut rata Ecclesiae essent minaciter petentibus, toties existimandi sunt non modo pro incolumitate religionis, sed etiam pro humanitatis gentium propugnavisse. Quam ad rem omnis admirabitur posteritas invicti animi documenta a Nicolao I edita adversus Lotharium ; ab Urbano II et Paschali II adversus Philippum I regem Galliarum ; a Caelestino III et Innocentio III adversus Philippum II principem Galliarum ; a Clemente VII et Paullo III adversus Henricum VIII ; denique a Pio VII sanctissimo fortissimoque Pontifice adversus Napoleonem I, secundis rebus et magnitudine imperii exultantem.

Quae cum ita sint, omnes gubernatores administratoresque rerum publicarum, si rationem sequi, si sapientiam, si ipsam populorum utilitatem voluissent, malle debuerant sacras de matrimonio leges intactas manere, oblatumque Ecclesiae adiumentum in tutelam morum prosperitatemque familiarum adhibere, quam ipsam vocare Ecclesiam in suspicionem inimicitiae, et in falsam atque iniquam violati iuris civilis insimulationem.

Eoque magis, quod Ecclesia catholica, ut in re nulla potest ab religione officii et defensione iuris sui declinare, ita maxime solet esse ad benignitatem indulgentiamque proclivis in rebus omnibus, quae cum incolumitate iurium et sanctitate officiorum suorum possunt una consistere. Quam ob rem nihil unquam de matrimoniis statuit, quin respectum habuerit ad statum communitatis, ad conditiones populorum ; nec semel suarum ipsa legum praescripta, quoad potuit, mitigavit, quando ut mitigaret, caussae iustae et graves impulerunt. — Item non ipsa ignorat neque diffitetur, sacramentum matrimonii, cum ad conservationem quoque et incre-

litt. encycl. *die* 29 *Maii* 1829. — Gregorius XVI, Const. dat. *die* 15 *Augusti* 1832. — Pius IX, alloc. habit. *die* 22 *sept.* 1852.

(1) Trid. *sess. XXIV, can.* 5 *et* 7.

(2) Concil. Floren., et Instr. Eug. IV ad Armenos. — Bened. XIV, Const. *Etsi pastoralis*, 6 *Maii* 1742.

(3) Cap. 7, *De condit. appos.*

(4) Hieron., epist. 79 ad Ocean.— Ambros., *lib. VIII in cap.* 16 *Lucae*, n. 5. — August., *De nuptiis, cap.* 10.

Digitized by Google

mentum societatis humanae dirigatur, cognationem et necessitudinem habere cum rebus ipsis humanis, quae matrimonium quidem consequuntur, sed in genere civili versantur : de quibus rebus iure decernunt et cognoscunt qui rei publicae praesunt.

Nemo autem dubitat, quin Ecclesiae conditor Iesus Christus potestatem sacram voluerit esse a civili distinctam, et ad suas utramque res agendas liberam atque expeditam ; hoc tamen adiuncto, quod utrique expedit, et quod interest omnium hominum, ut coniunctio inter eas et concordia intercederet, in iisque rebus quae sint, diversa licet ratione, communis iuris et iudicii, altera, cui sunt humana tradita, opportune et congruenter ab altera penderet, cui sunt caelestia concredita. Huiusmodi autem compositione, ac fere harmonia, non solum utriusque potestatis optima ratio continetur, sed etiam opportunissimus atque efficacissimus modus iuvandi hominum genus in eo quod pertinet ad actionem vitae et ad spem salutis sempiternae. Etenim sicut hominum intelligentia, quemadmodum in superioribus encyclicis litteris ostendimus, si cum fide Christiana conveniat, multum nobilitatur multoque evadit ad vitandos ac repellendos errores munitior, vicissimque fides non parum praesidii ab intelligentia mutuatur ; sic pariter, si cum sacra Ecclesiae potestate civilis auctoritas amice congruat, magna utrique necesse est fiat utilitatis accessio. Alterius enim amplificatur dignitas, et, religione praeeunte, numquam erit non iustum imperium : alteri vero adiumenta tutelae et defensionis in publicum fidelium bonum suppeditantur.

Nos igitur, harum rerum consideratione permoti, cum studiose alias, tum vehementer in praesenti viros Principes in concordiam atque amicitiam iungendam iterum hortamur ; iisdemque paterna cum benevolentia veluti dexteram primi porrigimus, oblato supremae potestatis Nostrae auxilio, quod tanto magis est hoc tempore necessarium, quanto ius imperandi plus est in opinione hominum, quasi accepto vulnere, debilitatum. Incensis iam procaci libertate animis, et omne imperii, vel maxime legitimi, iugum nefario ausu detrectantibus, salus publica postulat, ut vires utriusque potestatis consocientur ad prohibenda damna, quae non modo Ecclesiae, sed ipsi etiam civili societati impendent.

Sed cum amicam voluntatum coniunctionem valde suademus, precamurque Deum, principem pacis, ut amorem concordiae in animos cunctorum hominum iniiciat, tum temperare Nobis ipsi non possumus, quin Vestram industriam, Venerabiles Fratres, Vestrum studium ac vigilantiam, quae in Vobis summa esse intelligimus, magis ac magis hortando incitemus. Quantum con-

Digitized by Google

tentione assequi, quantum auctoritate potestis, date operam, ut apud gentes fidei Vestrae commendatas integra atque incorrupta doctrina retineatur, quam Christus Dominus et caelestis voluntatis interpretes Apostoli tradiderunt, quamque Ecclesia catholica religiose ipsa servavit, et a Christifidelibus servari per omnes aetates iussit.

Praecipuas curas in id insumite, ut populi abundent praeceptis sapientiae Christianae, semperque memoria teneant matrimonium non voluntate hominum, sed auctoritate nutuque Dei fuisse initio constitutum, et hac lege prorsus ut sit unius ad unam : Christum vero novi foederis auctorem illud ipsum ex officio naturae in sacramento transtulisse, et quod ad vinculum spectat, legiferam et iudicialem Ecclesiae suae adtribuisse potestatem. Quo in genere cavendum magnopere est, ne in errorem mentes inducantur a fallacibus conclusionibus adversariorum, qui eiusmodi potestatem ademptam Ecclesiae vellent. — Similiter omnibus exploratum esse debet, si qua coniunctio viri et mulieris inter Christifideles citra sacramentum contrahatur, eam vi ac ratione iusti matrimonii carere ; et quamvis convenienter legibus civicis facta sit, tamen pluris esse non posse, quam ritum aut morem, iure civili introductum ; iure autem civili res tantummodo ordinari atque administrari posse, quas matrimonia efferunt ex sese in genere civili, et quas gigni non posse manifestum est, nisi vera et legitima illarum caussa, scilicet nuptiale vinculum, existat. — Haec quidem omnia probe cognita habere maxime sponsorum refert, quibus etiam probata esse debent et notata animis, ut sibi liceat hac in re morem legibus gerere ; ipsa non abnuente Ecclesia, quae vult atque optat ut in omnes partes salva sint matrimoniorum effecta, et ne quid liberis detrimenti afferatur. — In tanta autem confusione sententiarum, quae serpunt quotidie longius, id quoque est cognitu necessarium, solvere vinculum coniugii inter Christianos rati et consummati nullius in potestate esse ; ideoque manifesti criminis reos esse, si qui forte coniuges, quaecumque demum caussa esse dicatur, novo se matrimonii nexu ante implicare velint, quam abrumpi primum morte contigerit. — Quod si res eo devenerint, ut convictus ferri diutius non posse videatur, tum vero Ecclesia sinit alterum ab altera seorsum agere, adhibendisque curis ac remediis ad coniugum conditionem accommodatis, lenire studet secessionis incommoda ; nec umquam committit, ut de reconcilianda concordia aut non laboret aut desperet. — Verum haec extrema sunt ; quo facile esset non descendere, si sponsi non cupiditate acti, sed praesumptis cogita-

Digitized by Google

tione tum officiis coniugum, tum caussis coniugiorum nobilissimis, ea qua aequum est mente ad matrimonium accederent; neque nuptias anteverterent continuatione quadam serieque flagitiorum, irato Deo. Et ut omnia paucis complectamur, tunc matrimonia placidam quietamque constantiam habitura sunt, si coniuges spiritum vitamque hauriant a virtute religionis, quae forti invictoque animo esse tribuit; quae efficit ut vitia, si qua sint in personis, ut distantia morum et ingeniorum, ut curarum maternarum pondus, ut educationis liberorum operosa sollicitudo, ut comites vitae labores, ut casus adversi non solum moderate, sed etiam libenter perferantur.

Illud etiam cavendum est, ne scilicet coniugia facile appetantur cum alienis a catholico nomine: animos enim de disciplina religionis dissidentes vix sperari potest futuros esse cetera concordes. Quin imo ab eiusmodi coniugiis ex eo maxime perspicitur esse abhorrendum, quod occasionem praebent vetitae societati et communicationi rerum sacrarum, periculum religioni creant coniugis catholici, impedimento sunt bonae institutioni liberorum, et persaepe animos impellunt, ut cunctarum religionum aequam habere rationem assuescant, sublato veri falsique discrimine. — Postremo loco, cum probe intelligamus, alienum esse a caritate Nostra neminem oportere, auctoritati, fidei et pietati Vestrae, Venerabiles Fratres, illos commendamus, valde quidem miseros, qui aestu cupiditatum abrepti, et salutis suae plane immemores contra fas vivunt, haud legitimi matrimonii vinculo coniuncti. In his ad officium revocandis hominibus Vestra sollers industria versetur: et cum per Vos ipsi, tum interposita virorum bonorum opera, modis omnibus contendite, ut sentiant se flagitiose fecisse, agant nequitiae poenitentiam, et ad iustas nuptias ritu catholico ineundas animum inducant.

Haec de matrimonio Christiano documenta ac praecepta, quae per has litteras Nostras Vobiscum, Venerabiles Fratres, communicanda censuimus, facile videtis, non minus ad conservationem civilis communitatis, quam ad salutem hominum sempiternam magnopere pertinere. — Faxit igitur Deus ut quanto plus habent illa momenti et ponderis, tanto dociles promptosque magis ad parendum animos ubique nanciscantur. Huius rei gratia, supplice atque humili prece omnes pariter opem imploremus beatae Mariae Virginis Immaculatae, quae, excitatis mentibus ad obediendum fidei, matrem se et adiutricem hominibus impertiat. Neque minore studio Petrum et Paulum obsecremus, Principes Apostolorum, domitores superstitionis, satores veritatis, ut ab eluvione

Digitized by Google

renascentium errorum humanum genus firmissimo patrocinio tueantur.

Interea caelestium munerum auspicem et singularis benevolentiae Nostrae testem, Vobis omnibus, Venerabiles Fratres, et populis vigilantiae Vestrae commissis, Apostolicam benedictionem ex animo impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die 10 Februarii an. 1880, pontificatus Nostri anno secundo.

LEO PP. XIII.

Digitized by Google

ALLEGATUM II

INSTRUCTIO S. C. DE PROP. FIDE *De conjugiis*, IUSSU PII VII TRANSMISSA AD EPISCOPOS VICARIOS APOST. IN IMPERIO SINARUM, EIQUE ADJACENTIBUS REGNIS ATQUE PROVINCIIS.. 14 JAN. 1821.

Venerabiles Fratres: Quaestio de inordinatis ac clandestinis apud Sinas conjugiis non modo vestra, Ven. Fratres, ingenia vexavit diu, sacrorumque operariorum qui in difficili isto Dominico excolendo agro adlaborant, verum etiam S. hujus Cong. studia non mediocriter exercuit. Atque id non eam unice ob causam qua S. Augustinus, Ecclesiae lumen, obscurissimam de conjugiis quaestionem, ejusdemque sinus fere inexplicabiles esse professus est; sed, quod maxime dolendum, ob hominum corruptelas, honorabilis nuptiarum foederis speciem ac pulchritudinem inobscurantes. *Magno* itaque *Sacramento* suus ut restituatur et constet honor, S. C., quaestionem hujusmodi bono in lumine collocare, ac definire tandem sollicita, praesentem instructionem parandam duxit vobis, Ven. Fr., inscriptam, uti eam cum missionariis, parochis ac confessariis communicetis. Sed ordine res explicanda est ab initio.

Vestris quidem litteris, ut bene meministis, pluries ad hanc S. C. datis, significastis pravum inolevisse morem apud plurimos Christianos, tanto nomine indignos, ut post inita sponsalia, habitamque carnalem copulam cum muliere, cum alia inde matrimonium contrahant, communibus servatis Imperii atque usitatis ibi Ecclesiae ritibus. Qua de re anxie, ac pro charitate qua erga oviculas flagratis vestrae sollicitudini commissas, a Matre ac Magistra vestra postulastis invalescenti apud eas gentes morbo medelam consentaneam, et percontati estis, utrum primum illud conjunctionis genus, an alterum justi matrimonii vim haberet, quando intra fines imperii Sinici ac circumjacentium regnorum ac provinciarum nondum esset Tridentinum de matrimonio decretum promulgatum.

Digitized by Google

Et S. quidem Cong. Vos atque operarios vestros enixe hortata est, omnimodis ut niteremini, qua privatis, qua publicis concionibus, ac praesertim in sacramenti poenitentiae administratione, deterrere fideles a clandestinis matrimoniis, quae sancta Dei Ecclesia, justissimis de causis, semper detestata est atque prohibuit, et ex quibus gravia peccata ortum habent, maxime vero admonendos graviter, et sub interminatione divini judicii, eos qui in statu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, et cum ea in perpetuo vivunt adulterio. Neque his contenta monitis ex limpidis S. Tridentinae Synodi fontibus deductis, ad propositi dubii solutionem, ex puris item fontibus pontificii juris in omnes catholicos pervulgatis, observandam induxit a Gregorio IX P. M. acceptam praescritionem capitis *Is qui*, 30, *De spons. et matrim.*

Interrogatus enim Pontifex, quid facto opus esset de homine, qui post inita cum muliere sponsalia, habitumque concubitum, aliam deinde in facie Ecclesiae duxerat et cognoverat, hujusmodi responsum dedit : « *Is qui fidem dedit alicui mulieri, quod eam in uxorem ducere velit, et si postea illam carnaliter cognoscat, aliamque in facie Ecclesiae ducat, ad primam redire tenetur ; quia licet primum matrimonium praesumptum videatur, tamen contra talem praesumptionem probatio in contrarium non est admittenda* ». Unde sequitur quod matrimonium postea de facto contractum non verum sit matrimonium, sed nullum. Hanc autem praescriptionem S. C. vestris studiis commendandam suscepit ab anno 1786, eamdemque, anno 1804, V. F. Stephanus Borgia cl. mem. Cardinalis, S. item Cong. nomine, ad vestrum unum, nempe ad Vicarium Apost. Cocincinae scribens, explicatius retinendam esse declaravit.

Iamvero, tali tantoque remedio, consilioque a S. C. exhibito, futurum ea sperabat, ut justis illorum Christianorum conjugiis rite constabiliendis, clandestinisque cohibendis, opitulante Deo, nihil aut fere nihil superesset, quando post annos non paucos litteras ejusdem Vicarii Apost. Cocincinae accepit, quibus praeter caetera significavit : capitis *Is qui* observantiam eas in regiones vix aut ne vix quidem induci posse, ob invincibilem Sinarum illius legis ignorantiam ; ex divini verbi praeconibus, qui erudiendae genti strenuam dant operam, extitisse fere neminem qui docuerit ex copula clandestina sponsalia subsequente validum in foro externo matrimonium aestimandum : docere autem id deinceps asperum futurum, ob gravissima inde incommoda pertimescenda, ac praesertim ob scandala, tum apud Christianos, tum apud Gentiles, oritura, quorum firma persuasio est matrimonium justum con-

Digitized by Google

stare nullum, nisi quod in conspectu Ecclesiae, vel civilis imperii legis fuerit celebratum.

Acceptis hujusmodi litteris, S. C. non antea definiendum quidquam deliberavit, quam litteris ad vos omnes, V. Fr., missis, quibus, ut nostis, sciscitatum est de origine opinionum apud eas gentes circa nuptias justas et illegitimas, de universa super matrimoniis doctrina a missionariis explicata, de ritu ecclesiastico ac civili nuptiarum, deque incommodis ac periculis extimescendis, si quando memorati capitis *Is qui* apud Sinas observantia esset inducenda.

Et vos quidem certiorem S. C. fecistis responsionibus fere inter se consentaneis, quae plene EE. PP. satisfacere fortasse potuissent, nisi, in re tanti momenti definienda, diligentia supra quam dici possit, maturitateque summa sibi opus esse existimassent. Aliae itaque litterae, S. C. nomine, pervenerunt ad Vos, a Vobisque novae responsiones redditae, ex quibus dubia quae sequuntur efformata sunt.

Dub I. (Quod in serie propositorum septimum est) :

« *An in Chinae, Cocincinae, et Tunckini utriusque regionibus, in quibus Tridentinum de matrimonio decretum nondum promulgatum est, copula sponsalia subsequens verum matrimonium inducat, etiamsi sponsi inter coeundum, non maritali affectu, sed libidine moti existiment se in illicitum ac fornicarium actum irruisse, matrimonio justo constituendo imparem ; ac propterea non sibi ereptam facultatem existiment ad alia vota transeundi, cum haec apud eas gentes persuasio vigeat ?*

Dub. II. (Quod in serie octavum est) :

« *Quale consilium dandum missionariis earum regionum circa modum servandum, praesertim in poenitentiae sacramenti administratione, cum iis fidelibus qui post sponsalia et copulam habitam cum una muliere, nuptias publice cum alia contraxerunt, quas ipsi bona fide justas existimant validasque ?*

Dub. III. (Quod in serie nonum est) :

« *Vicariis Apost. ac missionariis remedium flagitantibus aptum ad cohibenda conjugia clandestina, et avertenda damna ex iisdem funestissima suboritura, quid consilii dandum, aut praescribendum sit ?* »

Ad haec clarius atque accuratius enodanda dubia, juverit ani-

Digitized by Google

madvertere EE. PP. incredibile videri, persuasionem in dubio memoratam tantam vigere apud Sinenses, ut communis existimari possit : nempe ex sponsalibus et copula clandestine habita non iis ereptam esse facultatem ad alia vota transeundi. Etenim, cum S. C. legem eo capite comprehensam explicandam iis gentibus, quoties sese occasio obtulisset, praescripserit ; cumque compertum sit, quanto Vos studio ac sollicitudine S. C. consiliis mandatisque morem gerere consueveritis ; ac praeterea, post accepta consilia ac mandata hujusmodi, per nonnullos annos nihil a Vobis de persuasione illa renuntiatum sit ; jure EE. PP. arbitrantur missionarios ac catechistas doctrinam capitis *Is qui* non semper quidem, sed pro re nata tradidisse fidelibus nonnullis, hosque aliis tradere deinceps potuisse. Ac certe Vestrum unus narravit missionarium quemdam caeteris clarius, coram multis hominibus primariis, palam docuisse sponsalia post copulam carnalem inter sponsas habitam, ex legibus Ecclesiae judicari debere tanquam matrimonia, nisi contrarium certo demonstretur. Quo quidem facto facile intelligitur alios missionarios idem minus clare tradidisse, et primarios illos viros regulam Ecclesiae gravissimam facile cum aliis fidelibus communicasse. Erunt igitur non multi, sed erunt tamen, apud quos persuasio illa non vigeat : erunt plurimi apud quos ea vigebit. Stabit ergo persuasio illa pede uno, cadet altero.

Videte igitur, Ven. Fr., utrique fidelium generi congruis consiliis ac documentis providendum. Quod ut accurate succedat, ob oculos vestros proponite quae in elucidanda capite *Is qui* affert P. Pirhinghius, sacrorum canonum explicator probatissimus. Namque ille in *lib. 4 Decretal., tit. I, sect. I*, § 5, post memoratam Gregorii IX regulam seu praescriptionem, haec addit :

Ratio est, quia Ecclesia ex carnali copula praesumit in sponsis conjugalem consensum ad excludendum peccatum, quod scilicet sponsus et sponsa non fornicario, sed affectu maritali se invicem cognoscere voluerint, quia delictum non est praesumendum, et haec est praesumptio juris et de jure, id est omnino certa et indubitata, contra quam non admittitur probatio ; et consequenter non audiretur sponsus asserens se non cognovisse sponsam affectu maritali, vel animo contrahendi matrimonium cum illa (*Covatr. in Epitome lib. 4 Decret, p. 1, cap. 4*, § *1, num. 1 et 2*). *Confirmatur, quia copula carnalis, secuta post sponsalia de futuro, est sufficiens signum consensus de praesenti in matrimonium ; et sponsi per eam censentur sibi invicem tradere ; quae praesumptio habet locum in foro contentioso et judiciali tantum, non autem in foro conscientiae et poenitentiali.*

Digitized by Google

Unde si sponsus vere cognovisset sponsam non affectu maritali, sed fornicario, non esset verum matrimonium in foro poenitentiali et coram Deo, quia Papa non potest facere ut sine consensu expresso vel tacito sit verum matrimonium. (*Hostien. hic, col.* 2, *in fine ; Faynan, hic, num.* 6 *et* 7.)

Hactenus P. Pirhinghius, qui, hanc doctrinam exhibens, affirmat eamdem esse apud omnes canonum tractatores pervulgatam. Hic igitur state, hic haerete. Nempe, in iis etiam regionibus in quibus Tridentinum de matrimonio decretum promulgatum non est, si sponsus ac sponsa non maritali affectu sed fornicario invicem coiverint, non ideo eorum sponsalia in verum matrimonium transire coram Deo ; ac propterea coram Deo, sive in conscientiae foro, iisdem ereptam non esse facultatem ad alia transeundi vota, si se legitima occasio praecedentium sponsalium dissolvendorum obtulerit.

Caeterum in forum externum ac judiciale deducta si copula sit, possent iidem ab ecclesiastico judice legitimorum instar conjugum haberi : atque idcirco, quoad alter eorum vixerit, a quovis alio matrimonio prohiberi, quia est haec praesumptio juris et de jure, id est certa omnino et indubitata, contra quam non admittitur probatio : et consequenter non audiretur sponsus asserens se non cognovisse sponsam affectu maritali, vel animo contrahendi matrimonium cum illa.

Quae cum ita sint, septimo dubio hac ratione S. C. respondendum censet nempe : *Si in praefatis regionibus, ubi publicatum non fuit decretum sacri Conc. Trid., duo sponsi carnalem inter se deinde habeant copulam, eam tamen non ex affectu maritali, sed affectu illicito ac fornicario ; haec eorum copula minime transire facit praecedentia eorumdem sponsalia in verum matrimonium coram Deo ; seu in foro conscientiae liberi manent, atque poterunt, si praedicta eorum sponsalia ex aliqua legitima causa dissoluta fuerint, nuptias alias licite inire. Nihilominus si eorum copula in foro externo et judiciali probetur, poterunt iidem ex praesumptione juris et de jure, contra quam non admittitur probatio, per ecclesiasticam potestatem adigi ad sese habendos tanquam veros conjuges, quibus, vivente consorte, quodvis connubium interdictum sit, ex cap.* 30, *De sponsalib. et matrim.*

Sed gradus faciendus est ad alterum enodandum dubium, quod octavum in serie propositorum est, scilicet : *Quale consilium dandum missionariis earum regionum circa modum servandum, praesertim in sacramenti poenitentiae administratione, cum iis fidelibus qui, post sponsalia et copulam habitam cum muliere, nuptias publice cum alia contraxerunt, quas ipsi bona fide justas existimant validasque?*

Digitized by Google

Cum hujusmodi poenitente hanc esse diligentiam cautionemque observandam EE. PP. censuerunt. Placide eumdem interroget confessarius, utrum cum prima illa muliere concubuerit affectu motus maritali, an affectu illicito ac fornicario. Si poenitens hoc alterum respondebit, in pace dimittet, nec de validitate matrimonii deinceps contracti dubitationem ullam movebit. Si vero poenitens respondebit, se cum prima illa muliere affectu coivisse maritali, graviter admonebit eum non alterius esse maritum, sed primae, ad ipsamque redire omnino debere justa saepe memoratam capitis *Is qui* praescriptionem. Sed aliam quoque cautionem prae oculis habeant missionarii, videlicet, si accideret poenitentem hujusmodi in foro externo minime probare posse carnalem copulam ab se cum prima muliere habitam, ac propterea adigeretur, ecclesiastici praesidis judicio, ad nuptias in conspectu Ecclesiae contractas in honore retinendas; id si accideret, deberet ille quamcumque poenam etiam excommunicationis tolerare patienter, potius quam, certus impedimento se irretiri ligaminis, cum altera non sine gravi culpa concumbat. Nota enim est Innocentii III P. M. praescriptio, *cap.* 44, *De sent. excom.* expressa : *Si alter conjugum* (ita ille) *pro certo sciat impedimentum conjugii, propter quod sine peccato mortali non valet carnale commercium exercere, quamvis illud apud Ecclesiam probare non possit..., debet potius excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quam per carnale commercium peccatum mortale operari.*

Ex hactenus consideratis responsum ad hujusmodi 2um dubium S. C. ita complexa est : *Si quis fidelium post sponsalia et copulam dein habitam cum una muliere, cum altera muliere publice matrimonium contrahat, atque in hoc statu ad missionarium aliquem in tribunali poenitentiae accedat, debebit eum interrogare an copulam istam cum illa prima muliere habuerit ex affectu maritali, an vero ex affectu illicito et fornicario. Si alterum hoc respondebit, nullum de validitate praesentis sui matrimonii dubium ei movebit. Sin autem primum respondebit, graviter ipsum commonebit eum maritum esse non secundae, sed primae mulieris, ad eamque redire omnino debere. Additur vero, ad eorumdem missionariorum instructionem, quod si forte homo iste, probare non valens in foro externo carnalem copulam ab se habitam cum prima illa muliere, cogeretur hinc per ecclesiasticam potestatem cum altera muliere remanere, quacum publice matrimonium contraxit, deberet is poenam quamlibet, ipsamque excommunicationem humiliter potius sustinere, quam cum altera hac muliere carnale commercium exercere non sine lethali culpa, ex cap.* 44, *De sent. excom.*

Digitized by Google

Statuendum nunc, quid consilii dandum Vobis, Ven. Fr., et operariis qui in Sinensi Dominico agro adlaborant, quo facilius feliciusque clandestinae cohibeantur conjunctiones, et praecidantur scandala, damnaque funestissima, quae suboriri ex iis possent, quod erat in 3 dubio propositum. Certe negari non potest, maximam ad clandestinas conjunctiones praecidendas medelam ac praesidium in celebris Tridentini de matrimonio decreti promulgatione ab Ecclesia collocari; et Apostolica quidem Sedes, quotiescumque conducere ea promulgatio Episcopis atque Apostolicis Vicariis visa est, nihil reliqui fecit quo facilem iisdem se praeberet, atque hujusmodi medicinam tali consentaneam morbo praescriberet, quod fecit in Archiepiscopatu Kioviensi, cujus exemplum Vestrum unus in suis litteris indigitavit, nempe Ven. Fr. Vicarius Apost. Cocincinae. Verum de Kioviensi exemplo, quod ad rem nostram maxime facit, legendum est praeclarum Benedicti XIV P. M. opus *De Synodo Dioecesana, lib. XII, cap. V*, § 8, 9, 10 *et* 11; ac legenda item ejusdem Pontificis constitutio *Etsi Pastoralis*, § 8, *De sacram. matrim., num.* 1: *Curent Ordinarii locorum, ut decretum S. Concilii Tridentini de reform. matrim. in locis et parochiis Graecorum et Albanensium, quoties expedire viderint, evulgetur et publicetur.*

Sed certum quoque est, sicubi promulgatum id decreti fuerit, ibique de praesentia parochi praescriptum observari minime potuisset, quod vel parochus deesset omnino, vel difficile adiri posset, Apostolicam Sedem declarasse, iis in locis testium praesentiam satis esse ad valide matrimonia constabilienda : quo si integrum decretum observari non posset, quoad tamen posset, observaretur.

Jam vero EE. PP. in hujusmodi prudentem Apostolicae Sedis oeconomiam animum intendentes, itemque considerate ac meditato animo perpendentes litteras a Vobis, Ven. Fr., iterato ad S. C. hac super re datas, circumspectantes etiam civiles sacrasque rationes, et faciem ipsam imperii Sinarum, quaeque eidem junguntur, provinciarum atque regnorum, censuerunt, si, id Ssmo D. N. placuerit, ut, quibus in locis id expedire maturo consilio judicaveritis, in iis Concilii decretum integrum rite promulgandum curetis, aut saltem quoad fieri licuerit justa regulas paulo ante traditas. Quamobrem : *Omnia et singula matrimonia, quo posthac celebrari contigerit apud Sinas, ut valida nominentur et sint, ineunda erunt coram parocho aut missionario, aut alio quovis legitime designato, ac duobus vel tribus testibus, iisque, quoad licuerit, Christianis. In iis vero locis in quibus integrum non possit promulgari decre-*

Digitized by Google

tum, vel si promulgatum sit, parochus tamen vel alius rite designatus absit, vel faciles ad eumdem aditus non sint, iniri quidem possint conjugia, etsi absque parocho, coram duobus saltem testibus, iisque si fieri possit Christianis ; ita tamen contrahentes, ne sacramenti dignitas vilescat, obligentur lege sistendi se coram missionario vel parocho quandocumque reduci, ut rite ab eo benedictionem accipiant. Missionarius autem vel parochus redux, quando sibi de consensu conjugum constiterit, antequam conjuges benedicat, eos condocefaciat ejusmodi benedictionem ad ritum unice, non ad validitatem pertinere conjugii, ac propterea non committet ille ut rursus consensio per nova verba exprimatur.

Tandem, ne decreti Tridentini memoria jusque obsolescat, cupit S. C., ut, quoties se dederit occasio, missionarii illud popularibus sibi commissis explicent, ac juxta regulas modo expositas declarent. Expedit enim, ut ipsae maxime adolescentulae virgines, id perceptum habeant, ne in fraudem induci, et occultis vimque nullam habituris nuptiarum promissis, se ad ullam pellici turpitudinem patiantur.

Atque haec via et ratio est, quam retinendo existimat S. C. inordinatas ac clandestinas conjunctiones praefocari, Deo dante, posse, ac *Magno Sacramento* suum honorem, unde apud plures deciderat, redintegrari.

Quam S. C. sententiam Ssmo Dno nostro Pio D. P. Papa VII relatam per me infrascriptum Secretarium ejusdem S. C., Sanctitas Sua benigne approbavit et omnino servari jussit.

Digitized by Google

ALLEGATUM III

DOCUMENTA PRO PROCESSU STATUS LIBERI AD MATRIMONIUM INEUNDUM.

I

DECRETUM emanatum in Congregatione generali S. Romanae et Universalis Inquisitionis habita feria V, die 21 Augusti 1670, in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctissimo Domino Nostro Clemente divina providentia Papa X, ac Eminentissimis et Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus a S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

Cum alias per Sacram Congregationem S. Officii, iteratis instructionibus ab eadem emanatis de anno 1658, et 1665, locorumque Ordinariis transmissis, provisum fuerit, ut praescriptis interrogatoriis faciendis testibus, qui ad probandum statum liberum contrahentium matrimonium inducuntur, omnis prorsus secluderetur aditus iis, qui adhuc vivente altero conjuge, aut alias impediti ad secunda illicita vota transire satagebant: videns nihilominus Sanctissimus D. N. quamplures locorum Ordinarios, vel eorum Vicarios, et Deputatos ad excipiendas testium depositiones, nec non parochos, et notarios, in casibus expressis, aut omittere, aut non observare earumdem instructionum tenorem; et licet aliquando plene observent, non tamen interrogare testes super aliis impedimentis dirimentibus:

Ideo volens Sanctitas Sua praedictis malis occurrere, re mature considerata cum Eminentissimis et Reverendissimis Dominis Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, praesenti decreto, perpetuis futuris temporibus duraturo, iterum injungit omnibus Vicariis, seu Deputatis pro examinandis testibus ad probandum statum liberum contrahentium matrimonium, nec non parochis, notariis,

Digitized by Google

et quibuscumque aliis respective, sub poenis etiam gravibus corporalibus arbitrio S. Cong., ut instructionem infrascriptam ad unguem observent.

Ut autem praesens decretum, et instructio ad omnium notitiam facilius deveniant, decrevit, illa ad valvas Basilicae Principis Apostolorum, et Cancellariae Apostolicae, ac in acie Campi Florae de Urbe, ac Palatio S. Officii ejusdem Urbis per aliquem ex cursoribus Sanctitatis Suae publicari, ac eorum exempla ibidem affixa relinqui; illaque sic publicata omnes, et singulos, quos concernunt, post duos menses a die publicationis in Urbe faciendae numerandos, perinde afficere, ac arctare ac si illorum unicuique personaliter notificata, et intimata fuissent.

INSTRUCTIO

Pro examine illorum testium, qui inducuntur pro contrahendis matrimoniis tam in Curia Eminentissimi et Reverendissimi D. Cardinalis Urbis Vicarii, quam in aliis Curiis caeterorum Ordinariorum.

In primis testis moneatur de gravitate juramenti in hoc praesertim negotio pertimescendi, in quo divina simul, et humana majestas laeditur ob rei, de qua tractatur, importantiam, et gravitatem; et quod imminet poena triremium et fustigationis deponenti falsum.

Secundo, interrogetur de nomine, cognomine, patria, aetate, exercitio et habitatione.

Tertio, an sit civis, vel exterus, et quatenus sit exterus, a quanto tempore est in loco, in quo testis ipse deponit.

Quarto, an ad examen accesserit sponte, vel requisitus: si dixerit accessisse sponte a nemine requisitum, dimittatur, quia praesumitur mendax. Si vero dixerit accessisse requisitum, interrogetur a quo, vel a quibus, ubi, quando, quomodo, coram quibus, et quoties fuerit requisitus, et an sciat adesse aliquod impedimentum inter contrahere volentes.

Quinto, interrogetur, an sibi pro hoc testimonio ferendo fuerit aliquid datum, promissum, remissum, vel oblatum a contrahere volentibus, vel ab alio ipsorum nomine.

Sexto, interrogetur, an cognoscat ipsos contrahere volentes, et a quanto tempore, in quo loco, qua occasione, et cujus qualitatis, vel conditionis existant.

Septimo, interrogetur, an contrahere volentes sint cives vel exteri: si responderit esse exteros, supersedeatur in licentia contrahendi, donec per litteras Ordinarii ipsorum contrahere volen-

Digitized by Google

tium doceatur de eorum libero statu de eo tempore, quo permanserunt in sua civitate, vel dioecesi.

Ad probandum vero eorumdem contrahere volentium statum liberum pro reliquo temporis spatio, scilicet usque ad tempus, quo volunt contrahere, admittantur testes idonei, qui legitime, et concludenter deponant statum liberum contrahere volentium, et reddant sufficientem rationem causae eorum scientiae, absque eo quod teneantur deferre attestationes Ordinariorum locorum, in quibus contrahere volentes moram traxerunt.

Si vero responderit contrahere volentes esse cives:

Octavo, interrogetur, sub qua parochia hactenus contrahere volentes habitaverint, vel habitent de praesenti.

Item, an ipse testis sciat aliquem ex praedictis contrahere volentibus quandoque habuisse uxorem, vel maritum, aut professum fuisse in aliqua religione approbata, vel suscepisse aliquem ex ordinibus sacris, subdiaconatum scilicet, diaconatum, vel presbyteratum, vel habere aliud impedimentum, ex quo non possit contrahi matrimonium.

Si vero testis responderit non habuisse uxorem, vel maritum, neque aliud impedimentum, ut supra:

Nono, interrogetur de causa scientiae, et an sit possibile, quod aliquis ex illis habuerit uxorem, vel maritum, aut aliud impedimentum, et quod ipse testis nesciat.

Si responderint affirmative, supersedeatur, nisi ex aliis testibus probetur concludenter non habuisse uxorem, vel maritum, neque ullum aliud impedimentum etc.

Decimo, interrogetur de causa scientiae, ex qua deinde judex colligere poterit, an testi sit danda fides.

Si responderit, contrahere volentes habuisse uxorem, vel maritum, sed esse mortuos:

Undecimo, interrogetur de loco, et tempore, quo sunt mortui, et quomodo ipse testis sciat fuisse conjuges, et nunc esse mortuos. Et si respondeat mortuos fuisse in aliquo hospitali, vel vidisse sepeliri in certa ecclesia, vel occasione militiae sepultos fuisse a militibus, non detur licentia contrahendi, nisi prius recepto testimonio authentico a rectore hospitalis in quo praedicti decesserunt, vel a rectore ecclesiae in qua humata fuerunt eorum cadavera, vel si fieri potest a duce illius cohortis, in qua descriptus erat miles.

Si tamen hujusmodi testimonia haberi non possunt, S. Cong. non intendit excludere alias probationes, quae de jure communi possunt admitti, dummodo sint legitimae, et sufficientes.

Digitized by Google

Duodecimo, interrogetur, an post mortem dicti conjugis defuncti, aliquis ex praedictis contrahere volentibus transierit ad secunda vota.

Si responderit negative:

Decimo tertio, interrogetur, an esse possit, quod aliquis ex illis transierit ad secunda vota, absque eo quod ipse testis sciat.

Si responderit affirmative, supersedeatur in licentia, donec producantur testes, per quos negativa coarctetur concludenter.

Si vero negative:

Decimo quarto, interrogetur de causa scientiae, qua perpensa judex poterit judicare an sit concedenda licentia, vel non.

Si contrahentes sunt vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, nisi doceant per fides Ordinariorum suorum esse liberos, et in aliis servata forma Concilii Tridentini *in cap. Multi, Sess.* 24.

Fides, aliaque documenta, quae producuntur de partibus, non admittantur, nisi sint munita sigillo, et legalitate Episcopi Ordinarii, et recognita saltem per testes, qui habeant notam manum, et sigillum, et attente consideretur, quod fides seu testimonia bene et concludenter identificent personnas, de quibus agitur.

Pro testibus in hac materia recipiantur magis consanguinei, quam extranei, quia praesumuntur melius informati, et cives magis, quam exteri; nec admittantur homines vagi et milites, nisi data causa, et maturo consilio; et notarius exacte describat personam testis, quem si cognoscit, utatur clausula: *Mihi bene cognitus*. Sin minus examen non recipiat, nisi una cum persona testis aliqua alia compareat cognita notario, et quae attestetur de nomine, et cognomine ipsius testis, nec non de idoneitate ejusdem ad testimonium ferendum.

Et hujusmodi examinibus debet interesse in Urbe, ultra notarium, officialis specialiter deputandus ad Eminentissimo Vicario, et extra Urbem vel Vicarius Episcopi, vel aliqua alia persona insignis, et idonea ab Episcopo specialiter deputanda; alias puniatur notarius arbitrio S. Cong., et Ordinarius non permittat fieri publicationes.

Ordinarii praecipiant omnibus, et singulis parochis in eorum dioecesibus existentibus, ut pro matrimoniis cum exteris contrahendis non faciant publicationes in eorum ecclesiis, nisi certiorato Ordinario, a quo, vel ejus Generali Vicario, prius teneantur authenticam reportare, quod pro tali matrimonio fuerunt examinati testes in eorum tribunali, qui probant statum liberum contrahere volentium, etc.

Contravenientes autem severe punientur.

Digitized by Google

Anno a Nativitate D. N. J.-C. millesimo sexcentesimo septuagesimo, indictione octava, die vero 30 *mensis Augusti, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, et D. N. D. Clementis Divina Providentia Papae X anno primo, supradictum decretum affixum, et publicatum fuit ad valvas basilicae Principis Apostolorum, Cancellariae Apostolicae, et in acie Campi Florae de Urbe, ac Palatio S. Officii ejusdem Urbis per me Petrum Paulum Desiderium ejusdem Sanctiss. D. N. Papae, et Sacrae Inquisitionis cursorem.*

II

Dubia exhibita quoad sensum praeallati decreti, et in latinam linguam versa.

Dubium I. In quarta ultima § dicti decreti praescribitur : « *Fides, aliaque documenta, quae producuntur de partibus, non admittantur, nisi sint munita sigillo, ac legalitate Episcopi Ordinarii, et recognita saltem per testes, qui habeant notam manum, et sigillum* ». Quatenus ipsae fides et documenta munita non sint sigillo Ordinarii, sed sigillo et subscriptione parochi solius, et talis subscriptio taleque sigillum sive parochi dioecesis, sive extranei, nota tamen uni aut pluribus e curiae officialibus, v. g. cancellario aut substituto, possuntne admitti ? Et quatenus negative, ad cognoscendum utrum sigillum et subscriptio sint parochi scribentis, satisne est testimonium patris aut matris sponsi vel sponsae vel aliorum ex familia alterutrius ?

Dubium II. In tertia ultima § decreti praescribitur : « *Pro testibus in hac materia recipiantur magis consanguinei, quam exteri, quia praesumuntur melius informati* ». Sub nomine consanguineorum intelligine possunt proprii genitores, etsi aliquando interesse habere videantur de matrimonii conclusione, et ideo iidem sese exhibent, aut curant ut indicentur a sponsis iisdem ad fidem faciendam de istorum status libertate ? Et deficientibus genitoribus, si vices istorum agant fratres aut patrui, poteruntne iidem, quorum interesse cognitum aut suppositum sit, audiri ceu testes ?

Dubium III. Circa dicti § dimidium adjicitur : « *Et notarius exacte describat personam testis, quem si cognoscat, utatur clausula* : MIHI BENE COGNITUS ; *sin minus examen non recipiat nisi una cum persona testis, aliqua alia compareat cognita notario, et quae attestetur de nomine et cognomine ipsius testis* ». Quatenus in aliqua dioecesi sint plures, et remoti pagi, et consuetudo vigeat quod

Digitized by Google

sponsi aut mittant, aut secum ducant duos testes, cancellario et in civitate episcopalis residentiae plerumque haud notos; et non reperiatur persona quae eosdem agnoscat; ad vitanda gravia incommoda populis, qui tempus et pecuniam frustra tererent, quatenus remitti deberent; et ad vitandas quaerimonias, enasci faciles, possuntne excipi istorum testimonia innitendo legali axiomati quod: « *Nemo praesumitur malus nisi probetur* »?

Dubium IV. Quum saepe etiam casus contingat quod, peracto statu libero, aliqua superveniat sponsis circumstantia, ob quam tunc matrimonium amplius locum non habet; uno, duobus vel tribus mensibus transactis, debebuntne iidem iterum peragere statum liberum pro dictis uno, duobus, aut tribus mensibus, si praecipue agatur de personis humilis conditionis, et quae curiae haud notae sint, eo quod ad diversos pagos pertineant?

Dubium V. Quum in dioecesibus quamplurimis usus inoleverit recipiendi in examine pro statu libero depositiones hominum solummodo; ex eo quod in praefato decreto edicitur « *Testes* » quin mulieres excipiat, possuntne audiri etiam mulieres?

Dubium VI. Haud raro evenit quod homo aut mulier domicilium posuerit in loco ab originis diverso per decem aut plures annos, etsi patriam aut aliam civitatem, aut pagum reliquerit cum jam adoleverit. Satisne erit probare libertatem pro dictis decem aut pluribus annis, transactis in loco sui ultimi domicilii, aut oportebit etiam, non obstante ejusmodi perlongo absentiae tempore a patria sua, vel suo primo pago, exposcere fidem status liberi viri aut mulieris ad ineundum matrimonium?

Dubium VII. Tandem in penultima § dicti decreti praescribitur: « *Et hujusmodi examinibus debet interesse... extra Urbem vel Vicarius Episcopi, vel aliqua alia persona insignis, et idonea ab Episcopo specialiter deputanda* ». Sub verbis *persona insignis et idonea* intelligine possunt Vicarii foranei cum eorum cancellariis, etsi isti facultate rogandi careant, quae conceditur tantum Cancellario episcopali? Et quatenus negative, utrum liceat sequi contrariam consuetudinem?

Feria IV, die 25 Februarii 1847.

In Cong. Gen. S. R. et U. Inquis. habita in conventu S. M. supra Minervam coram EE. et RR. DD. S. R. E. Cardinalibus contra haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus, propositis supradictis septem dubiis, iidem EE. et RR. ad singula responderunt, ut sequitur:

Ad primum: Quoad primam partem: *Affirmative, quo tamen in*

Digitized by Google

casu apponatur legalitas a curia episcopali. Quoad secundam partem : *Provisum in prima.*

Ad secundum : *Affirmative.*

Ad tertium : *Servetur instructio.*

Ad quartum : *Generatim affirmative : in casibus vero particularibus prudenti arbitrio Episcopi.*

Ad quintum : *Affirmative.*

Ad sextum : Quoad primam partem : *Negative.* Quoad secundam partem : *Affirmative.*

Ad septimum : Quoad primam partem : *Affirmative : Vicarii tamen foranei transmittant acta ad curiam episcopalem, cujus est expedire fidem status liberi.* Quoad secundam partem : *Provisum in prima.*

Ita est : ANGELUS ARGENTI S. R. Et
Universalis Inquisitionis Notarius.

III

Dubia circa exterorum matrimonia, cum responsionibus S. C. S. Officii.

Ordines ultimo loco emanati circa matrimonia cum exteris contrahenda inter alia disponunt, quod Ordinarii praecipiant omnibus et singulis parochis in eorum dioecesibus existentibus, ut, pro matrimoniis cum exteris contrahendis, non faciant publicationes in eorum ecclesiis, nisi certiorato Ordinario, a quo, vel ejus Vicario Generali prius teneantur fidem authenticam reportare, quod pro tali matrimonio fuerint examinati testes in eorum tribunali, qui probent statum liberum contrahere volentium.

I. Quaeritur, an illi ex dioecesibus circumvicinis et ipsi teneantur tales probationes facere, an vero sufficiat fides denunciationum in eorum dioecesibus factarum cum legalitate Ordinarii, et probatio eorum status post discessum ab ipsa dioecesi ?

R. *Hujusmodi habentur pro exteris, et consequenter tenentur probationes facere.*

II. Item, an contrahere volentes, in confinibus eorum dioecesis habitantes, et ob vicinitatem ab eorum rectoribus cogniti, teneantur easdem facere probationes, an vero sufficiant publicationes ab ipsis rectoribus faciendae ?

R. *Etiam ipsi tenentur facere probationes.*

III. An easdem teneantur facere probationes ii, qui ante acta-

Digitized by Google

tem nubilem a propria dioecesi discedentes, ad aliam se contulerint, et in ea postmodum semper habitaverunt?

R. *Non tenentur qui non fuerint extra dioecesim tempore habili ad contrahendum.*

IV. An in civitate in qua milites Hispani, Teutonici, Alemani, et aliarum longinquarum nationum residere solent, idem cum ipsis sit servandum, vel sufficiat probationes in ipsa civitate recipere de eorum statu a testibus ipsarum regionum de negotio edoctis?

R. *Tenentur facere probationes juxta formam instructionis, quia isti facilius committunt polygamiam.*

V. An facta per parochum monitione Ordinario contrahere volentis, fides status ejusmodi sit ab eodem parocho, vel a contrahere volente reportanda?

R. *Tenetur fidem reportare, et parocho consignare is qui vult matrimonium contrahere, sed est in libertate parochi ejusmodi onus in se assumere.*

VI. An eaedem probationes sint servandae in casu necessitatis, et ab existentibus in periculo mortis sic contrahere volentibus?

R. *Non sunt servandae in articulo mortis, intra quem scilicet probabiliter non adsit tempus sufficiens faciendi diligentias, cum hoc etiam, quod si infirmus forte convaluerit, debeant fieri diligentiae, juxta instructionem, antequam simul conveniant.*

VII. An requiratur attestatio proprii Ordinarii pro exteris, qui per decem annos et ultra, domicilium acquisierunt in loco, ubi sunt matrimonium contracturi, si eorum status liber probetur per testes fide dignos tum originis, cum domicilii?

R. *Requiritur.*

VIII. An requiratur dicta attestatio pro illis exteris, qui unicam vel plures duxerunt, et e contra, si mortuae fuerint in loco, ubi iterum matrimonium contrahere desiderant, ac amplius post mortem a dicto loco non discesserunt?

R. *Requiritur pariter.*

IV

Instructio S. Officii, a. 1879, *ad Delegatum Apostolicum Aegypti quoad probationes status liberi.*

Sacrosancta Tridentina Synodus, sess. 24, *cap.* 6 *de ref.* statuit haud facile ad matrimonium ineundum admittendas esse personas, quae vagas incertasque sedes habuerunt, nisi prius diligens praecesserit inquisitio super earumdem libertate status. Saepe

Digitized by Google

hac de re interrogata S. I. C. vel generales, vel particulares tradidit regulas pro casuum opportunitate, accurate tamen et practice evolvendas, et applicandas prudenti Ordinariorum judicio.

Aliquando contingit ut haec investigatio fiat super libertate status personae quae vidua putatur, sed de illius compartis obitu legitimae non habentur probationes. Hoc in casu nuper aliam edidit S. Cong. instructionem typis editam, cujus exemplar adjunctum accipiet Delegatus Apostolicus Aegypti et Arabiae.

Aliquando autem investigatio est instituenda super libertate status personae, quae prima vice matrimonium inire cupit, sed diu et fere toto suae vitae cursu in dissitas variasque abiit regiones. Hoc in casu, inhaerendo regulis traditis in instructione de anno 1670 ab Ordinariis locorum in quorum civitate vel dioecesi permanserit persona ipsa, documentum ejus libertatis requirendum foret. Verum cum hoc difficile sit, et plerumque vel etiam impossibile ob locorum distantiam, vel ob populorum imperitiam, sicuti in missionum locis ut plurimum contingit, supplendum erit depositionibus juratis testium qui sint idonei, et concludenter deponant de libertate personae matrimonium contrahere cupientis, vel quia aliquando fuerint socii itineris vel negotiationis, vel frequens epistolare commercium cum eadem absente persona habuerint, et praesertim si sanguine sint juncti. Hoc enim in casu vehemens oritur praesumptio quod testes ipsi, licet absentes fuerint, sint nihilominus de illius libertate instructi.

Praeterea S. C. non respuit etiam depositiones juratas testium qui de relato alterius personae deponunt, dummodo aliquo modo constet de illius idoneitate, probitate et scientiae causa.

His quoque deficientibus probationum argumentis, praetereunda non est investigatio super vitae ratione personae nubere volentis habita in patria non solum antequam discederet, sed etiam post ejus reditum ; nam si laude digna probetur, tunc fidentius ad juramentum suppletorium admitti poterit pro ejus libertate status comprobanda, monita tamen prius de actus emittendi sanctitate, deque poenis in perjuros a sacris canonibus comminatis.

Porro animadvertat Delegatus Apostolicus Orator hoc probationis remedium adhibendum esse in defectu omnium aliarum probationum ; sicut ipsa verborum significatio satis superque innuit. Quare hisce regulis facile consulere poterit tam in peculiari casu Antonii Abed Elmesich Chaldaei, quam aliis superventuris.

Digitized by Google

V

Dubia proposita Vicario Apostolico Patriarchali Constantinopolitano circa observantiam Bullae Clementis X praescribentis formam et methodum sequendam in examine testium pro statu libero.

I. An acatholici reputandi sint testes idonei et admittendi ad deponendum super statu libero eorum qui contrahere volunt matrimonium, speciatim deficientibus catholicis?

Et quatenus affirmative :

An cum ipsis praescindi posset a juramento?

II. Quinta interrogatio testibus proponenda haec est: « *An sibi pro hoc ferendo testimonio fuerit aliquid datum, promissum etc.* »? Possetne omitti hujusmodi interrogatio, cum testis est persona distincta, vel ob suum characterem, ut presbyteri, vel propter munus quod fungitur, ut sunt, v. g. interpretes legationum, aliique administrationibus addicti?

III. In septima interrogatione habetur: « *Si responderit (testis) esse extraneos (contrahentes), supersedeatur in licentia contrahendi, donec per litteras Ordinarii ipsorum contrahere volentium doceatur de eorum statu libero* ». Experientia compertum est impossibile esse tales litteras haberi posse ab iis Episcopis qui in Imperio Russico, speciatim vero ab iis qui in Poloniae dioecesibus degunt. Pariter notum est ab orientalibus schismaticis nunquam concedi fides status liberi favore earum personarum quae, quamvis ipsorum communioni addictae, volunt nihilominus matrimonio copulari cum persona catholica in facie Ecclesiae catholicae. Quomodo se gerere debeat cancellaria Vicariatus Apostolici tam in primo quam in secundo casu?

IV. Praeterea quaeritur quaenam fides adhibenda sit iis attestationibus status liberi, quae a civili auctoritate promanant? Quod si in genere respuenda sit attestatio a civilibus auctoritatibus emanata, possetne exceptio statui favore protestantium, erga quos respectiva cancellaria unica est competens auctoritas in casu?

V. Tandem personae fide dignissimae, etiam ecclesiasticae, asserunt in Gallia moraliter impossibilem esse celebrationem matrimonii in Ecclesia, quin prius locum habuerit matrimonium civile coram syndico (*Maire*) loci. Numquid ergo pro Gallis sufficeret attestatio syndici, an vero requiratur eodem modo fides data ab auctoritate ecclesiastica?

Digitized by Google

VI. S. C. S. Officii proposita sunt dubia quaedam, inter quae octavum hoc est : « *An requiratur dicta attestatio (Ordinarii loci originis), pro illis exteris, qui unicam, vel plures duxerunt, et e contra, si mortuae fuerint in loco, ubi iterum matrimonium contrahere desiderant, ac amplius post mortem a dicto loco non discesserunt* » ? Cui responsum dedit S. C. : « *Requiritur pariter* ». Quaeritur ergo an haec intelligi debeant de solo casu quo dubitaretur num mortuus vel mortua superstiti legitime conjunctus vel conjuncta fuerit, an vero quando etiam constaret mortuum fuisse legitimum virum, mortuam vero fuisse legitimam uxorem personae quae ad ulteriores nuptias transire intendit ?

S. Officium, 2 *Aprilis* 1873 reposuit :

Ad I : Quoad primam dubii partem : *Quatenus constet acatholicos testes, de quibus in singulis casibus agitur, esse fide dignos, nihil obstare quominus eorum testimonium recipiatur.* Quoad secundam partem : *Generatim loquendo, negative.*

Ad II : *Generatim loquendo, negative, et ad mentem.* Mens est, *quod si attenta conspicua qualitate et honestate testis, prudenter timeatur ne ipse ex hujusmodi interrogatione offensionem accipiat, posse idem interrogatorium omitti.*

Ad III et IV cumulative : *Curandum est ut habeantur documenta, prout de jure, et quatenus ea obtineri nequeant, supplendum eo meliori modo quo fieri potest, habita ratione instructionis anni* 1869 *R. P. D. Vicario Apostolico transmittendae. Caeterum generatim vitanda esse matrimonia exterorum qui sint destituti requisitis documentis. In iis vero casibus urgentioribus, in quibus vetari sine periculo haud possit, quin matrimonium ineant, qui ab ejus adeptione repulsi turpissimis vitiis, non sine publica offensione, sordescere, et, quod ipsis imminet, aeternae salutis omittendae periculum in dies agere pergerent, dummodo constet de domicilio alterutrius sponsi, et factis interrogatoriis juxta formulam (de qua in expositis dubiis), supplicandum SSmo pro gratia remittendi prudenti arbitrio et conscientiae ejusdem R. P. D. Vicarii Apostolici, ut praefati sponsi admitti possint ad juramentum suppletorium, idque ad quinquennium, durantibus circumstantiis.*

Ad V. Ad primam partem : *Negative* ; ad secundam partem : *Affirmative.*

Ad VI. *Affirmative.*

Digitized by Google

VI

Interrogatoria facienda pro examine illorum Testium, qui inducuntur pro contrahendis Matrimoniis in Curia Emi et Rmi Domini Card. Urbis Vicarii. In primis monendi erunt examinandi de gravitate juramenti, in hoc praesertim negotio pertimescendi, in quo Divina simul et humana Majestas laeditur, ob rei, de qua agitur, gravitatem, et quod imminet poena triremium deponenti falsum.

Die

Pro

Coram Rmo Domino Deputato examinat fuit per me in Officio mei cognit cui delato juramento veritatis dicendae, prout tactis etc. juravit, dixit, ac pro veritate deposuit.

1. Monit de vi, et importantia juramenti, ac de poenis perjurii, rite, recteque respondit

2. Interr. de nomine, cognomine, patre, patria, aetate, exercitio, et habitatione ?

3. An sit civis, vel exterus, et quatenus sit exterus, a quo tempore moram traxerit in loco, in quo testis ipse deponit ?

4. An ad examen accesserit sponte, vel requisit . « *Si dixerit accessisse sponte a nemine requisit , dimittatur, quia praesumitur mendax. — Si vero dixerit accessisse requisit* » : Interrogetur a quo, vel a quibus, ubi, quando, quomodo, coram quibus, et quoties fuerit requisit , et an sciat adesse aliquod impedimentum inter contrahere volentes ?

5. An sibi pro hoc testimonio

Digitized by Google

ferendo fuerit aliquid datum, promissum, remissum, vel oblatum a contrahere volentibus, vel ab alio ipsorum nomine ?

6. An cognoscat ipsos contrahere volentes, et a quo tempore ; in quo loco, qua occasione, et cujus qualitatis, vel conditionis existant ?

Si responderit negative testis dimittatur. — Si vero affirmative.

7. An contrahere volentes sint cives, vel exteri ?

8. Sub qua parochia hactenus contrahere volentes habitarunt, vel habitent de praesenti ?

9. An ipse testis sciat, aliquem ex praedictis contrahere volentibus quandoque habuisse uxorem, vel maritum, aut professum fuisse in aliqua religione approbata, vel suscepisse aliquem ex ordinibus sacris, subdiaconatum scilicet, diaconatum, vel presbyteratum. Vel habere aliud impedimentum, ex quo non possit contrahi matrimonium ?

Si vero testis responderit non habuisse uxorem, vel maritum, neque aliud impedimentum, ut supra.

10. Interrog. De causa scientiae, et an statui possit quod aliquis ex illis habuerit uxorem, vel maritum, aut aliud impedimentum etc., et quod ipse testis nesciat ?

Si responderit affirmative, super sedeatur, nisi ex aliis testibus probetur concludenter non habuisse uxorem, vel maritum, neque ullum

Digitized by Google

aliud impedimentum. Si vero responderit negative :

11. Interrog. De causa scientiae, ex qua deinde judex colligere poterit, an testi sit danda fides?

Si responderit contrahere volentes habuisse uxorem, vel maritum, sed esse mortuos.

12. Interrog. De loco, et tempore, quo sunt mortui, et quomodo ipse testis sciat fuisse conjuges, et tunc esse mortuos?

13. An post mortem dicti conjugis defuncti aliquis ex praedictis contrahere volentibus transierit ad secunda vota?

Si responderit negative ;

14. An esse possit, quod aliquis ex illis transierit ad secunda vota absque eo, quod ipse testis sciat?

Si responderit affirmative, non expediatur licentia, et tunc producantur testes, per quos negativa coarctetur concludenter. —Si vero negative.

15. Interrog. De causa scientiae, qua perpensa, tudex poterit judicare an concedenda sit licentia, vel non?

Et perlecto examine ratum habuit, et

Digitized by Google

VII

Licentia procedendi ad publicationes matrimonii quae Romae in usu est.

Il Rev. Curato della Chiesa di S..... esplorato che avrà la volontà dell' infrascritt Contraent , avutone dal medesim il consenso, e trovato istruit nei Misteri di nostra S. Fede (dopo che l'avrà esortati a premettere la Confessione qualche tempo prima di venirne alla celebrazione) pubblicherà il matrimonio, che desiderano contrarre insieme

(Attesterà quindi della dimora)

e fatte, che avrà le debite pubblicazioni secondo il Rito della S. Madre Chiesa, e del S. Concilio di Trento, ne farà fede a piè di questa, costando avere li suddetti Contraenti esibite negli Atti dellt infrascritto nostro Notaro tutte le giustificazioni necessarie per la prova del loro stato libero.

Questo di del Mese di (1)

(1) *Latine*: Rev. parochus Ecclesiae S..., postquam exploraverit voluntatem infrascripti (vel infrascriptae, vel infrascriptorum) contrahentis, ejusdemque habuerit consensum, si eumdem satis instructum reperierit in mysteriis nostrae S. Fidei, facta exhortatione ad confessionem celebrationi matrimonii praemittendam, publicabit matrimonium quod inire desiderant

(testabitur deinde de loco commorationis)

et peractis publicationibus juxta ritum S. Matris Ecclesiae et S. Conc. Trid., de eisdem fidem faciet in fine hujus folii ; cum supradicti contrahentes in actis subscripti Notarii nostri omnia exhibuerint necessaria ad probandam libertatem status.

Hac die... mensis...

Digitized by Google

VIII

LICENTIA ASSISTENDI MATRIMONIO QUAE ROMAE IN USU EST.

Si concede licenza al Rev..... Curato della Chiesa di S..... di poter intervenire alla celebrazione del Matrimonio, che desiderano contrarre insieme

poichè, fatte le debite denunciazioni e per le informazioni prese per gli atti dell' infrascritto Notaro, non si trova esserci alcun impedimento fra loro: dovrà però detto Curato far celebrare tal Matrimonio in Chiesa, la mattina, ed esortare prima li Contraenti a confessarsi, e comunicarsi avanti tal celebrazione, osservando diligentemente quanto è ordinato dal S. Concilio Tridentino.

Questo di del Mese di (1).

(1) *Latine*: Datur licentia Rev..... parocho Ecclesiae S..... assistendi celebrationi matrimonii, quod contrahere desiderant

cum ex peractis debitis publicationibus, et ex informationibus assumptis in actis infrascripti Notarii, nullum resultet inter eos canonicum impedimentum. Matrimonium autem celebrabitur in ecclesia, mane, et parochus contrahentes hortabitur ut ante hanc celebrationem ad confessionem et communionem accedant, omnia servans diligenter, quae a S. Conc. Trid. praescripta sunt.

Hac die... mensis...

Digitized by Google

Pro retroscriptis contrahentibus adsunt omni necessaria documenta ad libere matrimonium contrahendum, nullumque ab actis impedimentum resultat.

Praevio accurato examine testor constare de regularitate processus.

Digitized by Google

ALLEGATUM IV

FORMULAE PRAECIPUAE IN MATERIA DISPENSATIONUM MATRIMONIALIUM.

I

Formulae ad petendam dispensationem (1).

1° *Formula ad petendam dispensationem a publicationibus.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

Joannes N. et Marianna M., parochiani mei, matrimonium in facie Ecclesiae inire quantocius cupiunt; et ideo petunt a Dominatione Vestra dispensationem ab una publicatione.

Causae sunt.....

Die mensis anni.

N. Pastor parochiae N.

2° *Formula ad petendam licentiam celebrandi matrimonium vagorum.*

Illme ac Reme Dne.

Marianna M., parochiana mea, matrimonium inire cupit cum Joanne N. nato in dioecesi N., qui cum nullibi habeat domicilium vel quasi-domicilum, vagus habendus est. Parentes ejus consensum dederunt, et, diligenti facta inquisitione, nullum canonicum impedimentum inveni. Quare Dominationi Vestrae supplico, ut mihi quid faciendum sit, significare dignetur.

Die mensis anni.

N. Pastor parochiae N.

(1) Sequentibus formulis uti potest, mutatis mutandis, parochus, confessarius, Ordinarius, quisque pro re sua: sed confessarius nomina supprimit (n. 351).

Digitized by Google

3° *Formula ad petendam dispensationem in impedimento voti.*

Illme ac Reme Dne.

Marianna M. nostrae dioecesis olim votum... emisit; a quo modo, nuptias contrahere volens, dispensationem a Dominatione Vestra humiliter petit (*vel si votum est reservatum*, a Dominatione Vestra humiliter petit ut dispensationem a S. Sede obtinere dignetur).

Causae sunt.....

Die mensis anni.

N. Pastor parochiae N.

4° *Formula ad petendam dispensationem in impedimento mixtae religionis.*

Illme ad Reme Dne.

Marianna M., catholica, parochiana mea, matrimonium inire cupiens cum Joanne N. sectae Luteranae addicto, et in suis erroribus, saltem huc usque, persistente, humillime petit a Dominatione Vestra, ut dispensationem in impedimento mixtae religionis concedere dignetur (vel a Sede procurare dignetur).

Pars acatholica coram me, uti ex declaratione huic petitioni addita patet, sub fide juramenti, promisit omnes utriusque sexus infantes ex illo matrimonio nascituros, in fide catholica baptizandos et educandos esse, iisque aeque ac conjugi prorsus liberum fore religionis catholicae exercitium.

Praeterea pars catholica spopondit se pro viribus curaturam viri conversionem.

Quantum ex adjunctis mihi judicare licet, promissiones hujusmodi sincerae sunt, timendumque minime est ne de futuro non adimpleantur. Nam.....

Causae pro dispensatione concedenda sunt.....

Pars catholica taxam ordinariam solvere potest (vel apud me deposuit).

Die mensis anni.

N. Pastor parochiae N.

Digitized by Google

6° *Formula ad petendam dispensationem ab impedimentis dirimentibus.*

Illme ac Reme Dne.

Joannes N. aetatis 32 annorum, et Marianna M. aetatis 28 annorum, parochiani mei, matrimonium inire desiderant. Obstat vero impedimentum ; 1° consanguinitatis tertii et quarti gradus inaequalis lineae collateralis ; 2° affinitatis tertii gradus aequalis lineae collateralis ; 3° publicae honestatis ortum ex sponsalibus cum sorore Mariannae initis et mutuo consensu solutis.

Quare humiliter supplicant Dominationi Vestrae ut super his impedimentis dispensationem ipsis vi Apostolici indulti concedere dignetur (vel procurare a Sede Apostolica dignetur).

Causae sunt.....

Testor oratorem possidere circiter 5.000 fr. in re, 10.000 fr. in spe ; oratricem 2.000 in re, 6.000 in spe (vel oratores pauperes esse ita ut solo manuum labore victum sibi comparare cogantur).

Pro taxa et expensis oratores apud me deposuerunt francos....

Die mensis anni.

N. Pastor parochiae N.

Schemata.

Consanguinitatis. Affinitatis.

7° *Formula ad petendum* PERINDE VALERE.

Illme ac Reme Dne.

Joannes N. et Marianna M. in eo sunt ut matrimonium ineant, obtenta dispensatione super impedimento consanguinitatis secundi gradus aequalis lineae collateralis. At bona fide in instantia tacitum fuit hunc consanguinitatis gradum esse duplicem, ut constat ex schemate hic adnexo. Quare humiliter supplicant Dominationi Vestrae ut revalidationem obtentae dispensationis concedere dignetur (vel procurare a Sede Apostolica dignetur) perinde ac si veritas in instantia expressa fuisset.

Die mensis anni.

N. Pastor parochiae N.

Digitized by Google

9° *Formula ad petendam revalidationem matrimonii nulliter bona fide contracti.*

Illme ac Reme Dne.

Joannes N. et Marianna M., parochiani mei, praemissis publicationibus, quin ullum detectum fuerit impedimentum, matrimonium *die* 25 *Jan.* 1891 in facie Ecclesiae contraxerunt, ac successive consummarunt, prole inde suscepta.

Obstat vero impedimentum consanguinitatis in quarto aequali gradu collaterali, ut videre est in schemate hic adnexo. Quod cum hodie tantum partibus et publice innotuerit, matrimonium hujusmodi convalidare cupientes, humillime supplicant Dominationi Vestrae ut dispensationem ab hoc impedimento, una cum prolis legitimatione, ipsis concedere dignetur (vel procurare a Sede Apostolica dignetur) ita ut valeant matrimonium denuo in facie Ecclesiae contrahere.

Die mensis anni.

N. Pastor parochiae N.

10° *Formula ad petendam sanationem in radice.*

Illme ac Reme Dne.

Joannes N. et Marianna M., parochiani mei, praemissis publicationibus, quin ullum detectum fuerit impedimentum, matrimonium *die* 25 *Jan.* 1891 in facie Ecclesiae contraxerunt, ac successive consummarunt, prole exinde suscepta.

Obstat vero impedimentum consanguinitatis in quarto aequali gradu collaterali, ut videre est in schemate hic adnexo: quod impedimentum partibus modo tantum innotuit.

Cum vero Joannes N., sectae Massonicae postea inscriptus, nullo modo ad renovandum consensum coram parocho et testibus induci possit, licet de consensus perseverantia dubitari nequeat, Marianna M. humillime supplicat Dominationi Vestrae ut sanationem in radice praefati matrimonii a Sede Apostolica procurare dignetur.

Die mensis anni.

N. Pastor parochiae N.

Digitized by Google

II

Formulae nonnullarum dispensationum concessarum.

1° *Formulae dispensationum concessarum a S. Dataria.*

a) *In forma ordinaria ob causam honestam ad nuptias ineundas:*

Exterius:
Dilecto Filio Ordinario Parisiensi.
Interius:
Leo PP. XIII
Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Oblata Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Joannis N. dioecesis N. et Mariannae M. mulieris Parisien dioecesis petitio continebat quod ipsi qui, ut asserunt, ex honestis familiis existunt, ex certis peculiaribus rationalibus causis animos eorum moventibus et Nobis expositis, cupiunt invicem matrimonialiter copulari. Sed quia secundo in linea aequali consanguinitatis gradu invicem sunt conjuncti, desiderium eorum hac in parte adimplere non possunt absque Sedis Apostolicae dispensatione. Ideo Nobis humiliter supplicare fecerunt exponentes praefati, ut eis in praemissis de opportunae dispensationis gratia providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem exponentes, attentis causis Nobis notis, specialis gratiae favore prosequi volentes, nec non eorum quemlibet a quibusvis ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, certam tamen de praemissis notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus, de praemissis te diligenter informes, et si vera sint exposita, super quo conscientiam tuam oneramus, cum iisdem exponentibus, dummodo dicta Marianna propter hoc rapta non fuerit, quod impedimento secundi in linea aequali consanguinitatis gradus hujusmodi, ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque non obstantibus, matrimonium inter se publice, servata forma Concilii Tridentini, contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare, ac in eo postmodum remanere libere ac licite valeant, vetito omnino ne aliquid muneris aut premii exigere vel oblatum recipere praesumpseris, auctoritate Nostra, ex

Digitized by Google

gratia speciali, dispenses; prolemque suscipiendam exinde legitimam nuntiando.

Datum, etc.

b) *Ejusdem dispensationis super secundo et tertio, aut secundo et quarto consanguinitatis (vel affinitatis) gradu.*

Interius:

Leo Episcopus Servus Servorum Dei dilecto filio Ordinario Parisien salutem et Apostolicam benedictionem.

Oblata Nobis nuper pro parte dilecti filii Joannis N. laici, et dilectae in Christo filiae Mariannae M. mulieris Parisien dioecesis petitio continebat, quod ipsi qui ex honestis familiis existunt, ex certis rationabilibus causis animos eorum moventibus, cupiunt invicem matrimonialiter copulari; sed quia secundo et tertio a communi stipite provenien consanguinitatis gradibus invicem sunt conjuncti, desiderium eorum hac parte adimplere non possunt absque Sedis Apostolicae dispensatione. Quare iidem Nobis humiliter supplicare fecerunt, ut eis in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem a quibusvis ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, discretioni tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus de praemissis te diligenter informes, et si vera sint exposita, super quo conscientiam tuam oneramus, tunc cum ipsis, dummodo illa propter hoc rapta non fuerit, quod impedimento tertii consanguinitatis gradus hujusmodi, ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque non obstantibus, matrimonium inter se publice, servata forma Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie ecclesiae solemnizare, ac in eo postmodum remanere libere et licite valeant, vetito omnino ne aliquid muneris aut premii exigere vel oblatum recipere praesumpseris, auctoritate Nostra, dispenses; distantiam vero secundi gradus praefati eis non obstare declares, prolem suscipiendam exinde legitimam nuntiando.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae 1891 Kalendas Februarii Pontificatus Nostri an. XIV.

Digitized by Google

c) *In forma ordinaria ob causam infamantem ad nuptias ineundas:*

Interius :

Leo PP. XIII

Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Oblata Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Joannis N. laici, et Mariannae M. mulieris Parisien dioecesis petitio continebat: quod, ipsis alias scientibus se tertio affinitatis gradu invicem attinere, Joannes praefatus, vesana libidine victus, praedictam Mariannam cognovit. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, nisi matrimonium inter dictos Joannem et Mariannam contrahatur, oratrix diffamata et innupta remaneret, gravia exinde scandala possent verosimiliter exoriri, cupiunt Joannes et Marianna praedicti invicem matrimonialiter copulari ; sed stantibus impedimentis hujusmodi, desiderium eorum in hac parte adimplere non possunt absque Sedis praedictae dispensatione. Quare iidem Joannes et Marianna Nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenus eis in praemissis, de absolutionis beneficio, et opportunae dispensationis gratia providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui salutem quaerimus singulorum, et scandalis quibuslibet, ne eveniant, quantum cum Deo possumus, libenter obviamus eosdem Joannem et Mariannam, et eorum quemlibet a quibusvis ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, ac certam de praemissis notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae, per praesentes mandamus, quatenus te de praemissis diligenter informes, et si vera sint exposita, super quo tuam conscientiàm oneramus, tunc eosdem Joannem et Mariannam ab incestus reatu et excessibus hujusmodi, imposita eis prius propter incestum hujusmodi, arbitrio tuo, poenitentia salutari, hac vice dumtaxat, in forma Ecclesiae consueta in utroque foro auctoritate Nostra absolvas. Et quatenus contra ipsos causa super praemissis in judicium quoquo modo inducta fuerit, parito judicato ; ac cum eisdem Joanne et Marianna, dummodo ipsa propter hoc rapta non fuerit, quod impedimento tertii affinitatis gradus hujusmodi ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis nequaquam obstantibus, matrimonium inter se publice, servata forma Concilii Tridentini, contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare, et in eo postmodum remanere libere, et licite valeant, dicta auctoritate dispenses; vetito omnino ne aliquid muneris aut premii exigere vel

Digitized by Google

oblatum recipere praesumpseris; prolem susceptam, si qua sit, et suscipiendam, exinde legitimam decernendo.

Datum etc.

d) *In forma pauperum ob causam infamantem ad nuptias ineundas.*

Interius:

Leo PP. XIII

Dilecte fili salutem et Apostolicam benedictionem.

Oblata Nobis nuper pro parte... (*ut supra*) tunc eosdem Joannem et Mariannam, qui, ut ipsi asserunt, pauperes et miserabiles existunt, ac ex labore et industria tantum vivunt, remoto quatenus adsit scandalo praesertim per separationem tempore tibi beneviso, si fieri potest, imposita eis, pro modo culpae, arbitrio tuo, gravi poenitentia salutari, prout juxta prudens tuum arbitrium magis in Domino expedire judicaveris, ipsos ab incestus reatu, et excommunicatione, aliisque sententiis, censuris et poenis tam a jure quam ab homine, contra similia perpetrantes promulgatis, quas ipsi propterea incurrerunt in utroque foro, et quatenus contra dictos exponentes causa quoquo modo in judicium deducta fuerit, parito judicato, auctoritate Nostra, hac vice dumtaxat, absolvas in forma Ecclesiae consueta. Demum si tibi expediens videbitur, quod dispensatio hujusmodi sit eis concedenda, nec scandalum sit ex eo oriturum, super quo conscientiam tuam oneramus, tunc cum eisdem exponentibus, dummodo dicta M. propter hoc rapta non fuerit, ipsique exponentes pauperes et miserabiles existant, ac ex suis labore et industria tantum vivant, ut praefertur, quod impedimento secundi in linea aequali consanguinitatis gradus, ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque non obstantibus, matrimonium inter sese publice, servata forma Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare, et in eo postmodum remanere libere et licite valeant, auctoritate Nostra dispenses, vetito omnino ne aliquid muneris aut premii exigere aut oblatum recipere praesumpseris; prolem susceptam, si qua sit, et suscipiendam legitimam nuntiando.

Datum, etc.

e) *Ad revalidandum matrimonium nulliter contractum.*

Interius:

Leo Episcopus Servus Servorum Dei dilecto filio Ordinario Parisien salutem et Apostolicam benedictionem.

Ex parte dilecti filii Joannes N. et dilectae in Christo filiae

Digitized by Google

Mariannae M. mulieris Parisien dioecesis Nobis oblata petitio continebat : quod ipsi, alias ignorantes aliquod impedimentum inter eos existere, quominus possent invicem matrimonialiter copulari, matrimonium inter se per verba de praesenti, publice factis proclamationibus in eorum parochiali Ecclesia juxta formam Conc. Trid., nulloque detecto neque denuntiato impedimento, contraxerunt, illudque in facie Ecclesiae solemnizarunt, ac carnali copula consummarunt. Postmodum vero ad eorum pervenit notitiam eos quarto consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos ; et nihilominus in eadem carnali copula perstiterunt. Cum autem, sicuti eadem petitio subjungebat, Joannes et Marianna praefati in hujusmodi conjugio remanere non possint absque Sedis Apostolicæ dispensatione, et si divortium inter eos fieret, gravia exinde scandala possent verosimiliter exoriri ; quare iidem Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut eis in praemissis de absolutionis beneficio, et opportunae dispensationis gratia providere de Apostolica auctoritate dignaremur. Nos igitur eosdem a quibusvis ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, discretioni tuae per Apostolica scripta mandamus quatenus de praemissis te diligenter informes, et si vera sint exposita, super quo tuam conscientiam oneramus, tunc ipsos ab incestus reatu et excessibus hujusmodi, imposita prius eis propter incestum hujusmodi, arbitrio tuo, poenitentia salutari, hac vice dumtaxat in forma Ecclesiae consueta, in utroque foro auctoritate Nostra absolvas ; et quatenus contra dictos Joannem N. et Mariannam M. causa super praemissis in judicium quoquo modo deducta fuerit, parito judicato ; ac cum ipsis Joannem N. et Mariannam M., dummodo ipsa propter hoc rapta non fuerit, et ignorantia hujusmodi probabilis extiterit, quod impedimento quarti consanguinitatis gradus hujusmodi, ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis nequaquam obstantibus, matrimonium inter se de novo publice, servata forma dicti Concilii contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare, et in eo postmodum libere, et licite remanere valeant, vetito omnino ne aliquid muneris aut premii exigere vel oblatum recipere praesumpseris, auctoritate Nostra dispenses ; prolem susceptam, si qua sit, et suscipiendam exinde legitimam decernendo.

Datum, etc.

Digitized by Google

2° *Formulae dispensationum concessarum a S. Poenitentiaria.*

a) *Pro foro externo favore pauperum ob causam honestam ad nuptias ineundas* :

In principio refertur instantia ; deinde legitur :

S. Poenitentiaria de speciali et expressa Apostolica auctoritate, suprascriptos oratores a quibusvis sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis tam a jure, quam ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati sint, ad effectum infrascriptae gratiae duntaxat consequendae, hujus rescripti tenore absolvens et absolutos fore censens, proprio oratorum Ordinario facultatem concedit, cum iisdem oratoribus, si vera sint exposita, et dummodo super petita dispensatione recursus ad Apostolicam Datariam factus non sit, aliudque eis canonicum non obstet impedimentum, quominus legitimo matrimonio conjungi possint, super recensito in precibus impedimento, ut, illo ac constitutionibus, atque ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque non obstantibus, matrimonium uterque inter se publice, servata forma sacri Concilii Tridentini, contrahere, et in eo postmodum remanere licite ac libere valeant, Apostolica auctoritate in utroque foro misericorditer et gratis dispensandi : prolem suscipiendam exinde legitimam nunciando.

Datum, etc.

b) *Pro foro externo favore pauperum ob causam infamantem incestus aut scandalosae cohabitationis ad nuptias ineundas.*

S. Poenitentiaria de speciali ac expressa... (*ut supra*) proprio oratorum Ordinario facultatem concedit, cum iisdem oratoribus remoto, quatenus adsit, scandalo praesertim per separationem tempore sibi beneviso, si fieri potest, ac praevia absolutione sive per se sive per aliam idoneam ecclesiasticam personam ab eo ad hoc specialiter hac vice tantum deputandam a censuris et poenis ecclesiasticis, si quas ob praemissa incurrerint, et ab incestus reatibus, cum gravi ac diuturna poenitentia salutari, si vera sint exposita, et dummodo super petita dispensatione recursus ad Apostolicam Datariam factus non sit, aliudque eis canonicum non obstet impedimentum quominus legitimo matrimonio conjungi possint, erogata ab eis aliqua eleemosyna juxta eorum vires ab eodem Ordinario respective taxanda et definienda pro sua conscientia, super recensito impedimento... (*ut supra*) gratis dispen-

Digitized by Google

sandi; prolem sive susceptam sive suscipiendam exinde legitimam decernendo ac respective nuntiando.

Datum, etc.

c) *Pro foro interno ad nuptias ineundas.*

Exterius:

Discreto viro confessario ex approbatis ab Ordinario loci per latorem praesentium eligendo.

Interius:

Sacra Poenitentiaria tibi confessario ab oratoribus electo facultatem concedit dictos oratores, si ita sit, audita eorum sacramentali confessione, ac remota ex parte oratoris occasione amplius peccandi cum matre oratricis, cavendo tamen ne hujusmodi delictum ipsi oratrici forsan ignoranti detegatur, a censuris et poenis ecclesiasticis ob praemissa quovis modo incursis, et ab incestus reatibus Apostolica auctoritate absolvendi, et cum iisdem, dummodo super publico impedimento dispensationis literae obtentae fuerint, et nullitas illarum ex praemissis proveniens occulta remaneat, et dummodo nativitas mulieris praecesserit copulam ab oratore habitam cum ejus matre, aliudque canonicum non obstet impedimentum, ut praemissis caeterisque contrariis non obstantibus, matrimonium uterque inter se, servata forma S. Conc. Trid. et obtentae dispensationis, contrahere et in eo postmodum remanere licite valeant, Apostolica expressa auctoritate, misericorditer et gratis dispensandi, prolem sive susceptam sive suscipiendam exinde legitimam decernendo, ac respective nuntiando, injuncta gravi poenitentia salutari, quodque in pauperes faciant aliquam eleemosynam, aliisque injunctis de jure injungendis, pro foro conscientiae et in sacramentali confessione tantum, ita quod hujusmodi gratia pro foro externo nullatenus suffragetur, nullisque super his testibus adhibitis aut literis datis, sed praesentibus, post earum executionem, sub poena excommunicationis latae sententiae, per te laceratis, neque eas latori restituas; quod si restitueris, nihil ei praesentes literae suffragentur.

Datum, etc.

d) *Pro foro interno ad revalidandum matrimonium nulliter contractum.*

Exterius:

Discreto viro (*ut suprà*).

Interius:

Raphael divina providentia Episcopus Albanensis Cardinalis

Digitized by Google

Monaco La Valletta. Discreto viro confessario... (*ut supra*) salutem in Domino. Ex parte latricis praesentium nobis oblata petitio continebat, quod ipsa alias matrimonium publice in facie Ecclesiae contraxit et successive consummavit cum viro, cujus patrem carnaliter cognoverat. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, ob dictum impedimentum ex praemissis proveniens, quod occultum est, in dicto matrimonio remanere nequeat absque Sedis Apostolicae dispensatione, ad evitanda scandala, quae, si divortium fieret, inter se et dictum virum exorirentur, cupit a praemissis, de quibus plurimum dolet, absolvi, secumque desuper dispensari. Quare supplicavit humiliter ut sibi super hoc de opportuno remedio providere dignaremur. Nos igitur qui Poenitentiariae Domini PP. curam gerimus, hujusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica, specialiter nobis concessa, discretioni tuae committimus, quatenus, si ita est, dictam latricem, audita prius ejus sacramentali confessione, a quibusvis sententiis et poenis ecclesiasticis, quas propter praemissa quomodolibet incurrit, incestu et excessibus hujusmodi absolvas, injuncta ei pro tam enormis libidinis excessu gravi poenitentia salutari, ac confessione sacramentali semel quolibet mense, per tempus arbitrio tuo statuendum, et aliis injunctis, quae fuerint de jure injungenda. Demum dummodo impedimentum ex praemissis proveniens occultum sit, separatio inter eos fieri non possit sine scandalo, ex cohabitatione de incontinentia probabiliter timendum sit, aliudque impedimentum canonicum non obstet, cum eadem oratrice, ut praedicto viro de nullitate prioris consensus certiorato, sed ita caute, ut mulieris delictum nusquam detegatur, matrimonium cum eodem viro, et uterque inter se de novo secrete, ad evitanda scandala, praedictis non obstantibus, contrahere, et in eo postmodum remanere licite valeant, misericorditer dispenses, prolem susceptam, si qua sit, et suscipiendam exinde legitimam decernendo in foro conscientiae, et in ipso actu sacramentalis confessionis tantum, et non aliter, neque ullo alio modo ; ita quod hujusmodi absolutio et dispensatio in foro judiciario nullatenus suffragetur. Nullis super his testibus adhibitis, aut literis datis, seu processibus confectis ; sed praesentibus laceratis, quas sub poena excommunicationis lacerare tenearis, neque eas latori restituas ; quod si restitueris, nihil ei praesentes literae suffragentur.

Datum, etc. (1).

(1) Formulam sanationis in radice concessae a S. Poenitentiaria habes n. 1137.

Digitized by Google

3° *Formulae dispensationum concessarum a S. C. S. Officii.*

a) *Super impedimento mixtae religionis ob causam honestam.*

In principio est instantia ; deinde legitur :

Feria IV die 6 *Maii* 1891. Sanctissimus Dominus Noster Leo div. prov. Papa XIII, in solita audientia R. P. D. Adsessori S. O. impertita, audita relatione suprascripti supplicis libelli, benigne remisit preces prudenti arbitrio et conscientiae D. Ordinarii Parisien qui dispensare valeat intra fines suae dioecesis, facta etiam potestate subdelegandi, si opus sit, Mariannam M. oratricem catholicam ab impedimento mixtae religionis, ut licite ac legitime matrimonium contrahere possit cum acatholico Joanne N., dummodo cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia praescriptis, praesertim de amovendo a catholica conjuge perversionis periculo, de conversione conjugis acatholici ab illa pro viribus curanda, ac de universa prole utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate omnino educanda, et dummodo neque ante neque post matrimonium coram parocho catholico initum partes adeant ministrum acatholicum. In reliquis Ordinarius Parisiensis stet instructioni alias datae (1). Contrariis non obstantibus quibuscumque (2).

b) *Sanationis in radice matrimonii.*

In principio ponitur instantia deinde additur :

Feria V die 19 *Maii* 1891. SSmus D. N. D. Leo divina providentia PP. XIII in audientia r. p. d. Adsessori S. O. impertita, attentis peculiaribus circumstantiis in casu concurrentibus, et indubiis resipiscentiae signis oratricis catholicae Mariannae M., benigne remisit preces prudenti arbitrio et conscientiae r. p. d. Ordinarii Parisien, ut, quatenus utraque pars in consensu de praesenti perseveret, sanare valeat in radice matrimonium initum ab ipsa catholica Marianna M. cum acatholico Joanne N., dummodo non adsit periculum divortii. Ipse vero Ordinarius in hoc sibi commisso

(1) Nempe instructioni *diei* 15 *Nov.* 1858 (n. 452).

(2) Ex causa infamanti eadem est formula; sed post verba *ministrum acatholicum* additur : *Injuncta interim conjugibus separatione per aliquod tempus eidem Ordinario benevisum, quatenus sine gravi damno fieri possit, ut oratrix catholica rite disponatur ad recipiendam gratiam Dei Creatoris. In reliquis...*

Pro dispensatione super impedimento *disparitatis cultus* eadem est formula ac pro dispensatione super impedimento *mixtae religionis*, mutatis mutandis.

Digitized by Google

munere explendo declaret se agere nomine Sanctitatis Suae, et tamquam ab Aplica Sede specialiter delegatum. Serio moneat oratricem de gravissimo patrato scelere, salutares ei poenitentias imponat, a censuris absolvat, simulque declaret ob praesentem dispensationis gratiam, a se acceptatam, matrimonium fieri validum, legitimum et indissolubile jure divino, et prolem susceptam et suscipiendam legitimam habendam esse. Oratrici etiam gravissime imponat ac declaret obligationem, qua tenetur, semper curandi pro viribus seduloque conversionem viri ad catholicam fidem, et prolis utriusque sexus tam natae quam nasciturae in catholica religione educationem. Cum autem de matrimonii validitate in foro externo constare debeat, idem Ordinarius nomen, cum consueta personali indicatione tam mulieris quam viri, in regestis describi jubeat, simulque autographum documentum praesentis concessionis, communicationis, acceptationis, absolutionis, et declarationum oratricis, ut supra, factarum servetur in curia Archiep., et exemplar authenticum eidem oratrici, sedulo custodiendum, tradatur. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

4° *Formulae dispensationum concessarum ab Ordinario vi indulti aut jure proprio.*

a) *Ex causa honesta in forma gratiosa ad nuptias incundas* :

N. N., Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus N., universis praesentes Litteras inspecturis salutem in Domino.

Oblata fuit nuper Nobis supplex petitio pro parte Joannes N., laici e paroecia N., dioecesis N., et Mariannae N., mulieris e paroecia N., dioecesis nostrae, ad effectum dispensationem obtinendi super impedimento... quo invicem sunt conjuncti, ut eo non obstante, matrimonium inter se contrahere possint.

Nos illorum commodo et saluti misericorditer in Domino providere volentes, attentisque causis in dicta petitione allatis, vel alias animum nostrum moventibus :

Apostolica auctoritate Nobis in hac parte per indultum sub die... delegata (*vel* auctoritate Nobis a jure concessa), praedictos oratores in primis ab omnibus sententiis, poenis et censuris ecclesiasticis ad effectum praesentis gratiae dumtaxat consequendum in utroque foro absolvimus :

Deinde, cum iisdem ex auctoritate praelaudata, dummodo dicta oratrix propter hoc rapta non fuerit, dispensamus super impedi-

Digitized by Google

mento praefato, ut eo, nec non constitutionibus atque ordinationibus Apostolicis,caeterisque contrariis non obstantibus, dummodo aliud canonicum non obstet impedimentum, matrimonium inter se publice, servata Concilii Tridentini forma, contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare ac in eo postmodum remanere licite valeant.

Prolemque suscipiendam exinde legitimam fore nuntiantes.

Datum N. sub signo Vicarii nostri Generalis, quem ad hoc specialiter deputavimus (prout a praefato indulto facultas nobis concessa est) Sigilloque nostro, ac Cancellarii curiae nostrae episcopalis subscriptione anno... die vero... mensis... (1).

b) *Ejusdem dispensationis in forma commissaria.*

Initium ut supra usque ad: « ad effectum praesentis gratiae dumtaxat consequendum hujus rescripti tenore absolventes et absolutos fore censentes, proprio oratricis (*vel* oratorum) parocho facultatem concedimus cum iisdem oratoribus, si vera sint exposita, et dummodo dicta oratrix propter hoc rapta non fuerit, et aliud canonicum non obstet impedimentum, quominus legitimo matrimonio conjungi possint, pari auctoritate Apostolica (*vel* pari auctoritate nostra) misericorditer in utroque foro dispensandi super praefato impedimento....., ut illo ac constitutionibus atque ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque non obstantibus, matrimonium uterque inter se publice, servata Conc. Trid. forma, contrahere ac in eo postmodum remanere licite valeant.

Prolemque suscipiendam exinde legitimam nuntiandi.

Datum, etc. (2).

(1) *Si causa est infamans, initium est idem usque ad* : « praedictos oratores in primis ab omnibus incestus reatibus ad executionem usque praesentium forsan iteratis, et ab omnibus sententiis..... (*ut supra*) absolvimus, imponentes ei pro poenitentia recitationem tertiae partis Rosarii B. M. V. qualibet die per mensem, condemnantes eos ad solvendam eleemosynam 10 francorum. Deinde..... (*ut supra*). Prolemque susceptam vel suscipiendam exinde legitimam nuntiantes. Datum..... (*ut supra*).

(2) *Si causa est infamans, initium est idem usque ad* : « per indultum sub die... delegata (*vel* auctoritate nobis a jure concessa) proprio oratricis (*vel* oratorum) parocho facultatem concedimus cum iisdem oratoribus, si vera sint exposita, aliudque non obstet impedimentum, injuncta prius separatione per tempus parocho benevisum...., praevia eorum absolutione a censuris et poenis ecclesiasticis quomodolibet incursis et ab incestus reatibus ad executionem praesentium forsan iteratis pari auctoritate Apostolica (*vel* auctoritate nostra), misericorditer in utroque foro dispensandi super praefato impedimento, ut illo... (*ut supra*).

Digitized by Google

c) *Ejusdem dispensationis pro foro interno confessario committendae.*

N. N., Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus N., discreto viro Confessario ex approbatis in nostra Dioecesi per latores (*vel* latorem *vel* latricem) praesentium ad infrascripta specialiter eligendo, salutem in Domino.

Oblata fuit nuper Nobis pro parte N. et N. supplex petitio ad effectum obtinendi dispensationem super impedimento occulto...

Nos illorum (*vel* illius) commodo et saluti misericorditer in Domino providere volentes, attentisque causis in dicta petitione allatis, vel alias animum nostrum moventibus :

Auctoritate Apostolica Nobis in hac parte per indultum sub die... delegata (*vel* Auctoritate Nobis a jure concessa), si ita est, tibi confessario, ad confessiones approbato et ab oratoribus (*vel* oratore, *vel* oratrice) electo, facultatem concedimus cum dictis oratoribus (*vel* dicto oratore, *vel* dicta oratrice), audita eorum (*vel* ejus) sacramentali confessione, remota occasione amplius peccandi, injuncta gravi poenitentia salutari, imposita aliqua eleemosyna... praevia eorum (*vel* ejus) absolutione a censuris et poenis ecclesiasticis quomodolibet incursis et ab incestus reatibus ad executionem usque praesentium forsan iteratis, auctoritate tibi delegata misericorditer dispensandi, pro foro conscientiae et in sacramentali confessione tantum, super praedicto impedimento, dummodo sit occultum, ita ut praemissis, caeterisque contrariis non obstantibus, matrimonium uterque inter se, servata Concilii Tridentini forma, contrahere ac in eo postmodum remanere licite valeant.

Prolemque sive susceptam sive suscipiendam exinde legitimam nuntiandi.

Praesentibus post earum executionem sub poena nullitatis dilacerandis vel comburendis.

Datum, etc.

III

Formulae fulminationis dispensationis.

1° *Formula fulminationis pontificiae dispensationis ab Ordinario concedendae.*

a) *Ex causa honesta.*

Nos N. N., Officialis Illustrissimi ac Reverendissimi Domini N.,

Digitized by Google

Episcopi N., ad causas matrimoniales judex ordinarius et executor deputatus.

Omni qua decet reverentia recepimus ac sedulo recognovimus breve (*vel* rescriptum) Apostolicum per organum Sacrae Datariae (*vel* S. Poenitentiariae, *vel* S. Officii) sub die... expeditum et Nobis pro executione commissum, ad dispensandum pro parte, Joannis N., laici dioecesis N., et Mariannae M., mulieris hujus dioecesis, super impedimento...

Certiorati aliunde preces veritate niti, omnes clausulas in praemissis Litteris Apostolicis contentas fideliter esse adimpletas vel adimplendas, nullumque aliud obstare canonicum impedimentum;

Apostolica auctoritate nobis concessa, et qua fungimur in hac parte, praedictos oratores per praesentes dispensamus super praefato impedimento, ut eo, nec non constitutionibus, atque ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis non obstantibus, dummodo nullum aliud obstet canonicum impedimentum, matrimonium inter se publice, servata Concilii Tridentini forma, contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare, ac in eo postmodum remanere licite valeant.

Prolem suscipiendam exinde legitimam nuntiantes.

In quorum fidem praesentes manu nostra subscripsimus et per cancellarium hujus episcopalis curiae expediri jussimus.

Datum, etc.

b) *Ex causa infamanti et* PERINDE VALERE.

Initium ut supra usque ad: Certiorati vero praedictas literas Apostolicas nullas esse ob..... illas in primis, virtute indulti Apostolici sub die... concessi Ordinario N., convalidamus, ipsisque per praesentes vim ac robur restituimus ita ut firma perseveret facta nobis primitus delegatio.

Certi aliunde preces veritate niti..... *ut supra usque ad*: canonicum impedimentum.

Praedictos oratores, virtute praefati brevis (vel rescripti) ab omnibus sententiis, poenis ac censuris ecclesiasticis ob gravem sui criminis excessum forsan incursis, absolvimus in utroque foro, imponentes eis pro congrua poenitentia salutari..... (*hic exprimitur poenitentia aliaeque conditiones implendae, juxta rescriptum, et nondum impletae*).

Deinde cum eisdem et auctoritate praefata dispensamus..... *ut supra usque ad*: Prolem susceptam vel suscipiendam exinde legitimam nuntiantes.

Digitized by Google

2° *Formula fulminationis dispensationis a parocho concedendae.*

a) *Ad nuptias ineundas* :

Ego N., Parochus Ecclesiae N., omni qua decet reverentia, recepi ac sedulo recognovi Litteras ab Illustrissimo ac Reverendissimo Domino N., Episcopo N. (*vel* ab admodum Reverendo N., Vicario generali (*vel* Officiali) III^mi ac RR^mi D^ni N., Episcopi N.), sub die... datas et mihi pro executione commissas virtute Indulti (*vel* Rescripti) Apostolici, sub die... expediti, ad dispensandum pro parte N. laici paroeciae N. in dioecesi N., et N. mulieris hujus paroeciae, super impedimento...

Certioratus aliunde preces veritate niti, omnes clausulas, in praemissis Litteris contentas, fideliter esse adimpletas vel adimplendas, nullumque aliud obstare canonicum impedimentum ;

Auctoritate Apostolica, mihi subdelegata, et qua fungor in hac parte, praedictos oratores in primis ab omnibus sententiis, poenis et censuris ecclesiasticis ad effectum praesentis gratiae dumtaxat consequendum in utroque foro absolvo ;

Deinde, cum iisdem, et auctoritate praedicta, dispenso super praefato impedimento, ut eo, nec non constitutionibus atque ordinationibus Apostolicis caeterisque contrariis non obstantibus, matrimonium inter se publice, servata Concilii Tridentini forma, illudque in facie Ecclesiae solemnizare, ac in eo postmodum remanere libere ac licite valeant.

Prolemque suscipiendam (et susceptam) exinde legitiman nuntio.

Datum, etc. (1).

b) *Ad sanandum in radice matrimonium.*

Initium uti supra usque : « expediti, ad sanandum in radice matrimonium antea a Joanne N. laico parochiae N. in dioecesi N., et Marianna M. muliere hujus parochiae inter se nulliter contractum propter impedimentum publicum...

Certioratus aliunde preces veritate niti, nec obstare publicitas

(1) *Si agitur de dispensatione ad revalidandum matrimonium, formula est eadem usque ad*: « mulieris hujus parochiae super impedimento... a quo ligati matrimonium nulliter contraxerunt.

Certioratus aliunde... *ut supra usque ad* : « matrimonium inter se de novo, servata forma Concilii Tridentini, contrahere, ac in eo postmodum remanere libere ac licite valeant... *Caetera ut supra.*

Digitized by Google

fornicariae copulationis et non justi matrimonii, putatosque conjuges praedictos in consensu ab initio praestito perseverare, ac nullum aliud obstare canonicum impedimentum :

Auctoritate Apostolica..... *ut supra usque ad* : « Deinde, auctoritate praefata, matrimonium ab illis inter se contractum in radice sano et convalido, ut in eo postmodum remanere libere ac licite valeant.

Prolemque susceptam et suscipiendam exinde legitimam declaro.

Datum, etc.

c) *Pro sola absolutione censurarum parocho commissa.*

Auctoritate Apostolica mihi tradita (*vel* Ordinario dioecesis N. concessa et mihi a dicto Ordinario subdelegata) (*vel* auctoritate Reverendissimi Episcopi N. mihi concessa), ego absolvo vos ab omnibus sententiis poenis et censuris ecclesiasticis ad effectum dispensationis vobis a S. Sede (*vel* a Reverendissimo Episcopo N.) super impedimento... concessae duntaxat consequendum, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

3° *Formulae fulminationis dispensationis a confessario concedendae.*

Si confessarius dispensat simul a peccatis absolvens, his utitur formulis.

a) *Ad nuptias ineundas.*

Dominus noster Jesus Christus te absolvat et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis et interdicti in quantum possum et tu indiges.

Deinde ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Passio Domini nostri Jesu Christi... (*prouti in Rituali*).

Insuper, auctoritate Apostolica (*vel* Reverendissimi Episcopi N.) mihi specialiter delegata, dispenso tecum super impedimento... ut praefato impedimento non obstante, cum muliere, cui nubere intendis, matrimonium publice, servata forma Concilii Tridentini, contrahere, consummare ac in eo remanere licite valeas, et eadem auctoritate Apostolica prolem suscipiendam (et susceptam) exinde legitimam nuntio. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Digitized by Google

b) *Ad nuptias revalidandas.*

Dominus noster etc. Insuper auctoritate Apostolica (*vel* Reverendissimi Episcopi N.) mihi specialiter delegata, dispenso tecum super impedimento..., quo ligatus matrimonium nulliter contraxisti, ut, praefato impedimento non obstante, denuo matrimonium cum tua putata conjuge, renovato consensu, contrahere, consummare ac in eo remanere licite possis, prolemque susceptam et suscipiendam exinde legitimam nuntio. In nomine Patris, etc.

c) *Ad sanandas nuptias in radice vide n.* 1161.

d) *Ad petendum debitum in matrimonio jam contracto* : « Dominus noster ect. Insuper auctoritate Apostolica (*vel* Reverendissimi Episcopi N.) mihi specialiter delegata, dispenso tecum, ut non obstante affinitate, quam contraxisti cum tua uxore (*vel si agitur de voto*, non obstante voto... quod emisisti ante, *vel* post matrimonium), debitum conjugale a tua uxore etiam exigere licite possis. In nomine Patris, etc.

Si confessarius dispensat absque absolutione a peccatis.

Praetermissa Ritualis absolutione a peccatis, ait : « Auctoritate Apostolica mihi tradita (vel Ordinario dioecesis N. concessa et mihi subdelegata, *vel* Auctoritate Reverendissimi Episcopi N. mihi delegata), ego te absolvo in primis ab omnibus sententiis, poenis et censuris ecclesiasticis ad effectum praesentis gratiae duntaxat consequendum ;

Deinde dispenso tecum super impedimento... ut, praefato impedimento non obstante, matrimonium canonice contrahere ac in eo postmodum remanere licite valeas, prolemque (susceptam et) suscipiendam exinde legitimam nuntio, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Eademque formula confessarius utitur pro omnibus aliis casibus supra recensitis.

Quando confessarius fulminat sanationem in radice, utraque parte absente, utitur eadem formula (cit. n. 1161), *sed in numero plurali*

IV

Formula interpellationis a coniuge converso faciendae alteri coniugi persistenti in infidelitate.

Commissione et mandato illustrissimi ac reverendissimi DD. N. Episcopi. Tenore praesentium et ad instantiam Mariae N,

Digitized by Google

neophitae, ante baptismum vocatae Rachelis, requiritur, interpellatur ac monetur Isaac Alpronus Iudaeus, maritus ante baptismum eiusdem Rachelis et nunc Mariae, ut in termino dierum triginta ab intimatione praesenti immediate decurrentium ac numerandorum quorum decem pro primo, alios decem pro secundo et reliquos decem dies pro tertio et ultimo termino assignamus, debeat in actis huius Curiae se exprimere ac declarare, an velit se convertere ad sanctam fidem Christianam, sectam Iudaicam deserere, ac sacrum baptisma corde sincero suscipere, prout ipsa Maria, olim uxor sua, fecit, et prout enixe eum facere rogat, pro salute animae suae monet, interpellat et requirit. Alias dictis triginta diebus transactis, et ad fidem Christianam non se convertente, et se conversurum non declarante, ipsa Maria ad secundas nuptias cum alio fideli transibit, vel Religionem ingredietur, prout magis in Domino pro propria aeterna salute putaverit expedire : et citetur praedictus Isaac Alpronus Iudaeus, ac citatus intelligatur, eodem termino triginta dierum transacto, coram D. S. illustrissima ac reverendissima ad audiendum ita sententiari, et quodcumque decretum necessarium et opportunum super praemissis pronunciari; salvo iure eidem Mariae, olim Racheli, petendi et consequendi dotem suam, ac alia quaecumque bona sibi de iure debita. In quorum fidem etc. — Datum ex Cancellaria episcopali N. die... anno (1).

V

Formulae nonnullorum indultorum quae Ordinariis in Galliis concedi solent.

1°. — *Indultum annuale S. Poenitentiariae quod dici solet* diei 15 Novembris.

S. Poenitentiariae de speciali et expressa Apostolica auctoritate venerabili in Christo Patri N. Episcopo N., attentis peculiaribus circumstantiis, infrascriptas facultates ad totum futurum annum 1891 duraturas benigne concessit, cum potestate illas suis Vicariis Generalibus communicandi, quibus sive per se sive per alias idoneas

(1) Ex Clericato *XI*, *n.* 24. Juxta hanc formulam unica fit interpellatio. Si et altera fieri debet, post verba *interpellat et requirit*, addatur : « *vel saltem, si sacrum baptisma suscipere recusat, an velit pacifice cohabitare sine ulla Christiani nominis contumelia* » et post verbum *conversurum* addatur : « *et pacifice absque contumelia Creatoris cohabitaturum.* Vide n. 1088.

Digitized by Google

personas ecclesiasticas, uti poterunt, sub ea tamen conditione ut in singulis actibus mentio fiat hujus Apostolicae delegationis.

1° Dispensandi in matrimoniis nulliter coram Ecclesia usque ad praesentem diem, nec ultra, initis, super quibuscumque impedimentis juris duntaxat ecclesiastici, in quibus S. Sedes dispensare consuevit, exceptis semper impedimentis ex ordine sacro et ex voto solemni castitatis provenientibus, praevia renovatione consensus coram Ordinario seu contrahentium parocho ac duobus vel tribus testibus;

2° Dispensandi in matrimoniis contrahendis super tertio et quarto simplici vel mixto consanguinitatis vel affinitatis gradu, modo secundum nullimode attingat;

3° Dispensandi super impedimento publicae honestatis justis ex sponsalibus proveniente;

4° Dispensandi super impedimento cognationis spiritualis, praeterquam inter levantem et levatum, seu versa vice levatum ac levantem;

5° Dispensandi super impedimento criminis ex adulterio et ex fide data proveniente, neutro tamen in conjugis mortem cum effectu machinante;

6° Dispensandi seu convalidandi litteras dispensationis super quovis canonico impedimento ab Apostolica Sede expeditas, quae nullae fuerint ob errorem nominis vel cognominis contrahentium, vel si agatur de dispensationibus obtentis ante *diem* 25 *Jun.* 1885, nullae fuerint ob incestum reticitum in precibus, aut patratum post missas preces, et ante dispensationis executionem, aut iteratum durante tempore separationis vi litterarum Apostolicarum indictae, in matrimoniis tam contrahendis, quam etiam in facie Ecclesiae contractis, ut, servatis servandis, licite iniri seu renovari possint, injuncta congrua poenitentia salutari; et si agatur de litteris ab Apostolica Dataria obtentis non in forma pauperum super impedimentis primi, seu primi et secundi, aut secundi tantum consanguinitatis, vel affinitatis graduum, praescripta etiam aliqua eleemosyna judicio ejusdem Ordinarii juxta contrahentium vires taxanda.

2° *Aliud indultum S. Poenitentiariae quod ad quinquennium dari solet.*

Raphel divina providentia Episcopus Albanensis cardinalis Monaco La Valletta sacrosanctae Patriarchalis Archibasilicae Late-

Digitized by Google

ranensis Archipresbyter, SS. DD. Papae, et Sedis Apostolicae Major Pœnitentiarius.

Vobis venerabili in Christo Patri N. N. Episcopo infrascriptas communicamus facultates *ad quinquennium* duraturas quibus, non obstante Const. *Apostolicae Sedis*, pro foro conscientiae per vos, sive per vestrum Vicarium in spiritualibus Generalem, dummodo in sacro presbyteratus ordine sit constitutus, etiam extra sacramentalem confessionem pro grege vobis commisso, et infra fines vestrae dioecesis tantum, atque de speciali in unoquoque casu exprimenda Sedis Apostolicae auctoritate vobis delegata, uti valeatis; quasque canonico poenitentiario, necnon vicariis foraneis proforo pariter conscientiae, ac in actu sacramentalis confessionis dumtaxat, etiam habitualiter, si vobis placuerit: aliis vero confessariis cum ad vos, sive ad praedictum Vicarium Generalem in casibus particularibus poenitentium recursum habuerint pro exposito casu impertiri possitis, nisi ob peculiares causas aliquibus confessariis a vobis specialiter subdelegandis, per tempus arbitrio vestro statuendum, illas communicare judicabitis:

1° Absolvendi ab excommunicatione R. P. reservata ob manus violentas injectas sive in clericos, sive in regulares, dummodo non fuerit sequuta mors, vel mutilatio, seu lethale vulnus, aut ossium fractio; et dummodo casus ad forum Ordinarii deducti non fuerint; injunctis injungendis, et praesertim, ut parti laesae competenter satisfiat;

2° Absolvendi a censuris contra duellantes statutis, in casibus dumtaxat ad forum Ordinarii non deductis: injuncta gravi poenitentia salutari, et aliis injunctis quae fuerint de jure injungenda:

3° Absolvendi quoscumque poenitentes (exceptis haereticis publicis, sive publice dogmatizantibus) a quibusvis sententiis censuris, et poenis ecclesiasticis incursis ob haereses tam nemine audiente vel advertente, quam coram aliis externatas, ob infidelitatem, et catholicae fidei abjurationem private admissas, sortilegia, ac maleficia etiam cum sociis patrata, necnon ob daemonis invocationem cum pacto donandi animam, eique praestitam idolatriam, ac superstitiones haereticales exercitas, ac demum ob quaecumque insinuata falsa dogmata; postquam tamen poenitens complices, si quos habeat, prout de jure, denuntiaverit, et quatenus ob justas causas nequeat ante absolutionem denuntiare, facta a poenitente seria promissione denuntiationem peragendi cum primum, et meliori modo, quo fieri poterit; et postquam in singulis casibus coram absolvente haereses secrete abjuraverit; et pactum cum maledicto daemone initum expresse revocaverit,

Digitized by Google

tradita eidem absolventi singrapha forsan exarata, aliisque mediis superstitiosis, ad omnia comburenda, seu destruenda; injuncta pro modo excessuum gravi poenitentia salutari cum frequentia sacramentorum, et obligatione se retractandi apud personas, coram quibus haereses manifestavit, et reparandi illata scandala;

4° Absolvendi a censuris incursis ob violationem clausurae regularium utriusque sexus, dummodo non fuerit cum intentione ad malum finem, etiam effectu non sequuto, nec casus fuerint ad forum Ordinarii deducti, cum congrua poenitentia salutari. Et insuper absolvendi mulieres tantum a censuris, et poenis ecclesiasticis, ob violationem ad malum finem clausurae virorum religiosorum incursis, dummodo tamen casus occulti remaneant; injuncta gravi poenitentia salutari, cum prohibitione accedendi ad Ecclesiam, et conventum, seu coenobium dictorum religiosorum, durante occasione peccandi;

5° Absolvendi a censuris ob retentionem, et lectionem librorum prohibitorum incursis, injuncta congrua poenitentia salutari, nec non firma obligatione tradendi, prout de jure, sive per se sive per alium, absque ulla mora, et, quantum fieri poterit, ante absolutionem, libros prohibitos, quos poenitens retineat;

6° Absolvendi a casu Sedi Apostolicae reservato ob accepta munera a regularibus utriusque sexus; injuncta poenitentia salutari, quando agitur de muneribus quae valorem decem scutatorum non excedunt, imposita aliqua eleemosyna absolventis judicio taxanda, et caute eroganda, cum primum poterit, in beneficium religionis aut conventus cui facienda esset restitutio; dummodo tamen non constet, quod illa fuerint de bonis propriis religionis; quatenus vero accepta munera, vel fuerint ultra valorem scutatorum decem, vel constet fuisse de bonis propriis religionis, facta prius restitutione, quam si de praesenti adimplere nequeat, emissa seria promissione restituendi infra terminum absolventis arbitrio praefiniendum, alias sub reincidentia;

7° Absolvendi a censuris et poenis ecclesiasticis eos qui sectis vetitis massonicis aut carbonariis aut aliis ejusdem generis sectis nomen dederunt, aut qualemcumque favorem praestiterunt, ita tamen ut a respectiva secta omnino se separent, eamque abjurent, libros manuscripta ac signa sectam respicientia, si quae retineant, in manibus absolventis tradant, ad Ordinarium quamprimum caute transmittenda, aut saltem, si justae gravesque causae id postulent, comburenda, injuncta pro modo culparum gravi poenitentia salutari cum frequentia sacramentalis confessionis, aliisque injunctis de jure injungendis; nec non absolvendi eos qui ejusmodi secta-

Digitized by Google

rum duces et coripheos occultos denuntiare culpabiliter neglexerint, injuncta pariter salutari poenitentia et firma obligatione sub reincidentia eosdem Vobis vel aliis ad quos spectat, prout de jure, denuntiandi.

8° Absolvendi religiosos cujuscumque ordinis (etiam moniales, per confessarios tamen pro ipsis a vobis approbatos vel specialiter deputandos) non solum a praemissis, sed etiam a casibus, et censuris in sua religione reservatis dummodo religiosi apud confessarium subdelegatum legitimam habuerint licentiam peragendi confessionem sacramentalem ;

9° Dispensandi ad petendum debitum conjugale cum transgressore voti castitatis, privatim emissi, qui matrimonium cum dicto voto contraxerit ; hujusmodi poenitentem monendo, ipsum ad idem votum servandum teneri, tam extra licitum matrimonii usum, quam si marito, seu uxori respective supervixerit ;

10° Dispensandi cum incestuoso, sive incestuosa, ad petendum debitum conjugale, cujus jus amisit ex superveniente occulta affinitate per copulam carnalem habitam cum consanguinea, vel consanguineo, sive in primo, sive in primo et secundo, sive in secundo gradu suae uxoris, seu respective mariti : remota occasione peccandi, et injuncta gravi poenitentia salutari, et confessione sacramentali quolibet mense, per tempus arbitrio dispensantis statuendum ;

11° Dispensandi super occulto impedimento primi, necnon primi et secundi, ac secundi tantum gradus affinitatis ex illicita carnali copula provenientis, quando agatur de matrimonio cum dicto impedimento jam contracto ; et quatenus agatur de copula cum suae putatae uxoris matre, dummodo illa secuta fuerit post ejusdem putatae uxoris nativitatem, et non aliter : monito poenitente de necessaria secreta renovatione consensus cum sua putata uxore, vel suo putato marito, certiorato, seu certiorata de nullitate prioris consensus, sed ita caute, ut ipsius poenitentis delictum nusquam detegatur et quatenus haec certioratio absque gravi periculo fieri nequeat, renovato consensu juxta regulas a probatis AA. traditas ; remota occasione peccandi, ac injuncta gravi poenitentia salutari et confessione sacramentali semel in mense per tempus dispensantis arbitrio statuendum ;

Item, dispensandi super dicto occulto impedimento, seu impedimentis affinitatis ex copula illicita etiam in matrimoniis contrahendis, quando tamen omnia parata sint ad nuptias, nec matrimonium, usque dum ab Apostolica Sede obtineri possit dispensatio, absque periculo gravis scandali differri queat ; remota semper

Digitized by Google

occasione peccandi, et firma manente conditione, quod copula habita cum matre mulieris hujus nativitatem non antecedat ; injuncta in quolibet casu poenitentia salutari ;

12° Dispensàndi super occulto criminis impedimento, dummodo sit absque ulla machinatione, et agatur de matrimonio jam contracto : monitis putatis conjugibus de necessaria consensus secreta renovatione, ac injuncta gravi poenitentia salutari, et confessione sacramentali semel quolibet mense, per tempus dispensantis arbitrio statuendum.

3°. — *Indultum quod per S. C. de Prop. Fide conceditur.*

Facultates concessae a SS D. N. D. LEONE divina providentia Papa XIII R. P. D. N. Episcopo Ecclesiae N. :

1° Absolvendi ab haeresi et apostasia a fide et a schismate quoscumque etiam ecclesiasticos tam saeculares quam regulares ; non tamen eos qui ex locis fuerint ubi Sanctum Officium exercetur, nisi in locis missionum in quibus impune grassantur haereses deliquerint, nec illos qui judicialiter abjuraverint, nisi isti nati sint ubi impune grassantur haereses, et post judicialem abjurationem illuc reversi in haeresim fuerint relapsi et hos in foro conscientiae tantum ;

2° Tenendi et legendi, non tamen aliis concedendi, praeterquam, ad tempus tamen, iis sacerdotibus quos praecipue idoneos atque honestos esse sciat, libros prohibitos, exceptis operibus Dupuy, Volney, M. Reghellini, Pigault Lebrun, de Potter, Bentham, J. A. Dulaure, *Fêtes et courtisanes de la Grèce*, *Novelle* di Casti, et aliis operibus de obscoenis et contra religionem ex professo tractantibus ;

3° Dispensandi in tertio et quarto simplici et mixto tantum cum pauperibus in contrahendis ; in contractis vero cum haereticis conversis etiam in secundo simplici et mixto, dummodo nullo modo attingat primum gradum, et in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam ;

4° Dispensandi super impedimento publicae honestatis justis ex sponsalibus proveniente ;

5° Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen conjugum machinante, et restituendi jus petendi debitum amissum ;

5° Dispensandi in impedimento cognationis spiritualis, praeterquam inter levantem et levatum ;

7° Hae vero matrimoniales dispensationes, videlicet tertia,

Digitized by Google

quarta, quinta et sexta, non concedantur nisi cum clausula: *Dummodo mulier rapta non fuerit, et si rapta fuerit in potestate raptoris non existat*, et in dispensationibus tenor hujusmodi declaretur expresse illas concedi tanquam a Sedis Apostolicae delegato, ad quem effectum etiam tenor hujusmodi facultatum inseratur, cum expressione temporis ad quod fuerint concessae ;

8° Dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto tantum provenientibus, excepta ea quae ex homicidio voluntario contrahitur ;

9° Dispensandi et commutandi vota simplicia in alia pia opera, exceptis votis castitatis et religionis ;

10° Absolvendi ab omnibus censuris etiam speciali modo in Bulla *Apostolicae Sedis moderationi diei* 12 *Oct.* 1869. R. P. reservatis, excepta absolutione complicis in peccato turpi.

11° Delegandi simplicibus sacerdotibus potestatem benedicendi paramenta et alia utensilia ad sacrificium Missae necessaria ubi non interveniat sacra unctio ; et reconciliandi ecclesias pollutas aqua ab Episcopo benedicta ; et in casu necessitatis, etiam aqua ab Episcopo non benedicta ;

12° Communicandi has facultates in totum vel in partem, prout opus esse secundum ejus conscientiam judicaverit, sacerdotibus idoneis in conversione animarum laborantibus in locis tantum ubi prohibetur exercitium catholicae religionis ;

13° Et praedictae facultates gratis et sine ulla mercede exerceantur, et *ad quinquennium* tantum concessae intelligantur ;

14° Utendi eisdem facultatibus in civitate et dioecesi N. tantum.

4°. — *Indultum ad dispensandum in impedimento mixtae religionis.*

Beatissime Pater.

N. Episcopus Dioecesis N. ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus humiliter implorat prorogationem facultatis dispensandi super impedimento mixtae religionis pro centum casibus urgentioribus.

Feria IV die 20 Maii 1891.

Sanctissimus D. N. D. LEO divina providentia PP. XIII, in solita audientia R. P. D. Adsessori S. O. impertita, benigne indulsit ut R. P. D. N. Episcopus N. in Gallia facta etiam potestate subdelegandi si opus sit, dispensare valeat intra fines suae dioecesis iustis gravibusque accedentibus causis super impedimento mixtae religionis ; dummodo cautum omnino sit conditionibus ab Eccle-

Digitized by Google

sia praescriptis ; ac praesertim de amovendo a catholico coniuge perversionis periculo, de conversione coniugis acatholici ab illo pro viribus curanda, ac de universa prole utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate omnino educanda, et dummodo neque ante neque post matrimonium coram Parocho catholico initum partes adeant ministrum acatholicum. Quod si praecesserit commercium carnale, si fieri poterit sine gravi damno, sponsi separentur aliquo tempore Episcopi prudenti arbitrio, ut pars catholica rite disponatur ad recipiendam gratiam Dei, praevia semper absolutione a censuris, et impositis poenitentiis salutaribus, si matrimonium contractum fuerit coram ministro acatholico. Hanc autem facultatem decrevit S. S. valituram pro centum casibus urgentioribus in quibus nec aliud obstet canonicum impedimentum, nec tempus adsit adeundi S. Sedem, iudicio ipsius Episcopi, super quo eius conscientia graviter oneratur : facta simul in singulis dispensationibus concedendis expressa Apostolicae delegationis mentione. In reliquis R. P. D. Episcopus stet instructioni super mixtis nuptiis alias datae. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Digitized by Google

ALLEGATUM V

INSTRUCTIO S. C. OFFICII, A. 1868, AD PROBANDAM MORTEM CONJUGIS.

Matrimonii vinculo duos tantummodo, Christo ita docente, copulari et conjungi posse; alterutro vero conjuge vita functo, secundas, imo et ulteriores nuptias, licitas esse, dogmatica Ecclesiae catholicae doctrina est.

Verum ad secundas et ulteriores nuptias quod attinet, cum de re agatur quae difficultatibus ac fraudibus haud raro est obnoxia, hinc S. Sedes sedulo curavit, modo constitutionibus generalibus, saepius autem responsis in casibus particularibus datis, ut libertas novas nuptias ineundi ita cuique salva esset, ut praedicta matrimonii unitas in discrimen non adduceretur.

Inde constituta sacrorum canonum, quibus, ut quis possit licite ad alia vota transire, exigitur quod de morte conjugis certo constet, uti *cap. Dominus, De secundis nuptiis*, vel quod de ipsa morte recipiatur certum nuntium, uti *cap. In praesentia, De sponsalibus et matrimoniis.* Inde etiam ea quae explanatius traduntur in instructione *Cum alias*, 21 *Augusti* 1670, a Clem. X sancita, et in bullario Romano inserta, super examine testium pro matrimoniis contrahendis, in curia Emi Vicarii Urbis et caeterorum Ordinariorum. Maxime vero quae proprius ad rem facientia ibi habentur, n. 12 et 13.

Et haec quidem abunde sufficerent, si in ejusmodi causis peragendis omnimoda et absoluta certitudo de alterius conjugis obitu haberi semper posset: sed cum id non sinant casuum propemodum infinitae vices (quod sapienter animadversum est in laudata instructione his verbis: *Si tamen hujusmodi testimonia haberi non possunt, S. C. non intendit excludere alias probationes, quae de jure communi possunt admitti, dummodo legitimae sint et sufficientes*), sequitur, quod stantibus licet principiis generalibus praestitutis, haud raro casus eveniunt, in quibus ecclesiasticorum praesidum judicia haerere solent in vera justaque probatione dignoscenda ac statuenda; imo, pro summa illa facilitate quae aetate nostra

Digitized by Google

facta est remotissimas quasque regiones adeundi, in omnes fere orbis partes homines divagentur, ejusmodi casuum multitudo adeo succrevit, ut frequentissimi hac de re ad supremam hanc Congregationem habeantur recursus, non sine porro partium incommodo, quibus inter informationes atque instructiones, quas pro re nata, ut aiunt, peti mittique necesse est, plurimum defluit temporis, quin possint ad optata vota convolare.

Quapropter S. eadem C. hujusmodi necessitatibus occurrere percupiens, simulque perpendens in dissitis praesertim missionum locis ecclesiasticos Praesides opportunis destitui subsidiis, quibus ex gravibus difficultatibus extricare se valeant, e re esse censuit uberiorem edere instructionem, in qua, iis quae jam tradita sunt nullo pacto abrogatis, regulae indigitentur, quas in ejusmodi casibus haec ipsa S. C. sequi solet, ut illarum ope, vel absque necessitate recursus ad S. Sedem, possint judicia ferri, vel certe, si recurrendum sit, status quaestionis ita dilucide exponatur, ut impediri longiori mora sententia non debeat. Itaque:

1. Cum de conjugis morte quaestio instituitur, notandum primo loco, quod argumentum a sola ipsius absentia quantacumque (licet a legibus civilibus fere ubique admittatur), a sacris canonibus minime sufficiens ad justam probationem habetur. Unde s. m. Pius VI ad Archiepiscopum Pragensem, *die* 11 *Julii* 1789, rescripsit, solam conjugis absentiam atque omnimodum ejus silentium satis argumentum non esse ad mortem comprobandam, ne tum quidem cum edicto regio conjux absens evocatus (idemque porro dicendum est, si per publicas ephemerides id factum sit), nullum suimet indicium dederit. Quod enim non comparuerit, idem ait Pontifex, non magis mors in causa esse potuit, quam ejus contumacia.

2. Hinc, ad praescriptum eorumdem sacrorum canonum, documentum authenticum obitus diligenti studio exquiri omnino debet; exaratum scilicet ex regestis paroeciae, vel xenodochii, vel militiae, vel etiam, si haberi nequeat ab auctoritate ecclesiastica, a Gubernio civili loci in quo, ut supponitur, persona obierit.

3. Porro quandoque hoc documentum haberi nequit; quo casu testium depositionibus supplendum erit. Testes vero duo saltem esse debent, jurati, fide digni, et qui de facto proprio deponant, defunctum cognoverint, ac sint inter se concordes quoad locum et causam obitus, aliasque substantiales circumstantias. Qui insuper, si defuncti propinqui sint, aut socii itineris, industriae, vel etiam militiae, eo magis plurimi faciendum erit illorum testimonium.

Digitized by Google

4. Interdum unus tantum testis examinandus reperitur, et, licet ab omni jure testimonium unius ad plene probandum non admittatur, attamen, ne conjux, alias nuptias inire peroptans, vitam coelibem agere cogatur, etiam unius testimonium absolute non respuit S. C. in dirimendis hujusmodi casibus, dummodo ille testis recensitis conditionibus sit præditus, nulli exceptioni obnoxius, ac praeterea ejus depositio aliis gravibusque adminiculis fulciatur; sique alia extrinseca adminicula colligi omnino nequeant, hoc tamen certum sit, nihil in ejus testimonio reperiri quod non sit congruum atque omnino verisimile.

5. Contingit etiam ut testes omnimoda fide digni testificentur se tempore non suspecto, mortem conjugis ex aliorum attestatione audivisse; isti autem, vel quia absentes, vel quia obierint, vel aliam ob quamcumque rationabilem causam examinari nequeunt; tunc, dicta ex alieno ore, quatenus omnibus aliis in casu concurrentibus circumstantiis, aut saltem urgentibus respondeant, satis esse censentur pro secutae mortis prudenti judicio.

6. Verum haud semel experientia compertum habetur, quod nec unus quidem reperiatur testis, qualis supra adstruitur. Hoc in casu probatio obitus ex conjecturis, praesumptionibus, indiciis, et adjunctis quibuscumque, sedula certe et admodum cauta investigatione curanda erit, ita nimirum ut, pluribus hinc inde collectis, eorumque natura perpensa, prout scilicet urgentiora vel leviora sunt, seu propiore vel remotiore nexu cum veritate mortis conjunguntur, inde prudentis viri judicium ad eamdem mortem affirmandam probabilitate maxima, seu morali certitudine, promoveri possit. Quapropter quandonam in singulis casibus habeatur ex hujusmodi conjecturis simul conjunctis justa probatio, id prudenti relinquendum est judicis arbitrio; hic tamen non abs re erit plures indicare fontes, ex quibus illae, sive urgentiores, sive etiam leviores, colligi et haberi possint.

7. Itaque in primis illae praesumptiones investigandae erunt, quae personam ipsius asserti defuncti respiciunt, quaeque profecto facile haberi poterunt a conjunctis, amicis, vicinis, et quoquo modo notis utriusque conjugis. In quorum examine requiratur, ex. gr.:

An ille, de cujus obitu est sermo, bonis moribus imbutus esset, pie religioseque viveret, uxoremque diligeret; nullam sese occultandi causam haberet; utrum bona stabilia possideret, vel alia a suis propinquis aut aliunde sperare posset.

An discesserit annuentibus uxore et conjunctis; quae tunc ejus aetas et valetudo esset.

Digitized by Google

An aliquando et quo loco scripserit, et num suam voluntatem quamprimum redeundi aperuerit; aliaque ejus generis indicia colligantur.

Alia ex rerum adjunctis pro varia absentiae causa colligi indicia sic poterunt.

Si ob militiam abierit, a Duce militum requiratur quid de eo sciat; utrum alicui pugnae interfuerit; utrum ab hostibus fuerit captus; num castra deseruerit, aut destinationes periculosas habuerit etc.

Si negotiationis causa iter susceperit, inquiratur utrum tempore itineris gravia pericula fuerint ipsi superanda; num solus profectus fuerit, vel pluribus comitatus; utrum in regione ad quam se contulit, supervenerint seditiones, bella, fames et pestilentiae etc.

Si maritimum iter fuerit aggressus, sedula investigatio fiat a quo portu discesserit; quinam fuerint itineris socii; quo se contulerit; quod nomen navis quam conscendit; quis ejusdem navis gubernator; an naufragium fecerit; an societas, quae navis cautionem forsan dedit, pretium ejus solverit; aliaeque circumstantiae, si quae sint, diligenter perpendantur.

8. Fama quoque, aliis adjuta adminiculis, argumentum de obitu constituit, hisce tamen conditionibus, nimirum: quod a duobus saltem testibus fide dignis et juratis comprobetur, qui deponant de rationabili causa ipsius famae; an eam acceperint a majori et saniori parte populi, et an ipsi de eadem fama recte sentiant; nec sit dubium illam fuisse concitatam ab illis in quorum commodum inquiritur.

9. Tandem, si opus fuerit, praetereunda non erit investigatio per publicas ephemerides, datis directori omnibus necessariis personae indiciis, nisi ob speciales circumstantias saniori ac prudentiori consilio aliter censeatur.

10. Haec omnia pro opportunitate casuum S. haec C. diligenter expendere solet; cumque de re gravissima agatur, cunctis aequa lance libratis, atque insuper auditis plurium theologorum et jurisprudentum suffragiis, denique suum judicium pronuntiat, an de tali obitu satis constet, et nihil obstet quominus petenti transitus ad alias nuptias concedi possit.

11. Ex his omnibus ecclesiastici Praesides certam desumere possunt normam, quam in hujusmodi judiciis sequantur. Quod si, non obstantibus regulis hujusque notatis, res adhuc incerta et implexa illis videatur, ad S. Sedem recurrere debebunt, actis omnibus cum ipso recursu transmissis, aut saltem diligenter expositis.

Digitized by Google

ALLEGATUM VI

LOCA IN QUIBUS VIGET DECRETUM *Tametsi* CONC. TRID.
Sess. XXIV, cap. I de ref. mat.
(*Ioder Formulaire matrimonial, Appendice*, 3e *édit.*)

Nous n'avons point la prétention de donner ici un catalogue complet : pour y arriver, il faudrait dans chaque diocèse publier une statistique officielle, et tout à fait détaillée.

En général, nous avons suivi les indications de Perrone, augmentées par Zitelli (*Apparatus*, etc.). Nous les avons complétées, pour la Hollande, par les renseignements donnés par Feje (*de Imped. et Dis.*) ; pour l'Allemagne, par Weber ; pour les États-Unis, par le tableau dressé par la *Nouvelle Revue théologique* à la suite du dernier Concile de Baltimore ; pour la France, la Suisse, l'Alsace-Lorraine (et, en partie, l'Allemagne), par nos recherches particulières.

EUROPE

I. Iles-Britanniques.

Le décret *Tametsi* n'a été publié ni en Angleterre ni en Écosse.

Il est en vigueur pour les catholiques dans toute l'Irlande, comme l'atteste le document suivant, envoyé à la S. C. C. à l'occasion d'un procès matrim. : Paulus Cullen, Dei et Apost. Sedis gratia Archiepiscopus Dublinensis, Primas Hiberniae, etc. Nos infrascripti fidem facimus decreti sessionis XXIV C. T. caput primum, in quo matrimonia, sine praesentia parochi et duorum testium attentata, nulla esse et irrita declarantur, pluribus abhinc annis per totam Hiberniam publicatum fuisse, et nunc plene ubique vigere et observari, quando agitur de matrimoniis catholicis. Etenim decretum istud vel a tempore Elisabethae reginae, labente saeculo XVI, in pluribus partibus provinciaram Armacanae et Tuamensis ; anno autem 1775

Digitized by Google

per integram provinciam Coscheliensem ; et denique anno 1827 per totam provinciam Dublinensem et per eas partes Armacanae et Tuamensis provinciarum, in quibus antea non fuerat receptum, rite promulgatum in singulis paraeciis, et in usum deductum fuisse constat. Quod ad dioecesim Dublinensem et ad dioecesim Hartfordiensem spectat, in utraque Tridentina ista lex de matrimoniis clandestinis plenam vim obtinet. Observandum tamen est, S. S. Pontificem Pium VI fel. rec. per rescriptum S. C. de Propaganda Fide datum die 19 martii anni 1795 decrevisse, matrimonia mixta in Hibernia contracta aut contrahenda, non servata forma Concilii Tridentini, quamvis illicita, habenda tamen esse uti valida, nisi aliud impedimentum canonicum obstet. In quorum fidem... Datum Dublini die 8 martii 1866. Paulus Cullen, *Arch. Dublinensis, Primas Hiberniae.* »

Le concile prov. de Dublin, de 1853, s'autorise du même décret de Pie VI du 19 mars 1795, pour déclarer illicites, mais valides, les mariages mixtes clandestins (*Acta et Decr. Conc. rec., Coll. Lac.* III).

Voici ce décret : « SSmus decrevit... matrimonia mixta in Hibernia contracta et contrahenda, non servata forma C. T. in iis locis in quibus sive Conc. Trid. sive etiam ejus decretum, *sess. XXIV*, c. 1, *de ref. matr.*, forsan fuit promulgatum, alio non concurrente canonico impedimento, quamvis illicita, habenda tamen esse ut valida, idque significandum Archiepiscopis et Episcopis ». En transmettant ce décret aux Archevêques et Evêques de l'Irlande, le 19 du même mois, la S. C. de P. F. ajoutait : « Sanctitas Sua monitos vult universos istius regni Archiepiscopos et Episcopos, ut nihilominus catholicos retrahere curent ab hujusmodi illicitis nuptiis ».

Pour les protestants mêmes, il y aura à vérifier s'ils habitent une paroisse protestante dans laquelle le décret n'a été publié que dans la suite et dans la seule église catholique, ou s'il y a prescription contre le décret, auxquels cas leurs unions sont valides.

II. Danemark.

Le décret *Tametsi* n'a pas été publié (*Zitelli*).

Les catholiques observent le décret, ainsi que me l'a assuré un missionnaire de ce pays.

III. Suède et Norwège.

Le décret *Tametsi* n'a pas été publié, le protestantisme ayant été introduit en Suède dès 1523 (Zitelli).

Digitized by Google

IV. Russie.

Le décret *Tametsi* est en vigueur pour les catholiques dans toute la Russie, à l'exception peut-être de l'un ou l'autre diocèse (Feje, *de Disp.*, n. 331). De même, dans tout l'ancien royaume de Pologne, dont une grande partie a passé sous la domination de la Russie ; en Pologne, la publication fut faite par les ordres du Sénat et du roi Sigismond.

Mais pour les mariages mixtes, dans toute la Russie et la Pologne russe, un décret de la C. des Affaires Extraord. ordonne : « Respondendum *oretenus* matrimonia mixta quae in Russiaco imperio et in regno Poloniae inita sint praeter formam a Trid. Concilio praescriptam, esse prudenter dissimulanda, et quamvis illicita pro validis habenda, nisi tamen aliud obstet canonicum dirimens impedimentum » (Zitelli). De plus, la déclaration de Ben. XIV a été étendue à la Pologne russe par Pie VII, le 2 mars 1780 (*Lehmkuhl, Théol. mor., II*, 551).

V. France.

Le décret *Tametsi* a été publié, dès l'origine, dans tout le royaume de France. Il est également en vigueur dans les provinces devenues françaises plus tard seulement. Il faut excepter toutefois, dans le diocèse de Besançon, l'ancienne principauté de Montbéliard, qui dépendait du duc de Wurtemberg. Le protestantisme fut introduit dans la ville même de Montbéliard en 1539, dans les villages du comté et les seigneuries de Blamont et d'Etobon en 1541, à Héricourt en 1563, dans les villages de la seigneurie de ce nom et dans les seigneuries de Clément et du Châtelet en 1565. Mais, même dans ces localités, les rares catholiques qui s'y trouvent sont tenus, par l'usage, à l'observation du décret *Tametsi*.

Pour le reste de la France, les paroisses protestantes n'ont pu commencer à prescrire, contre le décret Conciliaire, que depuis la Révolution, ou peut-être depuis l'édit de 1788, qui les autorisait à se présenter devant le curé, et, en cas de refus du curé, devant le magistrat civil pour le mariage.

En pratique, on se dirigera d'après les deux décisions suivantes rapportées par Feje (*de Disp.*, *n.* 325, *en note*) : « Conjuges (dans un mariage mixte) de validitate matrimonii non dubitantes, in bona fide esse relinquendos, neque a participatione sacramentorum arcendos fore. Peculiares vero casus et circumstantias eorum, qui scrupulis super suorum matrimoniorum validitate anguntur, oportere ab eodem Episcopo distincte exponi ».— « Quamvis autem

Digitized by Google

nulla sint haec matrimonia, consulendum tamen quam maxime erit in casibus particularibus recurrere ad Sedem Apostolicam, expositis omnibus facti circumstantiis, quae tunc modo magis opportuno huic rei providebit ».

VI. Belgique et Luxembourg.

Le Concile de Trente a été publié en Belgique, et est en vigueur dans toutes les paroisses.

Le décret est également en vigueur, sans exception, dans le grand-duché de Luxembourg.

VII. Hollande.

Le décret *Tametsi* a été publié dans les Provinces Unies : Hollande, Zélande, Frise, dans le Limbourg, Haarlem, Maëstricht, avant que ces provinces n'eussent secoué le joug de l'Espagne et fait défection (*Zitelli*). Sur les instances des Vicaires Apostoliques intervint pour ces pays une déclaration de la S. C. C., dite *Déclaration bénédictine*, du 4 novembre 1741, statuant que dans les dites provinces, les mariages, tant des protestants entre eux, que les mariages mixtes, étaient valides.

Cette déclaration se rapportait : 1° aux provinces faisant alors partie des Provinces Unies, c'est-à-dire, dans la Hollande actuelle: *a*) tout le diocèse actuel de Haarlem ; *b*) tout le diocèse d'Utrecht, à l'exception peut-être de Wehl, qui appartenait autrefois au duc de Clèves ; *c*) le diocèse de Bois-le-Duc, à l'exception de Bœckel, Deemen, Dennenburg, Deursen, Herpen, Huisseling, Overlangen, Ravensteyn, Reek, Schayk, Uden, Velp, Volkel, Zeeland, Harea, Macharen, Megen, Teefflen, Bokhoven, Gemert, Haandel, Boxmeer, le bourg de Saint-Antoine, Luiksgestel, et peut-être aussi Œffelt; *d*) tout le diocèse de Bréda.

2° Aux villes que les Provinces Unies détenaient alors comme gages et dans lesquelles elles avaient garnison : Namur, Tournai, Ypres, Menena, Furna, Warneton, Knocke, Teneramunda, à la condition que les deux contractants appartiendraient aux dites garnisons. Mais cette disposition est aujourd'hui sans effet ;

3° A la ville de Maëstricht (diocèse de Ruremont), bien que, comme les précédentes, elle n'appartint alors aux Provinces Unies qu'à titre de gage (*Décl. du S.-Off.*, 12 *août* 1826);

4° Elle a été étendue au faubourg de Saint-Pierre, près de Maëstricht (*S. O.* 28 *février* 1844. — *Cf. Feje, de Disp. n.* 320, 321, 322).

Quant aux catholiques des mêmes provinces, ils restent soumis

Digitized by Google

au décret conciliaire : « Sciant, nisi coram ministro catholico et duobus testibus nuptias celebraverint, nunquam se neque coram Deo neque coram Ecclesia veros et legitimos conjuges fore » (*Ben. XIV, Const.* REDDITAE SUNT NOBIS, *du 17 septembre* 1746, § 3).

VIII. SUISSE.

Différents cantons de la Suisse firent défection bien avant le Concile de Trente.

I. *Diocèse de Coire.* — Le diocèse de Coire s'étend sur les cantons des Grisons, de Schwyz, Uri, Unterwalden, Glarus et Zurich, et sur la petite principauté de Liechtenstein. Selon le dénombrement de l'an 1880, il y a à peu près 188,000 catholiques et 365,000 protestants. Les cantons de Schwyz, Uri, Unterwalden et la principauté de Liechtenstein ont une population catholique. Le canton des Grisons est mixte, il y a 41,000 catholiques et 53,000 protestants. Dans le canton de Zurich il y a 31,000 catholiques et 285,000 protestants. Le canton de Glarus a 7,000 catholiques et 27,000 protestants.

Le décret « Tametsi » est en vigueur sans exception dans les cantons de Schwyz, Uri, Unterwalden, dans la principauté de Liechtenstein, dans toutes les paroisses catholiques du canton des Grisons (à l'exception des nouvelles paroisses de Davos et Hany), et probablement aussi pour les paroisses catholiques de Glarus. Dans les paroisses protestantes des cantons des Grisons et de Glarus, et dans tout le canton de Zurich (à l'exception des paroisses exclusivement catholiques de Rheinau et Dieticon) le décret *Tametsi* « n'est pas en vigueur » (Renseignements dus à l'obligeance de M. le Secrétaire de l'Évêché de Coire).

II. *Diocèse de Bâle.* — Le diocèse de Bâle comprend les cantons de Bâle-ville, Bâle-campagne, Berne, Soleure, Lucerne, Zug, Argovie, Turgovie et Schaffhausen. Il y a 428,000 catholiques, 800,000 non catholiques. Le décret « Tametsi » a été publié dans un certain nombre de paroisses, mais il n'est pas facile de préciser les limites des districts dans lesquels la publication a eu lieu. Les mariages protestants sont considérés comme valides.

(Renseignements dus à l'obligeance de M. le Secrétaire de l'Évêché de Bâle).

Un synode de Delémont, de 1581, prescrit la publication du décret *Tametsi* dans toutes les paroisses de l'ancien diocèse de Bâle.

Dans le canton de Bâle, le district d'Arleshein, avec les paroisses d'Aesch, Allschweil, Arleshein, Ettingen, Oberwyl, Pfeffingen,

Digitized by Google

Reinach, Therwil, est en majorité catholique. Il y a à Bâle même une paroisse catholique. Dans le canton de Berne, le district de Porrentruy et Delémont est en majorité catholique.

Le canton de Soleure est catholique, à l'exception du district de Bucheggberg.

Les cantons de Lucerne et de Zug sont catholiques. Ceux d'Argovie et de Turgovie mixtes (Turgovie est aux 3/4 prot.), Schaffhausen est en majorité protestant.

III. *Diocèse de Saint-Gall.* — Le diocèse de Saint-Gall comprend les cantons de Saint-Gall et d'Appenzell, avec 142,000 catholiques et 131,000 non catholiques. Saint-Gall est mixte ; Appenzell intérieur catholique ; Appenzell extérieur presque complètement protestant.

« Le décret « Tametsi » (m'écrit M. le secrétaire de l'Évêché) est considéré comme non publié dans toutes les paroisses catholiques ou mixtes ; les protestants sont considérés comme exempts ».

Mais pour les catholiques, le décret *Tametsi* est en vigueur par l'usage : « Quamvis decretum matrimoniale Tridentinum formaliter apud nos non fuerit promulgatum, constat tamen, illud a saeculo XVI exeunte usque ad nostra tempora, in parochialibus ecclesiis tam catholicis quam ecclesiis catholicorum cum acatholicis simultaneis quotannis abs locorum parochis e cancellis inter missarum solemnia fuisse promulgatum, et adhuc dum promulgari, nec quidem quasi merum synodale statutum, sed tanquam legem S. C. Trid. latam ; — ab illo tempore matrimonia catholicorum apud nos jugiter juxta formam a S. C. Trid. praescriptam in facie Ecclesiae contracta fuerunt, et hodiedum usque contrahuntur » (*Rapport de l'Ev. de Saint-Gall au S. Siège, 9 septembre* 1877).

IV. *Diocèse de Sion.* — Le diocèse de Sion embrasse le canton du Valais et une petite partie du canton de Vaud. Il n'y a que quelques centaines de protestants dans le Valais. Le décret *Tametsi* est en vigueur dans toutes les paroisses du Valais ; les protestants n'en sont pas exempts (Renseignements dus à l'obligeance de M. le Secr. de l'Ev.).

V. *Diocèse de Genève-et-Lausanne*, 173,000 cath., 300,000 non cath. — Il comprend : 1° le canton de Fribourg, qui est tout entier catholique, à l'exception du district de Murten ;

2° La plus grande partie du canton de Vaud (Lausanne) qui est aux 4/5 protestant ; en 1838 l'exercice de la religion catholique était garanti dans 10 communes ;

Digitized by Google

3° Le canton de Neuchâtel, mixte.

« Le décret *Tametsi* », m'écrit M. le Secr. de l'Évêché, « est considéré comme obligatoire sous peine de nullité du mariage dans toutes les paroisses où il a été publié, soit dans toutes les paroisses catholiques du diocèse de Lausanne. Les paroisses mixtes sont de création relativement récente dans des villes, ou localités tombées dans l'hérésie au moment de la prétendue réforme. Le Concile de Trente n'a donc pas été publié dans ces paroisses nouvelles ».

4° Le canton de Genève, mixte. A Genève même il y a 20,000 catholiques contre 25,000 protestants. Le décret *Tametsi* n'a pas été publié dans la ville de Genève, comme le prouve M. le Vic. Gén. Broquet contre Perrone (*Les mariages clandestins à Genève*, 1886). Quant au reste du canton, il se compose, m'écrit M. le Vic. Gén. Broquet, « de communes dont les unes ont été protestantisées dès 1535, et où le décret *Tametsi* n'a jamais été en vigueur ; tandis que les autres ont été détachées, soit de la France, soit de la Savoie par les traités de 1815. Celles-ci étaient essentiellement catholiques, et elles le sont encore dans leur grande majorité : le Concile de Trente y a été promulgué, ou du moins il y avait été introduit par la coutume, et il y était observé comme obligatoire au moment de leur annexion ».

Les protestants sont exempts.

VI. Le canton du Tessin, relevant jusqu'à ces dernières années des diocèses de Milan et de Côme, est tout catholique.

Le décret *Tametsi*, si nous sommes bien renseignés, y est en vigueur.

IX. Autriche.

Le décret *Tametsi* est en vigueur dans toute l'Autriche. Il a été publié dans l'Archiduché et les provinces annexées sous l'empereur Maximilien II, dès 1564. Il l'a été également dans la Silésie autrichienne, la Bohême (lettres au S. O., 1626), la Moravie (actes du S. O., 11 mai 1633), la Hongrie (à l'exception peut-être de quelques localités). Il est en vigueur comme ayant force de loi dans la Transylvanie et principalement l'archi-diocèse de Fogaras. — Voici pour la Hongrie ce qu'écrivait à la S. C. C. l'Évêque de Rosnavia le 20 février 1779 : « Concilii Tridentini decretum, sess. XXIV de ref. matr. cap. 1, quidquid sit de eo, an per singulas parochias solemniter sit promulgatum, certe usu inde mox a sua conclusione et confirmatione ad praesentia tempora per omnes dioeceses Regni hujus Hungariae et harum singulas Ecclesias

Digitized by Google

receptum est ; nec aliter ac ejus lege servata, matrimonia contrahere fas fuit unquam usque adeo, ut saltem quod est ad catholicos, matrimonia ea neglecta celebrata pro clandestinis ac irritis semper sint habita » (*Roskovany, De matr. mixt., II, p.* 535). Mais en vertu de l'Instr. du 30 avril 1841, les mariages mixtes sont valides en Hongrie et en Transylvanie : « Quod autem attinet ad connubiorum istorum (mixtorum) coram acatholico ministro, seu non servata Concilii Tridentini forma celebrationem... inspectis tam praeteritis, quam praesentibus locorum, de quibus sermo est, peculiaribus circumstantiis, erunt ab Episcopis et a parochis prudenter dissimulanda, et, quamvis illicita, pro validis habenda, nisi tamen canonicum aliunde officiat dirimens impedimentum ».

L'instruction de la Prop. à l'Archevêque de Fogaras et aux Évêques de sa province, de 1869, rappelle : 1° que le privilège accordé dans l'instruction ci-dessus s'étend à la Transylvanie ; 2° qu'une observance *quelconque* de la forme du C. de Trente (par exemple en vertu d'une constitution synodale, d'un décret de l'autorité civile), ne suffit pas pour emporter l'obligation du décret, mais qu'il faut la publication ou l'observation du décret *comme décret conciliaire*. Puis elle ajoute indiquant par là que dans certaines localités de cette province, les schismatiques sont exempts du décret *Tametsi* : « Quae nuper de mixtis nuptiis coram sacerdote schismatico celebratis, atque de Concilii Tridentini decreti vigore dicta sunt, tunc etiam prae oculis habenda sunt, quando in foro tum interno, cum externo de valore illarum nuptiarum judicandum vobis erit, quae vel a schismaticis inter se, vel coram alio sacerdote, quam sponsi et sponsae proprio parocho aut sacerdote rite deputato celebratae fuerunt. Ubi enim constiterit in illis locis in quibus ejusmodi connubia conciliata sunt, Tridentinum decretum non tanquam a Concilio hoc œcumenico latum, aut publicatum ; aut observatum fuisse, matrimonia haec omnia, nisi aliud adfuerit dirimens impedimentum, pro validis habenda erunt ».

X. Allemagne.

1. *Prusse.*

La Prusse compte 9,200,000 catholiques et 17,630,000 protestants. Elle comprend :

1° La Prusse orientale, dont la population est en majorité protestante, à l'exception du district d'Ermeland, qui est catholique ;

Digitized by Google

2° La Prusse occidentale, autrefois polonaise, dont la moitié de la population est catholique ;

3° La Poméranie, protestante ;

4° Posen, province Polonaise, les deux tiers de la population sont catholiques ;

5° La Silésie comprenant l'ancien duché de Silésie (Autriche), et la Lusace supérieure (Saxe), en majorité catholique ;

6° Le Brandebourg ; la population est en grande majorité protestante ;

7° La Saxe, presque entièrement protestante ; il y a des catholiques à Erfurt ;

En même temps qu'à Haguenau le protestantisme s'introduisit dans Schweighausen B. A. * † *mp*.

10° *Comté de Hanau-Lichtenberg* (Strasbourg, à l'exception de Bühl, qui était du diocèse de Spire). — Les comtes de Hanau-Lichtenberg introduisirent la réforme dans leurs terres dans les années 1538 à 1577.

a) Localités protestantes. — Traenheim *mp*; Bietlenheim *t*; Eckwersheim *tp*; Krautwiller *tp*; Mittelhausen *tp*; Mattstal; Bosselshausen *t*; Dunzenheim; Ernolsheim (Saverne) *mp*; Geiswiller; Gimbrett *t*; Gottesheim; Griesbach près Bouxwiller; Hattmatt *mp*; Hohfrankenhein *t*; Oberhoffen près Haguenau; Imbsheim *mp*; Issenhausen; Melsheim *t*; Menchhoffen *m*; Niedersulzbach près Bouxw. *t*; Prinzheim *tp*; Reitwiller *tp*; Riedheim *m*; Ringendorf; Uttwiller *t*; Wickersheim; Wilshausen; Zobersdorf *t*; Mietesheim *mp*; Obersulzbach *t*; Schillersdorf *tp*; Wimmenau *t*;

Digitized by Google

Alteckendorf *tp*; Bischholz *t* ; Engwiller *tp* ; Obermodern *tp* ; Offwiller *tp* ; Schalkendorf *t* ; Mitschdorf *t* ; Oberdorf ; Kühlendorf; Erckartswiller *m* ; Rothbach *mp* ; Weinbourg *mp* ; Zittersheim *t*.

b) Localités mixtes. — Allenwiller. † *mp* ; Ballbronn *mp* ; Westhoffen † *mp* ; Wolschheim* ; Hangenbieten *mp* ; Wolfisheim *mtp.* ; Brumath † *mp* ; Geudertheim † *mp* ; Griess † ; Hœrdt † *mp* ; Kurtzenhausen *t.* ; Waltenheim *mp* ; Weitbruch * † *m* ; Lobsann ; Kutzenhausen † *mp* ; Bouxwiller B. A. †; Hohazenheim* ; Kirrwiller † *mp* ; Ingwiller † *mp* ; Lichtenberg* † ; Neuwiller* † *mp* ; Reipertswiller *m* ; Niedermodern *m* ; Pfaffenhofen † *mp*; Schwindratzheim *mp* ; Gœrsdorf † *m*; Griesbach (Niederbronn) *m* ; Lampertsloch *m* ; Morsbronn ; *m* ; Niedersteinbach * *m* ; Obersteinbach* † ; Preuschdorf *mp* † Wœrth sur-Sauer † *mp* ; Bühl (B. A.)* † ; Hatten † *mp* ; Leiterswiller* ; Niederbetschdorf † *m* ; Oberbetschdorf* *mp*; Reimerswiller ; Rittershofen † *mp* ; Schwabwiller* † ; Gumbrechtshofen (Oberbronn) † *mp*; Mertzwiller * † *m*; Oberbronn † *mp* Sparsbach ; Uhrwiller † *mp* ; Zinswiller * *mp*.

11° *Seigneurie de Niederbronn.* — *a) Localité protestante.* — Uttenhofen *mp* ; le protest. s'y introduisit en 1568.

b) Localités mixtes (devenues protestantes en 1570). — Gumbrechtshofen (Niederbr.); Gundershofen *mp* ; Niederbronn † *mp*.

12° *Seigneurie de Schœneck* (Strasbourg). Réforme vers 1554. — *a) Localité protestante.* — Langensulzbach.

b) Localités mixtes. — Froeschwiller, *mp* ; Neehwiller (Woerth); Windstein.

13° *Baronnie de Fleckenstein.* (Strasbourg). — Les Fleckenstein réformèrent leurs terres vers 1543.

a) Localités protestantes. — Hermerswiller ; Zutzendorf *tp* (Strasbourg) ; — Krœttwiller ; Drachenbronn (Spire).

b) Localités mixtes. — Niederrœdern † *m* ; Retschwiller ; Soulzsous-forêts † *mp* ; Weiterswiller † *mp* ; Winzenbach * † ; Auenheim * ; Dalhunden * ; Forstfeld ; Kauffenheim ; Roppenhein *mp* ; Runzenheim † *m* ; Sessenheim † *m* ; Stattmatten ; Hohwiller ; Lembach † *mp* (Strasbourg) ; — Niederseebach ; Trimbach * † (ne pas confondre avec Triembach). (Spire).

14° *Wissembourg* † (Spire) 2,276 cath., 3,644 prot.). — A l'époque de la réforme, il y avait deux paroisses : St. Jean et St. Michel. En 1528, Bucer prêche à St-Jean. Cette église devient définitivement protest. en 1534. — Le chapitre et l'église St. Michel restent catholiques.

15° *Seigneurie de Hohenbourg* (Spire). Réforme : 2e moitié du

Digitized by Google

XVIe siècle. — *Localités mixtes.* — Climbach * †, Wingen (Wissemb.) * †.

16° *Terres de l'évêché de Spire.* Elles deviennent protest. après 1555, sont tantôt protestantes, tantôt catholiques. De 1721 à 1781 il n'y a plus de pasteur.

Localités mixtes. — Oberseebach* †; Schleithal* † (Spire).

17° *Terres de la maison de Deux-Ponts.* — Le protest. fut introduit à Bischwiller en 1525, Roth 1540, Durstel 1554, Birlenbach et Ingolsheim 1558, Tieffenbach 1563, Hambach 1571, Oberhoffen 1577. Ainsi, d'après ces dates indiquées pour les endroits principaux, entre les années 1525 et 1757.

a) *Localités protestantes.* — Adamswiller *t*; Bettwiller *t*; Dürstel *t*; Gungwiller; Hambach *tp*; Hinsburg; Roth *tp*; Oberhoffen (B); Pfalzweier; Puberg; Hoffen *t*; (Strasbourg) — Birlenbach; Hunspach; Oberhoffen (W). (Spire)

b) *Localités mixtes.* — Tieffenbach † *mp*; Eschbourg (paroisse cath. à Graufthal, hameau, existait déjà en 1763); Petersbach *m*; Lapetitepierre † *mp*; Rosteig *; Schœnbourg; Volksberg; Weislingen; Wingen (Lapetitep.) * † *m*; Struth; Bischwiller † *tp*; (en 1763 église cath. à Hanhoffen (Strasbourg); — Ingolsheim (en 1684 il y a de nouveau une paroisse cath.; mais la paroisse prot. subsiste); Keffenach; Roth; Steinselz, Cleebourg. (Spire).

18° *Comté de Saarwerden.* (Metz). — Le comté devient en 1527 la propriété des Nassau; la réforme y fut établie de 1552 à 1557. En 1557 il n'y a plus un seul prêtre cath. — En 1629, le duc de Lorraine chassa tous les prédicants. Vers 1667 on permit à un seul prédicant de résider dans la contrée. En 1679 Saarwerden, Bockenheim et Wiberswiller restent à la Lorraine; les autres parties du comté retournent aux Nassau : il y a alors des prédicants à Lorenzen, Wolfskirchen et Diemeringen. — En 1685, le dernier pasteur abjure l'hérésie. En 1698 il y a 4 prédicants : à Pistorf, Lorenzen, Keskastel et Hirschland. Devinrent paroisses protestantes : Drulingen 1703; Berg 1712; Bütten 1714; Herbitzheim 1721; Wolfskirchen 1757. — En 1710 Neu-Saarwerden (Bockenheim, nommé aussi Saarunion).

a) *Localités protestantes.* — Altwiller; Berg; Büst; Diedendorf; Domfessel † (le siège de la paroisse catholique se trouve dans cette localité toute protestante, à cause de l'église qui est aux catholiques); Drulingen; Goerlingen * †; Hirschland; Kirrberg; Ottwiller; Rauwiller; Rexingen; Wolfskirchen Burbach; Pistorf; Schopperten; Asswiller (protestante à l'époque de la réforme).

b) *Localités mixtes.* — Bissert *; Butten; Harskirchen †; Hins-

Digitized by Google

chingen ; Mackwiller ; Hermingen * † : Siewiller ; Thal † ; Weyer † ; Lorenzen † ; Saarunion * † ; Eywiller † ; Herbitzheim * † ; Keskastel * † ; Saarwerden * † ; Rimsdorf ; Vœllerdingen.

19° *Terres du Rhingrave de Salm.* (Metz). — Le protestantisme est introduit en 1575. Le duc de Lorraine l'abolit en 1629. Il est rétabli par le Rhingrave 1659. De 1654 à 1684 il n'y a point de pasteur à Diemeringen, les Français occupant le pays.

Localités protestantes. Dehlingen : Diemeringen ; Ratzveiler.

20° Les communautés protestantes établies à Altkirch, Benfeld, Cernay, Dornach, Ensisheim, Erstein, Guebwiller, Hochfelden, Huningue, Massevaux, Molsheim, Montreux-Vieux, Neuf-Brisach, Obernai, Reichshofen, Riedisheim, Rouffach, Saint-Amarin, Saint-Louis, Selestadt, Saverne, Soultz (Haute-Alsace), Thann, sont d'origine récente, et datent quelques-unes de 40 à 60 ans, les autres de 10 à 15 ans.

Les localités non nommées sont catholiques.

XI. Portugal.

Le décret *Tametsi* a été publié en Portugal sous le règne du pieux roi Sébastien (*Zitelli*).

XII. Espagne.

Il a été publié dans toute l'Espagne sous le règne de Philippe II. Mais à Gibraltar, dit Zitelli, les mariages mixtes clandestins et les mariages protestants sont valides. Il ne dit point si c'est en vertu d'une extension de la déclaration de Ben. XIV, comme cela a été accordé à différentes colonies, quand elles passèrent aux Anglais, ou si les protestants ont acquis prescription contre le décret.

XIII. Italie.

Le décret *Tametsi* est en vigueur dans toute l'Italie et les îles adjacentes.

XIV. Grèce.

Il a été publié dans les églises catholiques des îles de l'archipel ; pour l'île de Tine, dans toute l'île (*Zitelli, citant les actes du S. O.* 1845).

Il n'a point été publié dans l'Archidiocèse d'Athènes et toute la délégation Apostolique de Grèce ; mais les fidèles l'observent et croient nuls les mariages non contractés selon la forme du Concile de Trente (*Zitelli*).

Digitized by Google

XV. Turquie et Principautés danubiennes.

Le décret *Tametsi* a été publié dans les églises latines à Constantinople et dans le faubourg de Pera ; de même dans les églises catholiques de la Moldavie et quelques-unes de la Valachie. Pour la plus grande partie de cette dernière province (actes de la S. C. Prop.), ainsi que pour la Bulgarie (surtout le diocèse de Sophia, décr. S. O. 31 Août 1758), la publication est douteuse. Mais le décret conciliaire est en usage dans ces deux dernières provinces, et notamment à Bucharest, ainsi que dans les diocèses de l'Albanie et de la Serbie : « Omnibus missionariis et parochis praecipimus, ut in nostris dioecesibus Albaniae et juxta statuta sacri Tridentini Concilii legibus decreta, in parochialibus ecclesiis coram duobus vel tribus testibus celebrare studeant matrimonia (*Syn. prov. Alb.* 1703, *approb. à S. C. de Prop. Fide* 14 *Sept.* 1705).

La déclaration de Ben. XIV a été (non formellement, mais d'une façon équivalente) étendue à Constantinople avec les faubourgs, par décret du S. O. du 20 Août 1769 (*Zitelli*).

ASIE

I. Russie d'Asie.

Le décret *Tametsi* a été publié dans les églises catholiques de la Géorgie (*Zitelli*). Mais les mariages mixtes doivent être considérés comme valides (*S. O.* 1845).

II. Turquie d'Asie.

Il a été publié dans les églises latines de la Terre Sainte et de Smyrne. L'empêchement de clandestinité existe chez les Maronites, non en vertu du décret *Tametsi*, mais en vertu de l'approbation apostolique en forme spécifique donnée aux décrets d'un synode du Liban de l'an 1736. « Nullum », dit ce décret, « est matrimonium clandestinum, id est quod aliter contrahitur, quam praesente parocho vel sacerdote de ipsius parochi vel ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus ». (*Mansella de imp. martr. dir. p.* 134). Pour la Syrie et l'île de Chypre la publication est douteuse (*ibid.*).

III. Empire chinois, Cochinchine, Tonquin.

Voici ce que dit Zitelli au sujet de ces différentes contrées : « Ad instantiam Vicariorum Apostolicorum utriusque Tunchini orientalis et occidentalis, Sutchuensis et Cocincinae, data est Instructio

Digitized by Google

à S. C. de Prop. Fide pro Sinis ac Regnis adjacentibus an. 1821. Juxta hanc instructionem promulgatum est in Sinis pluribus in locis decretum Triden. Verum ob difficultates obortas ob ejusmodi publicationem ulterior promulgatio suspensa est. Post haec nova Instructio ab eadem S. C., ad eosdem directa est, quo probatur publicationis suspensio, et interea missionarii se gererent ad normam earum praescriptionum, quae datae sunt Vicario Apostolico Tunchini Orientalis ».

La publication n'a pas été faite dans le Vicariat de Sutchuen. On lit en effet dans le synode de ce Vicariat, de 1803 : « Quamvis matrimonia clandestina, seu sine praesentia sacerdotis celebrata, valida sint in iis locis, ubi decretum Concilii Trid. non fuit publicatum, aut saltem non fuit observatum tanquam lex concili prout de hoc Vicariatu constat... » (*Mansella, ib., p.* 134).

Pour cette dernière contrée : « Pluribus in locis primum fuit ex parte publicatum hoc decretum, nempe quoad necessitatem solum duorum aut trium testium, non autem quoad parochi praesentiam. Deinde vero absolute ac integrum hoc ipsum decretum publicatum est ».

IV. Japon.

Le décret *Tametsi* a été publié dans les chrétientés du Japon. Mais, « quum persecutio ante plura saecula esset exorta, declaratum est matrimonia non obstante legis Tridentinae promulgatione, ob penuriam sacerdotum valere sine parochi assistentia » (*Lehmkuhl II*, 552).

V. Hindoustan.

Les Français possèdent, dans l'Hindoustan, une partie de la côte de Coromandel avec Pondichéry, et une partie de la côte d'Orissa. Les Portugais, Goa avec le territoire adjacent (une partie de la côte de Malabar). Les Danois, Tranquebar avec son territoire. Le reste de l'Hindoustan appartient en grande partie aux Anglais (Compagnie des Indes et états alliés ou tributaires).

Le décret *Tametsi* a été publié dans une partie de la côte de Malabar (*S. O.* 6 *avril* 1669), nommément dans l'archidiocèse de Goa et les diocèses suffragants ; mais comme la publication ne fut point faite en langue malabare, elle doit être considérée comme douteuse ; c'est ce qui résulte d'une décision de la Propag., du 4 Sept. 1764, révoquant pour ce motif un décret de la S. C. C. de 1673.

Il a été publié également dans le Vicariat de Pondichéry et toute la côte de Coromandel (*S. O.* 1845), à Calcutta, et dans le territoire de Bombay ; mais la déclaration de Benoît XIV a été éten-

Digitized by Google

due à Pondichéry en 1883 ; à la côte de Coromandel, y compris les colonies françaises, en 1831 (*S. C. de Prop. Fide*) ; à la côte de Malabar en 1765 ; au territoire de Bombay en 1761, quand il vint sous la domination de la Compagnie des Indes ; à Calcutta et tout le Bengale occidental. En 1838, par décret du S. O. 12 sept. : « Supplicandum esse SSmo pro extensione declarationis Ben. XIV, matrimonia in Belgio et Hollandia celebrata respicientis, ad regiones de quibus agitur ». (*Mansella et Zitelli, ll. cc.*).

AFRIQUE

D'après Zitelli, le décret *Tametsi* a été publié à Tripoli (*actes de la Prop.*, 1802), à Tunis et à Alger ; un décret de la Prop. du 20 Sept. 1765, ordonne : « Publicetur decretum S. Conc. Trid. quoad matrimonia clandestina in qualibet paroecia Tuneti et Algeriae, servata forma ab eodem decreto praescripta, facto verbo cum SSmo ; et deinde hujusmodi publicationis instrumentum transmittatur ad S. C. ». Ladite attestation fut envoyée en 1769 (*Mansella*, p. 133). Il fut publié dans le diosèce de St-Denys (île de la Réunion).

Il n'est point en vigueur dans l'Abyssinie (*lettres à la Prop.* 1840) ; et n'a pas été publié dans l'île de Madagascar.

Il est douteux si la publication a été faite dans le territoire du Cap de Bonne-Espérance. Un décret du S. O., du 22 Juillet 1840, dit : « Non satis constare decretum Trid. ibi fuisse publicatum ; optime tamen se gerere missionarios, dum matrimonia in forma Tridentini celebrare satagunt (*Mansella, ib.*).

AMÉRIQUE

I. Nouvelle-Bretagne.

Le décret *Tametsi* a été publié dans le Canada. Parlant des colonies françaises dans une Instruction relative au diocèse de Nouvelle-Orléans (Lousiane) le S. O. dit (9 *Sept.* 1824) : « Constat galliarum regibus adeo cordi fuisse clandestina submovere matrimonia ut ecclesiasticae legi subvenientes, observantiam conciliaris decreti non solum regiis edictis indixerint, sed inter leges recensuerint omnino servandas ubicumque eorum extendebatur imperium. Atque quoad colonias, quum ageretur anno 1764 sub *Clemente XIV* de extendenda ad regiones Canadensem et Quebecensem memorata Ben. XIV declaratione, monumentis in causa allatis demonstratum fuit, Tridentinum clandestinitatis impedimentum illis in coloniis viguisse, non secus ac in Gallia ». — Pour le diocèse de St-Hyacin-

Digitized by Google

the (qui n'est pas divisé en paroisses, mais comprend : 1° des stations dans lesquelles n'habite habituellement aucun missionnaire ; 2° des quasi-paroisses (stations-résidences des missionnaires), une rép. de l'Inquis. du 14 Nov. 1883, à la demande, si la publication du décret *Tametsi* est valide, déclare : « Juxta exposita, affirmative et ad mentem. Mens est, quod in locis ubi haberi nequeat parochus, validum est matrimonium celebratum coram duobus testibus, contrahentibus tamen onus inest recipiendi, quamprimum id fieri possit, benedictionem nuptialem, et curandi ut eorumdem matrimonium inscribatur in sacramentali registro missionis, vel proximioris Ecclesiae, cui subjiciuntur ». La déclaration de Ben. XIV a été étendue au Canada en 1764, après que cette colonie eût passé au pouvoir des Anglais.

II. États-Unis.

La *Nouvelle Revue théologique* (XVIII, p. 554) dresse, d'après les actes du dernier Concile de Baltimore, la liste suivante :

A. *Le décret* Tametsi *n'est pas en vigueur* :

1° Dans la prov. de Baltimore, c'est-à-dire dans les diocèses de Baltimore, Charleston, Richmond, Savannad, Wheeling, Wilmington, Saint-Augustin, et dans le vicariat Apostolique de la Caroline septentrionale ;

2° Dans la prov. de Philadelphie ; diocèses : Philadelphie, Pittsburg, Erie, Scranton, Harrisburg, Alleghenz ;

3° Dans la prov. de New-York ; dioc. : New-York, Albany, Buffalo, Newark, Brooklyn, Rochester, Ogdensburg, Trenton ;

4° Dans la prov. de Boston ; dioc. : Hartford, Burlington, Portland, Springfeld, Providence ;

5° Dans la prov. d'Oregon ; dioc. : Oregon, Nesqualy, Héléna, Vancouver ; vic. Apost. : Idaho ;

6° Dans la prov. de Milvaukee : dioc. : Milvaukee, St. Paul, Marquetté, Green-Bay, La Crosse ; vic. Apost. : Minnesota septentrional, Dakota ;

7° Dans la prov. de Cincinnati, *excepté le diocèse de Vincennes* ; dioc. : Cincinnati, Louisville, Détroit, Cleveland, Covington, Fort Wayne, Columbus, les Grands Rapides ;

8° Dans la prov. de Saint-Louis, c'est-à-dire : dans les diocèses de Saint-Louis (*à l'exception de la ville même de Saint-Louis et des lieux dits de Sainte-Geneviève, de Saint-Ferdinand et de Saint-Charles*), Dubusque, Nashville, Saint-Joseph, le Kansas, Leavenworth, Davenport, et le vic. Apost. de Nebraska ;

9° Dans la prov. de Chicago ; dioc. : Alton (*excepté les lieux ap-*

Digitized by Google

pelés Kaskaka, Cahoka, French-Village, et Prairie du Rocher), Peoria ;

10° Dans la partie du territoire d'Utah (province de San-Francisco) qui se trouve à l'est du fleuve Colorado;

11° Dans la partie septentrionale du territoire de Colorado (province de Santa-Fé).

B. *Le décret* Tametsi *est observé* (vigere censetur) :

1° Dans la prov. de la Nouvelle-Orléans ; dioc. : Nouvelle-Orléans, Mobile, Natchez, Little-Rock, Galveston, Nachitoches, San-Antonio : vic. Apost. Brownsville ; préf. Apost. du Territoire Indien ;

2° Dans la province de San-Francisco ; dioc. : San-Francisco, Monterey et Los-Angelos, Gras Valley et Mission du territoire d'Utah (*il faut excepter toutefois la partie de ce territoire qui se trouve à l'est du Colorado*) ;

3° Dans la province de Santa-Fé ; dioc. Santa-Fé, vic. Apost., le territoire d'Arizona, Colorado (*il faut excepter la partie septentrion. de ce dernier*) ;

4° Dans le diocèse de Vincennes (prov. de Cincinnati) ;

5° Dans la ville de Saint-Louis, et à Sainte-Geneviève, Saint-Ferdinand et Saint-Charles, du diocèse de Saint-Louis.

6° En quatre lieux du diocèse d'Alton (prov. de Chicago) : Kaskaska, Cahoka, French Village et Prairie du Rocher.

C. *Enfin la déclaration de Ben. XIV, sur les mariages des hérétiques ou les mariages mixtes en Hollande, a été étendue* :

Aux provinces, diocèses, villes et lieux dans lesquels le décret *Tametsi* est en vigueur et qui sont désignés ci-dessus, à l'exception de la province de Santa-Fé, c'est-à-dire du diocèse de Santa-Fé et des territoires d'Arizona et de Colorado.

Nota. — 1° Pour le diocèse de la Nouvelle-Orléans, la déclaration de Ben. XIV y a été étendue par le décret de l'Inquisition du 9 Septembre 1824, dont nous avons cité un extrait à propos du Canada.

Nota. — 2° Le vicaire Apostolique d'Arizona ayant demandé si le décret *Tametsi* devait être censé en vigueur pour tout le territoire autrefois soumis à l'Espagne, ou seulement pour la partie alors habitée, le S. O. répondit, 28 Janvier 1882 : « Affirmative ad primam partem, negative ad secundam ».

III. Mexique.

Cette contrée ayant été autrefois une colonie espagnole, le décret *Tametsi* y est en vigueur. Voici ce que dit, au sujet des possessions espagnoles, l'Instruction du S. O. de 1824, déjà citée au

Digitized by Google

sujet du Canada : « Adeo relatum est quanto religionis studio Hispaniarum reges, concilii et Apostolicae Sedis obsequentes, in ejusdem Concilii publicationem in omnibus eorum ditionibus faciendam incubuerint, ac quanta pariter sedulitate Concilii decreta observari curarint Hispanarum ditionum Antistites, ut nec vel minimum dubitari queat de ejusdem decreti in Hispanicis Americanis regionibus observantia ».

IV. Guatémala.

Ancienne colonie espagnole : voir la citation rapportée sous l'art. *Mexique*.

V. Colombie.

(*Vénézuéla*, *Nouvelle-Grenade*, *Équateur*).

Ancienne *Terre-Ferme* ou *Nouveau royaume de Grenade et capitainerie de Caracas*, sous les Espagnols.

VI. Guyane.

Nous ignorons si l'ont peut appliquer à la Guyane française le passage cité plus haut, relatif aux colonies françaises.

VII. Brésil.

Ancienne colonie du Portugal. Le décret est publié.

VIII. Pérou.

Ancienne colonie espagnole.

IX. Haut Pérou.

De même.

X. Paraguay et Uruguay.

De même.

XI. La Plata.

De même.

XII. Chili.

De même.

XIII. Antilles.

1. Cuba et Porto-Rico sont aux Espagnols : on peut conclure que le décret *Tametsi* y est en vigueur.

2. Faut-il en dire autant de la Guadeloupe et de la Martinique, qui sont aux Français, et de Saint-Domingue, qui leur appartenait autrefois ? et peut-on leur appliquer le passage cité ci-dessus à propos du Canada ? nous l'ignorons.

Digitized by Google

3. Ile de la Trinité. Le décret *Tametsi* y a été publié ; mais la déclaration de Ben. XIV a été étendue à cette île en 1825 (*Mansella l. c.*).

4. Curaçao. Le décret y a été publié. Mais « legem Tridentinam obliteratam esse, authentica declaratione habemus (*Lehmkuhl II*, 552). Cette réponse est de 1851 (*Mansella l. c.*).

Nota. — Ex conc. I. Coloniarum Angliae, Hollandiae, Daniae, Americae meridionnalis atque Antillarum a. 1854 (archidioecesis Hispaniae, dioecesis Rosensis, vicariatus Apost. Jamaicae, Guyanae Britannicae, de Curaçao et Surinam), Patres pro certo habebant in illis omnibus regionibus validitatem matrimoniorum inter haeraeticos contractorum et mixtorum. De catholicis etiam dubitabant, quia in earum insularum nonnullis non constabat de promulgatione, in aliis vero nova reformata erat societas inde a dominatione haereticorum : quare S. Sedis oraculum implorandum censuerunt. Quod an imploraverint, et quid responderit S. Sedes nullibi reperitur (*Feje l. c., n.* 333).

OCÉANIE.

Le décret *Tametsi* a été publié à Batavia, capital de l'île de Java, aux Hollandais (*Zitelli*).

Il n'est point en vigueur dans la province ecclésiastique d'Australie (*Feje l. c. n.* 333).

Digitized by Google

ALLEGATUM VII

EPISTOLA BENEDICTI XIV AD ARCHIEPISCOPUM GOANUM DE DOMICILIO AUT QUASI-DOMICILIO AD MATRIMONIUM INEUNDUM.

VENERABILI FRATRI ANTONIO ARCHIEPISCOPO GOANO, BENEDICTUS PP. XIV.

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Paucis ab hinc hebdomadis Fraternitatis tuae literas accepimus, *die* 16 *Dec.* 1754 datas, nescientes usque adhuc quaenam diuturnae huius morae fuerit causa. Exposuisti autem in iis, quod cum receptum fuerit in dioecesi tua Tridentinum Concilium, servatur adamussim ibidem sanctio illa, quae nulla declarat matrimonia quae sine praesentia parochi sponsi vel sponsae et sine duobus testibus celebrantur. Cum vero dioecesi tuae finitimus sit locus quidam, *Sunda* vocatus, ubi nonnulli missionarii sacerdotes inhabitant ad regionis incolas ad fidem catholicam pertrahendos edocendosque, contigit aliquando, atque nunc etiam contingit, ut quispiam, difficultates praenoscens quae matrimonium fortassis impedirent quotiescumque in tua dioecesi contrahendum foret, ab eadem discedit una cum muliere, atque *Sundam* pergit, ubi neque receptum neque promulgatum fuit Concilium Tridentinum, ibique matrimonium coram missionario contrahit, ac subinde regrediens ad dioecesim tuam, validum esse contendit, eo quia matrimonium non alibi nullum esse reputatur, praeterquam iis in locis in quibus Concilii decretum receptum ac promulgatum fuit. Haec est quaestio, de qua Nos interrogasti, ut normam praefiniremus, quacum in eiusmodi matrimoniis gerere te oporteat. Quamvis autem ob longaevam, quin imo decrepitam, aetatem quam agimus, Nos a laboribus excusare liceret, eosdemque aliis committere, ultima Nobis definitione servata, nihilosecius,

Digitized by Google

eum divinae placuerit Majestati sanam Nobis ac integram mentem servare, etsi, praeter senium, binae gravissimae infirmitates, quas perpessi sumus, Nos eo perduxerint, ut sacro Viatico et extrema Olei unctione semel et iterum muniremur, petitionibus tuis recta responsum dare non omittemus, cum ob experientiam quam in ejusmodi controversiis nacti fuimus, ut videre est in Nostra Ecclesiastica Institutione in lucem edita dum in Archiepiscopali Bononiensi cathedra sedebamus, quae est 33 latinae editionis, sub num. 9, tum vero etiam ob munus exercitum pluribus annis a secretis Congr. Trid. Conc., dum in minoribus agebamus, ubi similia negotia tractantur.

In integra decretali Alex. III Nostri praedecessoris, sexta, sub titulo, *De homicidio*, quae in collectione decretalium qua utimur in scholis et foro, non integra est, sed decurtata, sequentia leguntur verba: *Sicut dignum et omni ratione consentaneum est graves et difficiles quaestiones ad examen Apostolicae Sedis deferri, ita etiam Nobis ex ministerio susceptae sollicitudinis imminet, easdem quaestiones, prout Nobis Dominus dederit, solvere, et singulis a Nobis consilium postulantibus respondere: ut providentia Romanae Ecclesiae, quae ubique obtinet, disponente Domino, principatum, quaestiones solvantur, et removeatur in his ambiguitas singulorum de cordibus. Licet autem super quaestionibus, quas Nobis discretio tua solvendas direxit, te non dubitamus providum et circumspectum existere, cogimur tamen ex suscepto servitutis ministerio, juxta discretionem et providentiam Nostram, tibi exinde respondere.*

Thomas Sanchez, qui quidem nemo ignorat qualem sibi famam conciliaverit in controversiis ad matrimonium spectantibus, quaestionem hanc agitat in suo opere *De matrimonio lib.* 3, *disp.* 17 *et seq.* ubi sub *n.* 29 defendit validum matrimonium initum in loco ubi promulgatum non fuerit Trid. Conc., quamvis ille qui contrahit, domicilium habeat in loco ubi Concilium receptum est, indeque discesserit ut eas difficultates aufugeret in quas inciderat vel incidere se posse rebatur, si matrimonium ibidem contrahere voluisset: cum vero opponitur intercedere fraudem, tunc respondet, vel nullam inesse fraudem ubi quis iure suo utitur, quoniam vetitum non est a loco in quo receptum fuit Concilium, transire ad alium ubi non sit receptum; vel etiamsi fraus intercessisse credatur, eiusmodi fraudem illicitum quidem, non sic vero nullum matrimonium efficere. Pontius, qui non tam facile Sanchesii opinionibus adhaeret, in hac tamen eidem consentit, ut videri potest lib. 5 *De matrim. cap.* 9. Et Diana in coordinata editione *tom.* 2, *tract.* 3, *resol.* 116 *et* 117 Sanchesio et Pontio sub-

Digitized by Google

scribit. Ejusdem sententiae sunt Bonacina, *De matrimonio, quaest.* 2, *punct.* 7, *num.* 2, *tom.* 1; Castropalaus, *part.* 5, *disput.* 2, *De sponsalibus, punct.* 13, § 8, *num.* 4; Leander, *part.* 5, *tract.* 9, *De matr. sacram., disp.* 7, *quaest.* 11; Filliuccius, *tract.* 10, *De matrim., part.* 1, *cap.* 6, *n.* 199; Rossignolus, *De matr.* 1, *contract.* 15, *praenot.* 21, *n.* 8.

Ne vero plusquam par est sermonem protrahamus in aliorum doctorum atque theologorum nominibus cumulandis, tantummodo innuemus non deesse qui contrariam sententiam tueantur, doceantque nullum esse matrimonium ab eo contractum qui ad evitandas difficultates, in quas incidit vel incidere se posse veretur si matrimonium ineat in loco domicilii ubi viget Tridentina lex, transit ad alium ubi promulgata non fuit, adeoque neutiquam recepta; et post initum matrimonium domum suam revertitur; qua de re observari poterunt Gobat in *Theologia experimentali, trac.* 9, *num.* 481; Cardinalis De Laurea *De matrimonio, disp.* 22, *num.* 138 *sequ.*; Clericatus *De sacramento matrimonii, decis.* 35, *num.* 24; Giribaldus, *tract.* 10, *De matrimonio, cap.* 7, *num.* 22; Sbogae in *Theologia radicali, tract.* 116, *De matrimonio, num.* 52; Schmalzgrueber ad tit. *De clandestina desponsatione, num.* 112; Pichler, in eumdem titulum, *num.* 14; Bockhn, ad tit. *De constitutionibus*, § 3, *num.* 4; Elbel in *Theologia morali, part.* 3, *num.* 301 *sequ.*; Pontas, verb. *Impedimentum clandestinitatis, cas.* 3, § *caeterum ad casum*. Et ipse Diana, qui secutus fuerat in locis supra memoratis Sanchesii et Pontii sententias, in eadem editione coordinata *tom.* 2, *tract.* 6, *resolut.* 74 ab iisdem recedit, ut hanc postremam amplectatur. Sylvius vero *tom.* 5 *operum suorum, edit. Antuerpien., an.* 1698, inter varias resolutiones, verb. *Matrimonium, num.* 8, sapienter animadvertens matrimonium esse validum si quis, admissa etiam fraude, patriam suam deserens ubi Trid. Conc. promulgatum fuit, illud contrahit in loco ubi non est promulgatum postquam tamen ibidem novum quasi-domicilium acquisierit, ex eo infert nullum esse matrimonium, quotiescumque ille qui contrahit, regreditur illico ad locum unde discessit quin speciem quamdam domicilii adeptus fuerit in loco ubi matrimonium contraxit.

Sedente f. r. Urbano VIII Pontifice Maximo, Archiep. Coloniensis Elector tria haec dubia proposuit coram Congr. Concilii: *Quaeritur humiliter a S. C., an incolae tam masculi quam feminae loci in quo Concilium Tridentinum in puncto matrimonii est promulgatum et acceptatum, transeuntes per locum in quo dictum Concilium non est promulgatum, retinentes idem domicilium, valide possint in isto loco matrimonium sine parocho et testibus contrahere. — Secundo:*

Digitized by Google

Quid si eo praedicti incolae tam masculi quam feminae, solo animo sine parocho et testibus contrahendi se transferant, habitationem non mutantes. — Tertio : Quid si iidem incolae tam masculi quam feminae eo transferant habitationem illo solo animo, ut absque parocho et testibus contrahant.

Hoc autem Congregatio dedit responsum : *Die 5 Septembris* 1626 — S. C. *ad primum et secundum respondit, non esse legitimum matrimonium inter sic se transferentes et transeuntes cum fraude. — Ad tertium respondit, nisi domicilium vere transferatur, matrimonium non esse validum.*

Institerunt postmodum Archiepiscopi Coloniensis procuratores, ut Congregationis responsum pontificio Brevi confirmaretur ; siquidem Archiepiscopus elector cupiebat illud dioecesanae synodo, quam habiturus mox erat, adnectere. Petitioni Urb. VIII indulsit, jussitque expediri Breve, cujus prima prescriptio authographa, ab eodem subscripta, reperitur inter ejusdem Brevia *anni* 1627, *pag.* 377. Summa vero ejusdem ita se habet : *Confirmatio resolutionis nonnullorum dubiorum super contrahendis matrimoniis a S. C. Concilii emanatae : est juxta ejusdem Congregationis decretum.* Huius vero definitionis contextu bene perpenso, facile intelligitur, matrimonia primo ac secundo loco exposita, irrita ac nulla ab eadem Congregatione decerni eo quia fraus intercessit ; validum autem censeri matrimonium tertio loco positum, in quo licet fraus intercesserit, nihilominus is qui matrimonium contrahit, antequam illud iniret, domicilium seu quasi-domicilium adeptus erat eo in loco, ubi matrimonium inivit : *Nisi domicilium vere transferatur.* Siquidem novum non est, neque inusitatum, quod quis domicilium habeat aliquo in loco, et quasi-domicilium adipiscatur in alio : in quo rerum statu si versetur, tunc eidem liberum erit, matrimonium contrahere coram illo parocho, intra cuius paroeciae fines tunc inhabitat cum matrimonio iungitur, iuxta communem sententiam a Nobis relatam sancitamque in superius memorata Institutione Nostra ecclesiastica 33 latinae editionis.

Firmiter eiusmodi principiis semper adhaesit eadem Congregatio, quotiescumque materiae huius discutiendae se se dedit occasio : etenim in quadam *Abulen.* proposita sub *die* 1 *Decembris* 1640, *lib.* 16 *Decretor. p.* 470-471, ita respondit : *Sacra* etc. *censuit, non valere matrimonium contractum coram parocho loci, ubi contrahentes reperiuntur non animo ibi domicilium acquirendi.* Dum in minoribus fungeremur munere a secretis Congregationis ejusdem, irritum ac nullum pariter declaratum fuit matrimonium ab eo

Digitized by Google

contractum, qui, ut declinaret difficultates quas proprius parochus objiciebat, ad alium locum transierat, atque connubium fecerat coram parocho ejus loci, a quo postmodum, contracto matrimonio, statim discesserat, ut ad pristini domicilii locum rediret, uti videri potest in *Lauretana* proposita ac definita *die* 3 *Julii* 1725, *tom.* 3 *Thesauri Resolutionum Congregationis*, *edit. Urbinaten.*, *de anno* 1739, *pag.* 185. Ex adverso eadem Congregatio validum censuit matrimonium ab eo contractum, qui discesserat a loco proprii domicilii, ut difficultates aufugeret, in quas offendisset, si matrimonium coram eiusdem loci parocho inire voluisset, atque illud inierat coram parocho alterius loci, postquam tamen legitimum ibidem quasi-domicilum adeptus fuerat, eodemque in loco, etiam post matrimonium contractum, ad aliquod tempus permanserat: quae definitio lata fuit *die* 20 *Februarii* 1723 in *Caesenaten.* seu *Forolivien. Matrimonii*, quemadmodum videre est *t.* 2 supradicti *Thesauri Resol. p.* 274 *et seq.* ubi alias quoque similes observare licebit, quas tum diligenter collegimus. Demum, ne prolixior evadat oratio, in celebri *Leopolien. Matrimonii*, proposita sub *die* 9 *Iunii* 1725, Congregatio principia eadem adamussim retinuit, quemadmodum legere fas est *t.* 3, *Thesauri eiusdem p.* 161, quibus pariter in eadem causa omnimode institerat Rota Romana *in decisione* 1298, *t.* 6 coram honorabilis memoriae Lancetta Rotae, Decano et s. Poenitentiariae Regente.

Exposita Congregationis sententia, operae pretium erit modo referre quid Urb. VIII pro illius confirmatione peregerit. Equidem innuimus jam tum ab eodem Pontifice roboratam fuisse pontificio diplomate: cujus cognitio, cum temporis decursu ad spectabilis memoriae Cardinalem Joannem De Lugo pervenisset, curavit is exhiberi sibi ab administris Coloniensis Archiepiscopi authenticum Brevis exemplar; quod cum obtinuisset, operibus suis adnexum typis edidit *lib. I dub.* 36 *Respons. Moral.* Id ipsum quoque alii fecerunt scriptores a Nobis collecti in superius memorata *Ecc. Inst.* 33 latinae editionis; atque hoc ipsum Breve nuperrime in lucem vulgatum reperitur in *Bibliotheca Canonica* P. Ferraris: adeo ut ex sententia communiter hodie recepta atque observata, nullum atque irritum habendum sit matrimonium, in fraudem proprii parochi coram parocho alterius loci contractum, dummodo tamen ille qui contrahit, antequam matrimonio iungatur, legitimum domicilium vel quasi-domicilium revera in hoc altero loco adeptus non fuisset, atque inibi fortassis post matrimonium contractum ad aliquod tempus commoratus non esset. Consulantur

Digitized by Google

Salmaticenses in *cursu Theologiae Moralis tom.* 2, *tract.* 9 *de Matrimonio cap.* 8, *punct.* 2, *n.* 31.

Mittimus interea Fraternitati tuae Urbani VIII Breve, quod Apostolicae auctoritatis robore confirmamus, jubentes una simul ut confirmationis Nostrae documentum asservetur in actis Congregationis Concilii, atque in nostro secretiori Vaticano tabulario, quemadmodum Fraternitas tua sub finem hujus nostrae epistolae animadvertere poterit; tibique propterea tuisque successoribus mandamus observantiam et implementum ejusmodi Brevis in ista dioecesi, ubi frequenter hujusmodi quaestiones incidunt, quibus per idem Breve opportune prospicitur; atque hoc pacto satisfecisse nos arbitramur petitioni quam posuisti in epistola *diei* 18 *Decembris* 1754, ubi normam, quam sequereris, commonstrari tibi cupiebas, si contingant, uti paulo ante dicebamus, matrimonia eorum qui ad evitandas difficultates, in quas vel offenderant, vel offensuri erant, si matrimonium in tua dioecesi celebravissent, transeunt ad finitimum locum, in quo coram aliquo missionario matrimonium contrahunt, deinde vero ad eam regionem, ubi verum domicilium habent, revertuntur.

Post haec necessarium fore censemus nonnihil adiungere, ut in propatulo sit quidnam requiratur ad *quasi-domicilium* adipiscendum. Verum hac in re non alio pacto responderi potest, nisi quod, antequam matrimonium contrahatur, spatio saltem unius mensis ille qui contrahit, habitaverit in loco ubi matrimonium celebratur. Definitiones Congregationis Concilii hac de re observari poterunt apud Fagnanum in cap. *Significavit*, *De parochis*, ubi, earumdem contextu perpenso, haec habet sub *n.* 39 : « *Vir et mulier Trajectenses, timentes impedimentum a parentibus, cum ad vicinam urbem Aquisgranam se contulissent, et ibi aliquandiu morati matrimonium contraxissent, S. C. consulta super validitate, censuit exprimendum tempus, quo contrahentes Aquisgranae manserunt; quod si fuerit saltem unius mensis, dandam esse decisionem pro validitate* ». Natalis Alexander in *Theologia dogmatica et morali lib.* 2. *De sacram. matr.*, *c.* 2, *a.* 2, *regul.* 5, animadvertit, ad acquirendum quasi-domicilium oportere ut contrahentes, antequam matrimonium celebrent, tanto tempore eo in loco ubi copulantur, fuerint commorati, ut ibidem cogniti iam sint atque perspecti. — Dubitari autem posset, num ad quasi-domicilium acquirendum matrimonii causa, uti diximus, non solum requiratur praecedens habitatio, verum etiam subsequens ad aliquod temporis spatium: verum cum observaverimus, subsequentem habitationem ab iis auctoribus qui hanc tractarunt materiam, tamquam magni mo

Digitized by Google

menti adminiculum reputari, ut novum domicilium quaesitum dicatur, nihil vero de illa praescriptum fuisse a Concilii Congregatione in adducta paulo ante definitione penes Fagnanum, nolumus hac de re quidquam novi decernere. Quod vero mox sequitur, respicit matrimonium initum alio in loco, ubi jam contrahentes quasi-domicilium adepti fuerunt, ac proinde illud ipsum quod prosequebatur epistola fraternitatis tuae. Verum de hoc sermonem habere nequimus, nisi prius a proposita paulisper digredientes, quidquam opportune praemittamus. Odo de Soliaco, vigilantissimus Parisiensis Antistes, qui vixit sub initium saeculi decimi tertii, promulganda statuit in suae dioeceseos paroeciis matrimonia, priusquam inirentur, ut scilicet hoc pacto dignosci posset, num inter contrahentes impedimentum ullum subesset: atque inde denuntiationum manavit exordium, quae tunc Bannum nuncupatae fuerunt. A dioecesi Parisiensi mos iste laudabilis ad alias quoque per Galliam permeavit, uti colligitur ex rescripto Innocentii III ad Episcopum Beluacensem, in *cap. Cum in tua, De sponsal. et matrimo.* Idem Innocentius, in Concilio Lateranensi quarto, ad universam Ecclesiam ejusmodi denuntiationum morem propagavit, ut videre est in *cap. Cum, De clandestina desponsatione.* Atque sacra Tridentina Synodus, *sess.* 24, *de reformat. matrim. cap.* 1, Lateranensis Concilii vestigiis inhaerendo, id ipsum praecepit. Quamvis vero denuntiationes ad matrimonii validitatem neutiquam pertineant, adeo ut matrimonium, iisdem omissis celebratum, illicitum quidem est, sed tamen validum, non idcirco denuntiationum omissio gravi caret culpa, neque propterea negligi impune queunt in paroeciis in quibus contrahentes inhabitant: quod si velint matrimonium extra dioecesim, quam incolunt, celebrare, tenetur is qui matrimonio interest, exigere prius ut denuntiationes factae jam fuerint in loco prioris domicilii, quamvis sit alterius dioecesis, ad hoc ut tuto interesse possit matrimonio, quod in sua dioecesi celebratur. Observetur Concilium Aquense, *anni* 1585, a Sixto V. Pontifice Maximo confirmatum, sicut etiam Rituale Romanum. Quod si vetustiora monumenta prae manibus sumere opus esset, in secunda collectione decretalium, *cap.* 1, *De clandestina desponsatione*, reperitur decretalis Alexandri III, relata etiam per Gonzalez in *cap. Cum inhibitio, sub. n.* 10, *De clandestina desponsatione*, ubi fit mentio oneris, quod districte incumbit ei, qui matrimonio interest in sua dioecesi contracto, ne scilicet interesse debeat, nisi requisierit antea ab Episcopo loci, ubi contrahentes inhabitant, praevium denuntiationum

Digitized by Google

edictum, unde appareat nullum inter eosdem impedimentum obsistere.

Constat igitur presbyterum missionarium, coram quo matrimonia, de quibus sermo est, Sundae celebrantur, iisdem interesse neutiquam debere, nisi prius exibeantur sibi denuntiationum edicta promulgata in tua dioecesi, ubi contrahentes domicilium habeant, e quibus pateat nullum inter eosdem impedimentum reperiri : Quod si missionarius objiciat Tridentinum Concilium Sundae promulgatum non esse, tum fac ipse ut bene percipiat, quod si onus ejusmodi repetere ac derivare nolit a Tridentini Concilii lege, non potest quin illud fateatur ac noscat sibi a Lateranensi Concilio impositum. Postquam vero, qui Sundae matrimonio juncti fuere ad dioecesim tuam redierint, si Fraternitas tua jusserit fieri tunc denuntiationes, ut pateat num inter eosdem impedimentum ullum intersit, non tam muneri tuo satisfacies, verum sic agendo paullatim e medio tolles pravum nonnullarum morem adeundi Sundam, ut matrimonio copulentur, ob metum difficultatum in quas inciderent, si tua in dioecesi, ubi domicilium habent, nubere voluissent.

Decretum sacri Concilii Tridentini, quo clandestina matrimonia irrita ac nulla declarantur, illud ipsum est de quo plusquam de caeteris aliis in sacro illo conventu disceptatum fuisse legitur, propter diversas Patrum sententias, quemadmodum testatur Cardinalis Pallavicinus in *Historia Concilii, lib.* 22, *cap.* 4, atque idem referunt P. Joannes Staz in *Succincta relatione de gestis in Concilio Tridentino, sess.* 4, *art.* 24, § 10, *punct.* 2, *numer.* 548. Ernestus Salomon Cyprianus in libro, cui titubus *Tabularium Ecclesiae Romanae saeculi XVI, num.* 159 *et num.* 180 ; et Mutius Colinus Iaderensis Archiepiscopus, in Epistola *die* 11 *Novembris* 1563 ad Cardinalem Aloysium Cornelium Camerarium, cui, quidquid in Concilio eveniret, fideliter referebat, ut ex manuscripto ejusdem epistolarum codice.

Dubitabatur primo, utrum Ecclesia abrogare posset clandestina conjugia, propterea quod legitimi contractus materia insimul ac forma est sacramenti matrimonii : mutua nempe ac legitima corporum traditio, verbis ac nutibus interiorem animi assensum exprimentibus, materia ; et mutua pariter ac legitima corporum acceptatio, forma : ex quo nonnulli arguebant quod, legitima traditione et acceptatione simul conjunctis, subest materia ac forma, quae non ab alio immutari potest, praeterquam ab eo qui divinae gratiae est auctor, quae per sacramenta confertur. Verum, reponentibus aliis Ecclesiam posse conditionem quamdam praescri-

Digitized by Google

bere, quae prius non aderat, sine qua contractus in posterum neque legitimus, neque validus foret, quemadmodum etiam neque legitima, neque valida traditio et acceptatio corporum, id satis erat, ut clandestina matrimonia irrita fieri possent, quod quidem potestatis ecclesiasticae limites non excedit. Desumitur responsum hoc ex doctrina S. Thomae Aquinatis, *Quodlibet.* 5, *quaest.* 8, *art.* 16 *ad primum.* Non destitit improbus scriptor Paulus Sarpius in *Historia Concilii Tridentini*, quin contradicentium partes amplecteretur: verumtamen tanta est vis veritatis, ut Petrus Franciscus Courayer, qui Sarpium quacumque sequitur, hoc tamen loco eum deserat atque impugnet, uti observari potest in annotationibus ad eamdem historiam Concilii, *lib.* 8, § 66, *num.* 88 *et sequ.*, et praesertim *num.* 80.

Asserta Ecclesiae potestate, alia successit dubitatio, num scilicet legitimae intercederent causae ad clandestina conjugia, quae secundum canones erant dumtaxat illicita, ut infertur ex canone *Aliter* aliisque subsequentibus, quorum unus incipit, *Nullus*, alter *Nostrates*, *quaest.* 1, *caus.* 30, nulla in posterum decernenda. Verum, cum demonstratum fuerit ex clandestinis conjugiis frequenter evenire, ut qui uxorem duxerat, eam derelinqueret atque superinduceret alteram, quodque interdum nonnulli, uxorem habentes, ad sacros ordines ascenderent, et, una cum uxore, ecclesiastica beneficia retinerent, quibus gravissimis malis ecclesiastici judices mederi nequibant, cum matrimonii contracti necessariae probationes deessent, hoc satis superque valuit ad evincendam necessitatem infringendi clandestina connubia, ut colligitur ex litera ipsius conciliaris decreti, advertitque sagaciter Natalis Alexander in *Theologia dogmatica et morali. De Sacrament. matrim.*, *lib.* 2, *cap.* 2, *art.* 2, *proposit.* 1.

Injiciebat scrupulum aliis consideratio illa, ne scilicet, clandestinis conjugiis abrogatis, iis nempe quae sine parocho viri aut mulieris celebrantur: *hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eas in presenti decreto irritos facit, et annullat* (sunt verba Concilii), posset id exasperare graviter haereticorum animos, quorum matrimonia fuissent nulla, et consequenter illegitima soboles, quoniam coram catholico parocho ac binis testibus nunquam celebrata fuissent. Verum Concilii Patribus sapienter in hunc modum statuentibus: *Decernit insuper ut hujusmodi decretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat a die primae publicationis in eadem parochia factae numerandos*, credibile non erat decretum ejusmodi ab ipsis promulgandum, inde sequebatur quod eorum matrimonia, sine prae-

Digitized by Google

sentia parochi et duorum testium facta, irrita nunquam dici potuissent : ut prosequitur Cardinalis Pallavicinus *loco citato*, *cap.* 8.

Tandem cum praevideretur facile deperditum iri probationes, unde constaret de promulgatione Tridentini decreti in qualibet paroecia, atque exinde orituras plerumque dubitandi causas, num executioni demandata fuisset praescripta conciliaris decreti promulgatio, numque propterea vim suam obtinere deberet; approbante Pontifice Maximo, sancitum fuit a Congregatione Concilii, ad eamdem promulgationem comprobandam, sufficere diuturnam observantiam ejusdem conciliaris decreti, cujus publicatio inducitur ex diuturnitate temporis, quo matrimonio in paroeciis coram parocho ac duobus testibus celebrata fuerunt : ut videre est in *Tricarien.* 26 *Septembris* 1602, *lib.* 10 *Decretorum*, quae existunt in Secretaria ejusdem Congregationis *pag.* 47 et in quadam *Poloniae*, 13 *Novembris* 1638, *lib.* 16 *Decretorum eorumdem*, *pag.* 117, atque Nos ipsi observavimus in opere nostro *De Synodo Dioecesana*, *novissimae editionis lib.* 12, *cap.* 5, *num.* 6.

Fatemur autem postrema haec, quae respiciunt decretum abrogans clandestina conjugia, materiam quidem, non sic vero propositam quaestionem attingere. Verum cum in epistola tua summam diligentiam perspexerimus, ingratum Fraternitati tuae neutiquam fore arbitrati sumus, si haec omnia oculis tuis enucleate subjicerentur. Quod si nonnulla capita huc usque prosecuti sumus ad materiam potius quam ad petitionem spectantia, epistolam Nostram eo cum responso concludimus, quod non materiam sed aliam petitionem tuam pertingit. Cum igitur tuis in literis mentionem facias de facultate praedecessori tuo ad decennium tributa, concedendi nempe Oratoria privata debitis cum cautelis, spectato videlicet loci decore, et personarum merito, atque insimul postules eamdem tibi facultatem largiri, lubenter annuimus ad annos decem, eo prorsus modo, qua illam praedecessori tuo fuimus impertiti. Atque interea Fraternitatem tuam amantissime complectentes, tibi ac universo gregi sollicitudini tuae concredito Apostolicam benedictionem de plenitudine cordis largimur.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem 19 Martii 1758 Pontificatus Nostri anno decimo octavo.

Digitized by Google

ALLEGATUM VIII

EPISTOLA ENCYCLICA BEN. XIV DE MATRIMONIO CONSCIENTIAE.

VENERABILIBUS FRATRIBUS, PATRIARCHIS, PRIMATIBUS, ARCHIEPISCOPIS, ET EPISCOPIS BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam benedictionem.

Satis Vobis compertum esse non dubitamus, Venerabiles Fratres, eam semper fuisse piae matris Ecclesiae vigilem curam, ut sacramentum matrimonii, *Magnum* ab Apostolo nuncupatum, publice, et palam a fidelibus celebretur. Quod quidem ut diligentius, quam antea factum fuerat, in posterum ab omnibus observaretur, Sancta Tridentina Synodus, Lateranensis Concilii sub Innocentio III celebrati vestigiis inhaerendo praecepit, ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus festivis in ecclesia inter Missarum solemnia publicae denuncietur; deindeque, nullo legitimo concurrente impedimento, ad illius celebrationem in facie Ecclesiae, coram parocho, vel alio sacerdote, de ipsius parochi, seu Ordinarii licentia, et duobus, vel tribus testibus praesentibus, rite procedatur. Voluit etiam eadem Sancta Synodus, apud parochum diligenter librum custodiri, in quo conjugum et testium nomina, diesque, et locus matrimonii describantur.

§ 1. — Providae tamen hujusmodi leges, tanta auctoritate saluberrime institutae, prava horum temporum conditione sensim prolabi visae sunt, et enerves propemodum reddi, ob matrimonia usu nimis recepta, quae occulte adeo celebrantur, ut illorum notitia, quantum fieri potest, obliteretur, et in tenebris ignorantiae perpetuo jaceant consepulta. In more etenim positum est, illa celebrari nullis praeviis factis denunciationibus, coram solo parocho, vel alio sacerdote de ejus licentia, adhibita praesentia tantum duorum testium apposite a contrahentibus advocatorum, quorum fides nemini illorum est suspecta, remque peragi saepe

Digitized by Google

extra ecclesiam, quandoque etiam intra illam, januis tamen occlusis, vel eo temporis momento, quo semota alterius cujusvis praesentia, scientia initi matrimonii, praeter parochi, contrahentium, testiumque personas, alios penitus effugiat.

§ 2. — Quantum a sacramenti dignitate, et ab ecclesiasticarum legum praescripto occulta haec matrimonia, *conscientiae* vulgo noncupata, ut plurimum abhorreant, satis superque conjicere quis poterit, qui mentis aciem ad exitiosos illorum effectus convertat. Hinc enim gravia ortum habent peccata, praesertim vero eorum, qui divini judicii interminatione posthabita, priore uxore, cum qua clam contraxerunt, relicta, cum alia spe futuri matrimonii decepta, et in turpem secum vivendi licentiam abducta, palam contrahere promittunt. Quorumdam vero mentem ita pravae cupiditates excoecant, ut novum contrahere secretum matrimonium audeant post alterum secreto itidem contractum, et nondum prioris conjugis morte solutum, seseque magno scelere polygamos reddant. Alii etiam eo impudentiae devenere, ut in hujus magni sacramenti contemptum, post primas secreto initas, alteras aut publice, aut privatim nuptias contrahendo, sese audacius polygamia pariter innodare, non perhorrescant. Age vero quam gravia, quam nullo pacto ferenda ex his matrimoniis mala oriantur. Si enim, ad quamcumque matrimonii suspicionem submovendam, virum seorsim a muliere vivere contingat, sublata est illico individua vitae consuetudo, et contemptum est verbum Domini : *Adhaerebit homo uxori suae, et erunt duo in carne una* : Si haec vitae consuetudo servetur, nemo est, qui illam criminis non arguat, et, utpote detestabilem, in scandali materiam non traducat. Neque illata per scandalum dispendia rependit subsecuta celebratio occulti matrimonii, quod in tenebris delitescit, et ab omnibus ignoratur.

§ 3. — Leviora quoque damna non sunt, quae susceptae proli irrogantur. Saepe enim contingit, illam a parentibus et a matre praesertim amotam, nec pie, nec liberaliter institui ; sed incertis fortunae casibus objectam relinqui, nisi etiam parentes ipsi, contra naturae leges, ausu nefario, illius vitae insidientur. Ubi vero tam immane facinus parentes deterreat illosque ad sobolem alendam, instituendamque humanitas ipsa compellat ; alia imminet liberis susceptis ex occulto matrimonio lugenda avitarum facultatum et bonorum jactura, pro quorum possessione assequenda, quamvis clament jura sanguinis, illis tamen careant necesse est, propter occulta parentum matrimonia, et ademptam legitimitatis, et filiationis probationem.

Digitized by Google

§ 4. — Huic etiam malorum origini sunt referenda ipsa quoque secreta matrimonia contracta a filiisfamilias, contra patris juste dissentientis voluntatem ; ex quibus quam gravia incommoda exoriri soleant, neminem latet. Quid plura? Adeo invaluit malitia, ut quandoque in minoribus ordinibus constituti pensiones, et beneficia, ad divinum cultum et ecclesiastica munia instituta, etiam post initum clam matrimonium, retinuerint, sibique de mammona iniquitatis loculos miserrime comparaverint.

§ 5. — Deflenda haec igitur potius uberibus lacrymis, quam latiori calamo explicanda malorum congeries; cum ex hac Apostolicae Sedis specula omnes sibi vindicet nostrae vigilantiae curas, temperare non possumus, quin Vos ipsos, Venerabiles Fratres, in partem nostrae sollicitudinis evocantes, vestram pietatem, et zelum excitemus ad custodiendas vigilias noctis super grege Vobis credito, quem luctuosa horum temporum conditio in discrimen adducit. Primum itaque periculi non infrequens occasio Vos reddat difficiliores ad remittendum publicationes, a quibus contracturi matrimonium saepe per malitiosam suggestionem petunt dispensari. Quam caute, solerterque oporteat ea in re Episcopos versari, non obscura Vobis a Concilio Tridentino exibentur argumenta. Si enim (ait eadem Sancta Synodus) probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si praecesserint denunciationes, tunc vel una tantum denunciatio fiat, vel saltem parocho, et duobus testibus praesentibus, matrimonium celebretur, et deinde, ante illius consummationem, denunciationes in ecclesia fiant, ut si aliqua subsunt impedimenta facilius detegantur. Praeterea licet Episcopo relictum sit omnimodo super denuciationibus dispensare, haec tamen facilitas non a sola dispensantis voluntate pendet, sed a Tridentino coercetur arctis prudentiae, discretique arbitrii legibus; quod idem est ac legitimam causam dispensationis requirere.

§ 6. — Parem quoque, imo fortasse majorem vigilantiam necesse est a Vobis adhiberi, ne post remissas denunciationes, celebretur matrimonium coram parocho, vel alio sacerdote ab ipso parocho, vel a Vobis deputato, praesentibus duobus, vel tribus testibus confidentibus, ne ulla celebrationis notitia, vel rumor oriantur. Id enim, ut ad praescriptum sacrorum canonum licite fieri possit, non satis est obvia quaevis et vulgaris causa, sed gravis, urgens, et urgentissima requiritur. A sacro Nostrae Poenitentiaiae Tribunali eo potissimum casu fit potestas ita celebrandi matrimonium quo vir et foemina in figura matrimonii publice degentes, et de quibus nulla viget criminis suspicio, in occulto tamen

Digitized by Google

concubinatu perseverent : Facile enim quisque conjiciet, quam absonum esset, eos, a statu damnationis per gratiam sacramenti revocandos, ad publice contrahendum matrimonium praeviis denunciationibus compelli. Hanc vero praxim Vobis duximus proponendam, non quia dispensatio praemisso casui solum congruat, cum alii similes, et fortasse urgentiores esse possint, in quibus dispensari expediat ; sed quia vestri pastoralis officii partes versari debent in sedulo investiganda legitima, et urgenti causa dispensationis, ne matrimonia occulte celebrata luctuosos habeant exitus, quos intimo cordis moerore recensuimus.

§ 7. — Hunc porro in scopum Vos hortamur, et impense admonemus, ut personarum matrimonium secreto contrahere petentium diligens fiat a Vobis inquisitio : an scilicet ejus qualitatis, gradus, et conditionis sint, quae id probe exposcant ; an sint sui, vel alieni juris ; an filiifamilias quorum nuptiae patri juste dissetienti sint invisae : ab episcopali etenim, quod geritis, munere nimium esset alienum, facilem praeberi filio inobedientiae occasionem ; an res sit de personis ecclesiasticis, licet in minoribus ordinibus constitutis, pensiones, et beneficia ecclesiastica obtinentibus, ut detestabilis illorum retentio in statu uxorato congruis remediis postea compescatur. Potissimum vero curet vestra sollicitudo, antequam secreti matrimonii licentia concedatur, quod contrahentes clara, et indubia, et a quavis fraude immunia exibeant documenta status liberi, ad avertendum ab iis, qui improbi sint ingenii, polygamiae periculum.

§ 8. — Quod attinet ad ministrum secreti matrimonii, volumus ad id munus deputari parochum alterius ex contrahentibus, quem notitia personarum, experientia, et diuturnus rerum usus, quovis sacerdote extraneo peritiorem effecisse praesumuntur. Si quae tamen Vobis occurrant circumstantiae, quae alium sacerdotum loco parochi exposcere videantur, gravi impellente causa, is sacerdos a Vobis eligatur, qui probitate, et doctrina, et obeundi muneris peritia commendetur.

§ 9. — Uni tamen, aut alteri sacramenti ministro a Vobis deputando districte praecipiatur, ne matrimonio intersit, nisi prius paterna charitate conjuges in Domino monuerit, sobolem procreandam regenerari quam primum oportere sacro baptismatis lavacro ; ac Christo judici districtam reddituros esse rationem, nisi filios ut legitimos agnoverint, eosque pietate, bonisque moribus imbuerint, et frui patientur bonis temporalibus, a majoribus in supremis tabulis relictis, vel provida legum auctoritate delatis.

§ 10. — Celebrato autem matrimonio, indilate a parocho, vel

Digitized by Google

alio sacerdote, coram quo initum est, exhibeatur Episcopo illius scriptum documentum, cum nota loci, et temporis, testiumque, qui celebrationi interfuerunt. Vestrum erit postea diligenter incumbere, quod ad perennem gestae rei memoriam, praefatum documentum fideliter transcribatur in libro prorsus distincto ab altero, in quo matrimonia publice contracta de more adnotantur. Hujusmodi liber pro matrimoniis secretis apposite compactus, clausus, et sigillis obsignatus, in vestra episcopali cancellaria caute erit custodiendus; et eo tantum casu resignari, et aperiri, vestra accedente licentia, patiemini, quo alia id genus matrimonia describi oporteat, vel id sibi vindicet justitiae administrandae necessitas, vel demum aliquod documentum ab eo exposcant verum interesse habentes, quibus probationum aliunde petendarum non suppetit copia : sedulo tamen animadvertentes, quod, re absoluta, denuo claudatur, et sigillis, ut antea, obsignetur. Fides seu attestationes clam celebrati matrimonii a parocho, vel sacerdote, qui vices parochi gessit, exarandae, Vobisque exhibendae, transcribantur in dicto libro, prout jacent, de verbo ad verbum, a persona a Vobis deputanda, quae apud omnes integritatis, probatique nominis luculentum habeat testimonium. Fides vero, et attestationes ipsae in secretiori loco, sartae, tectaeque a Vobis serventur.

§ 11. — Quod si ex occulto hujusmodi matrimonio prolem nasci contingat, eadem mundetur salutari aqua baptismi in ecclesia, in qua aliis infantibus hoc sacramentum indistincte confertur. Et quia ad operiendum clam initum matrimonium, facile est in libro baptizatorum nullam fieri mentionem parentum, et eorum nomina consulto reticeri, volumus, ac expresse mandamus, quod a patre baptizati, eoque defuncto, ab illius matre, suscepta proles vobis denuncietur; dictaque denunciatio fiat vel immediate per parentes ipsos, vel per litteras eorum charactere exaratas, vel per fide dignam personam ab ipsis parentibus designatam, ut certo et clare Vobis constet, quod proles, tali loco, et tempore, vel reticitis, vel falso expressis nominibus parentum baptizata, est legitima, licet occulti matrimonii foedere procreata. Quae sane omnia cum Vobis innotuerint, ne illorum excidat memoria, in libro fideliter describentur ab eo, cui facta a Vobis est potestas adnotandi matrimonia occulte celebrata. Liber in quem baptizatorum, ac utriusque parentis nomina referentur, quamvis distingui debeat ab altero matrimoniorum, eadem tamen diligentia, iisdem cautelis in cancellaria episcopali clausus, et sigillis obsignatus, erit custodiendus, prout librum matrimoniorum caute custodiri supra mandavimus.

Digitized by Google

§ 12. — Quia vero nonnulli deesse non possunt, qui propriae conscientiae vocibus obsurdescant, et Nostris hisce mandatis parere negligant; debita poenarum districtione pro modo culpae a Vobis puniantur. Quinimmo cum satis Nobis experientia compertum sit, in hujusmodi negotiis homines, in terram oculos declinantes, ob humanos respectus tardiores effici, et a recte agendi semita revocari, mandamus idcirco, matrimonia occulta a Vobis evulgari, et nota fieri, si certo Vobis constiterit, ex aliquo matrimonio occulto procreatam fuisse sobolem, et baptizatam suppressis parentum nominibus, nulla praestita Vobis notitia, ut par erat, ab illius parentibus, intra triginta dies a nativitate numerandos.

§ 13. — Ne autem contumaces et inobedientes violatae fidei, proditique secreti pastores suos insimulent; sedulo a Vobis curandum est, ut a parocho, vel alio sacerdote, pro secreta celebratione matrimonii a Vobis deputando, conjuges clare, et aperte moneantur, ea lege et pacto illis permitti secreti matrimonii celebrationem, ut soboles inde procreanda non solum regeneretur sacro baptismate, sed post baptisma denuncietur Episcopo cum nota loci et temporis administrati sacramenti, ac sincera indicatione parentum, a quibus ortum habuit, quemadmodum supra praemissum est; alioquin matrimonium, licet contractum data per Episcopum secreti fide, in lucem proferetur, in gratiam filiorum et ad propulsandam ab illis gravem nulloque pacto ferendam jacturam.

§ 14. — Volumus denique, ac mandamus, fides seu attestationes matrimonii clam initi, et sobolis ex eo procreatae, excerptas ex dictis libris, modo, quo dictum est, apud Vos caute custodiendis, tam promereri fidem, quantam sibi alii libri parochiales baptismatis et matrimonii vindicare consueverunt.

§ 15. — Haec a Vobis, Venerabiles Fratres, in hac temporum calamitate observari enixe praecipimus, ad communem animarum salutem et ad praesidium ecclesiasticae disciplinae, propter invalescentem hominum malitiam nova semper detrimenta vel patientis, vel reformidantis. Coeterum Nostris hisce litteris sublata nolumus ea validiora remedia, quae huic malo in diem ingruenti consona dignoscat prudentia vestra ad pastorale officium cumulate obeundum. Vobis interea, paternae charitatis et benevolentiae testem, Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die 27 Novembris 1741, Pontificatus Nostri Anno II.

Digitized by Google

ALLEGATUM IX

DOCUMENTA PRO CAUSIS MATRIMONIALIBUS

I

Constitutio Benedicti XIV qua praescribitur forma et ordo in causis matrimonialibus servandus.

Benedictus episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Dei miseratione, cujus judicia incomprehensibilia sunt, et viae investigabiles, in suprema Ecclesiae specula immerentes constituti, ut super universum Dominicum gregem excubias sedulo agamus, ad commissum pastoralis officii munus pertinere dignoscimus subnascentes ex infernalis hostis astutia, et hominum malitia abusus, quibus et animarum saluti pernicies, et sacramentis Ecclesiae injuria infertur, radicitus evellere, et potestatis Nobis desuper traditae operam interponere, ut et humana cohibeatur temeritas, et veneranda divinae legis servetur auctoritas.

§ 1. — Siquidem matrimonii foedus a Deo institutum, quod et quatenus naturae officium est, pro educandae prolis studio, aliisque matrimonii bonis servandis, perpetuum et indissolubile esse convenit; et quatenus est catholicae Ecclesiae sacramentum, humana praesumptione dissolvi non posse, Salvator ipse ore suo pronunciavit dicens: *Quod Deus coniunxit, homo non separet*; ad aures Apostolatus Nostri pervenit, in quibusdam ecclesiasticis curiis inconsulta nimis judicum facilitate infringi, et temere atque inconsiderate de eorumdem matrimoniorum nullitate latis sententiis, potestatem conjugibus fieri transeundi ad alia vota. Quos sane improvidos judices humanae naturae conditione et voce ipsa quodammodo admoneri oportebat, ne tam praecipiti audacia sanctum matrimonii nexum frangerent, quem perpetuum atque indissolubilem primus humani generis parens praemonuit inquiens:

Digitized by Google

Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea, et illud additum est : *Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.*

§ 2. — Hujusmodi autem abolendae pravitatis notitia diversis ex partibus Nobis delata est, atque etiam indicata sunt exempla nonullorum virorum, qui post primam et secundam ac tertiam, quam duxerant, uxorem ob nimiam judicum praecipitantiam in nullitate matrimoniorum declaranda, adhuc illis primis uxoribus superstitibus, ad quartas contrahendas nuptias devenerant; et similiter feminarum, quae post primum, secundum et tertium maritum, quarto etiam, illis quoque viventibus, se junxerant, non sine pusillorum scandalo, et bonorum omnium detestatione, qui sacra matrimonii vincula ita contemni, et temere perfringi dolebant. Nos autem, his intellectis, gravi affecti dolore, intimo animo ingemuimus, et non praetermisimus Apostolicae Nostrae sollicitudinis partes in Domino adimplere. Siquidem primo Pontificatus Nostri anno ad Episcopos illarum partium, in quibus praedicta acciderant, plenissimis datis literis, graviter conquesti sumus de hujusmodi pravitate, quae in Ecclesia Dei tolerabatur, et ad eam abolendam eorum animos erigere, et pastoralem zelum accendere curavimus : quod etiam egimus cum aliis aliarum regionum Episcopis, ubi hujusmodi pravum dirimendorum matrimoniorum usum irrepsisse cognovimus.

§ 3. — Verum Nobis responsum est, id saepe contingere partim ex culpa illorum judicum, quibus vel in prima instantia, cum causa coram judice ordinario ex aliqua legitima causa cognosci nequit, vel in secunda, cum in partibus nullus adest judex, ad cujus tribunal causa in gradu appellationis devolvatur, vel si adest, justa de causa coram eo disceptari nequit, causae matrimoniales hujusmodi a Sede Apostolica committuntur, qui vel ob inscitiam, vel ob malam voluntatem proclives sunt ad matrimonia dissolvenda, atque eadem matrimonia, levi vel etiam nullo habito examine, irrita ac invalida declarant; partim etiam ex facto conjugum super nullitate suorum matrimoniorum litigantium, cum frequenter unus tantum eorum, qui dissolutionem matrimonii postulat, in judicio compareat, et sententia, nullo contradicente, secundum sua vota obtenta, ad alias nuptias convolat; vel ambobus conjugibus in judicium venientibus, alter qui pro matrimonio, alter vero qui contra agit, sententia de nullitate matrimonii prolata, nullus est, qui ad superiorem judicem appellationem interponat, vel quia litigantes in specie quidem discordes, re vera inter se concordes sunt, et invicem colludentes,

Digitized by Google

contractum matrimonium dissolvi cupiunt; vel quia pars, quae pro validitate matrimonii stabat, ejusque nullitatem acriter contra adversarium impugnabat, lata a judice sententia contra matrimonium, mutat voluntatem, vel pecunia sibi ad sumptus litis non suppetente, vel aliis deficientibus auxiliis ad litigandum necessariis, et incoeptum opus ac causam post primam sententiam deserit. Quo fit, ut deinde ambo conjuges, vel unus eorum ad aliud contrahendum matrimonium se conferat.

§ 4. — Quod autem ad judices pertinet, quibus extra Romanam curiam, pro litigantium commodo, causae matrimoniales committuntur, paterna illa vigilantia, qua de justitia unicuique integre sapienterque administranda solliciti esse debemus, encyclicis literis ad venerabiles fratres Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos scriptis die vigesima sexta Augusti anno secundo Pontificatus Nostri, providere curavimus, in quibus ea praescripsimus, quae sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis consona si diligenter, ut speramus, serventur, in posterum causae nonnisi personis congrua juris peritia et necessario probitatis spectataeque fidei munitis praesidio committentur. Insuper ad ea, quae in iisdem encyclicis literis constituta sunt, id etiam in praesenti adjungimus; quod, quamvis Concilii Tridentini decretum, quo causae matrimoniales subtractae fuerunt decani, archidiaconi et aliorum inferiorum judicio, et Episcoporum tantum examini et jurisdictioni reservatae, dumtaxat procedat de archidiaconis, decanis, aliisque inferioribus, qui in eadem dioecesi constituti, vel privilegio aliquo vel praescriptione, saltem in visitatione, causarum matrimonialium cognitionem sibi adrogabant; ac idcirco, minime obstet commissionibus, quae pro iisdem causis matrimonialibus definiendis a Sede Apostolica alicui eorum in secunda instantia fierent; nihilominus praecipimus ac mandamus iis, ad quos hujusmodi commissionum seu delegationum expediendarum cura pertinet, ut in futurum causarum matrimonialium cognitionem non committant nisi Episcopis praesertim vicinioribus, vel si nullus sit Episcopus cui ex legitima causa commode committi possit, tum commissio et delegatio dirigatur uni ex iis, qui secundum ordinem et modum a Nobis in praefatis encyclicis literis praescriptum pro judice idoneo ab Episcopo cum consilio sui capituli nominatus fuerit.

§ 5. — Quod vero ad ordinem, et seriem judiciorum in causis matrimonialibus pro debita et congrua earum terminatione servandum spectat, motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine hac Nostra

Digitized by Google

in perpetuum valitura sanctione constituimus, decernimus ac jubemus, ut ab omnibus et singulis locorum Ordinariis in suis respective dioecesibus persona aliqua idonea eligatur, et si fieri potest, ex ecclesiastico coetu, juris scientia pariter et vitae probitate praedita, quae matrimoniorum defensor nominabitur, cum facultate tamen eam suspendendi, vel removendi, si justa causa adfuerit, et substituendi aliam aeque idoneam et iisdem qualitatibus ornatam, quod etiam fieri poterit, quotiescumque persona ad matrimoniorum defensionem destinata, cum se occasio agendi obtulerit, erit legitime impedita.

§ 6. — Ad officium autem defensoris matrimoniorum hujusmodi, ut supra electi, spectabit in judicium venire quotiescumque contigerit matrimoniales causas super validitate vel nullitate coram legitimo judice disceptari, eumque oportebit in quolibet actu judiciali citari, adesse examini testium, voce et scriptis matrimonii validitatem tueri, eaque omnia deducere, quae ad matrimonium sustinendum necessaria censebit.

§ 7. — Et demum defensoris hujusmodi persona, tanquam pars necessaria ad judicii validitatem et integritatem censeatur, semperque adsit in judicio, sive unus ex conjugibus, qui pro nullitate matrimonii agit, sive ambo, quorum alter pro nullitate, alter vero pro validitate in judicium veniant. Defensor autem, cum ei munus hujusmodi committetur, juramentum praestabit fideliter officium suum obeundi, et quotiescumque contigerit, ut in judicio adesse debeat pro alicujus matrimonii validitate tuenda, rursus idem juramentum praebebit: quaecumque vero, eo non legitime citato aut intimato, in judicio peracta fuerint, nulla, irrita, cassa declaramus, ac pro nullis, cassis ac irritis haberi volumus, perinde ac si citata et intimata non esset ea pars, cujus citari intererat, et quam juxta legum et canonum praescripta ad legitimam judicii validitatem citari aut intimari omnino necessarium erat.

§ 8. — Cum igitur coram Ordinario, ad quem causas hujusmodi cognoscere pertinet, controversia aliqua proponetur, in qua de matrimonii validitate dubitabitur, et existentibus in judicio vel uno ex conjugibus, qui pro nullitate matrimonii, vel ambobus, quorum alter pro validitate, alter vero pro nullitate actionem intendat, defensor matrimonii partes omnes officii sui diligenter adimpleat. Itaque si a judice pro matrimonii validitate judicabitur, et nullus sit qui appellet, ipse etiam ab appellatione se abstineat: idque etiam servetur si a judice secundae instantiae pro validitate matrimonii fuerit judicatum, postquam judex primae instantiae de illius nullitate sententiam pronunciaverat; sin autem

Digitized by Google

contra matrimonii validitatem sententia feratur, defensor inter legitima tempora appellabit adhaerens parti quae pro validitate agebat; cum autem in judicio nemo unus sit, qui pro matrimonii validitate negotium insistat, vel si adsit, lata contra eum sententia, judicium deseruerit, ipse ex officio ad superiorem judicem provocabit.

§ 9. — Appellatione a prima sententia pendente, vel etiam nulla ob malitiam vel oscitantiam vel collusionem defensoris et partium interposita, si ambo vel unus ex conjugibus, novas nuptias celebrare ausus fuerit, volumus ac decernimus, ut non solum serventur quae adversus eos, qui matrimonium contra interdictum Ecclesiae contrahunt, statuta sunt, praesertim ut invicem a cohabitatione separentur, quoadusque altera sententia super nullitate emanaverit, a qua intra *decem dies* non sit appellatum, vel appellatio interposita deserta deinde fuerit; sed ulterius ut contrahens vel contrahentes matrimonium hujusmodi omnibus poenis contra polygamos a sacris canonibus et constitutionibus Apostolicis constitutis omnino subjaceant, quas in eos, quatenus opus sit, motu, scientia ac potestate simili rursus statuimus, decernimus ac renovamus.

§ 10. — Posteaquam vero appellationis beneficio ad alterum judicem causa in secunda instantia delata fuerit, omnia et singula quaecumque coram judice in prima instantia servanda praefinita fuerunt, etiam coram altero in secunda exacte ac diligenter custodientur, citato in quolibet judicii actu defensore matrimonii, qui voce et scripto matrimonii validitatem strenue ac pro viribus tuebitur, et si judex in secunda instantia fuerit Metropolitanus, aut Sedis Apostolicae Nuncius, aut Episcopus vicinior, matrimonii defensor sit qui ab ipsis fuerit deputatus, quemadmodum ipsis deputare mandamus, ut quae a Nobis superius constituta sunt, peragere possit; si autem judex in secunda instantia erit judex commissarius, cui a Sede Apostolica causae cognitio demandata sit, et qui tribunal et jurisdictionem ordinariam non habeat, et propterea careat defensore matrimonii, volumus ut illo defensore matrimonii utatur, qui constitutus fuerit ab Ordinario, in cujus dioecesi causam cognoscet, etiam si idem Ordinarius sit, qui primam sententiam in eadem causa pronunciaverit.

§ 11. — Instructio autem in hunc modum judicio, si secunda sententia alteri conformis fuerit, hoc est, si in secunda aeque ac in prima nullum ac irritum matrimonium judicatum fuerit, et ab ea pars vel defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum, vel appellationem interpositam prosequendam minime cen-

Digitized by Google

suerit, in potestate et arbitrio conjugum sit novas nuptias contrahere, dummodo alicui eorum ob aliquod impedimentum vel legitimam causam id vetitum non sit. Potestas tamen post alteram sententiam conformem, ut supra, conjugibus facta intelligatur et locum habeat, salvo semper et firmo remanente jure seu privilegio causarum matrimonialium, quae ob cujuscumque temporis lapsum nunquam transeunt in rem judicatam ; sed si nova res, quae non deducta vel ignorata fuerit, detegatur, resumi possunt, et rursus in judicialem controversiam revocari. Quod si a secunda sententia super nullitate vel altera pars appellaverit, vel hujusmodi sit, ut ei, salva conscientia, defensor matrimonii acquiescendum non putet, vel quia sibi videtur manifeste injusta vel invalida, vel quia fuerit lata in tertia instantia, et sit revocatoria alterius praecedentis super validitate in secunda instantia emanatae, volumus, ut firma remanente utrique conjugi prohibitione ad alias transeundi nuptias, quas si contrahere ausi fuerint, poenis, ut praefertur, a Nobis constitutis subesse decernimus, causa in tertia vel quarta instantia cognoscatur, servatis diligenter omnibus, quae a Nobis in prima et secunda instantia demandata fuerunt, nempe in quolibet judiciali actu citato et audito defensore matrimonii, qui a judice tertiae instantiae deputatus fuerit.

§ 12. — Defensor autem matrimonii, quem ad munus suum gratis obeundum pro amore Dei, et proximi utilitate, et Ecclesiae reverentia in Domino exhortamur, si operam suam sine mercede aut salario aliqua ex causa exhibere recusaverit, ab ipsius causae judice ei constituatur, et ab ea parte, quae pro validitate matrimonii agit, si ipsi facultas sit, solvatur, sin minus a judice primae vel secundae vel tertiae instantiae respective subministrabitur, qui pecunias ex mulctis suorum tribunalium redactas vel redigendas, et in opera pia erogandas, in hujusmodi sumptus insumere poterunt. Cum vero judices causae erunt judices commissarii, qui neque forum habent, et consequenter neque pecuniam ex mulctis collectam, volumus ac mandamus, ut defensori matrimonii satisfiat ex pecunia mulctarum illius Episcopi, in cujus dioecesi judex commissarius juxta Sedis Apostolicae mandatum judicium exercebit.

§ 13. — Hactenus quidem quoad causas matrimoniales, quae extra Romanam curiam pertractantur. Quoad causas vero, quae Romae disceptandae sunt, cum earum cognitio in prima instantia ad S. R. E. Cardinalem in praefata Urbe, ejusque suburbiis et districtu Vicarium Nostrum in spiritualibus pro tempore spectet, man-

Digitized by Google

damus ac jubemus, ut omnia et singula, quae in aliis causis extra Romanam curiam pertractandis praescripta fuerunt, nempe ut judicium peragatur citato et audito defensore matrimonii ab eodem Cardinali Vicario deputato, aliaque, ut supra, omnino serventur, tum etiam in aliis causis, quae in prima instantia ex consensu partium, vel in secunda per appellationem ad Sedem Apostolicam, omisso medio, interpositam, vel in tertia Romam deferuntur, quas omnes judicari volumus vel in Congregatione S. R. E. Cardinalium super interpretatione et executione Concilii Tridentini, vel in causarum Palatii Nostri Auditorio, dummodo Nobis et Romano Pontifici pro tempore justis ex causis non videatur particularis Congregatio S. R. E. Cardinalium, vel Romanae curiae Praelatorum deputanda. Cum autem causa super matrimonii nullitate agitabitur in dicta Congregatione S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, defensor matrimonii a Cardinali Praefecto ejusdem Congregationis, si vero in Palatii Nostri Auditorio, ab Auditore decano praefati tribunalis, si demum in Congregatione particulari, a persona ejusdem Congregationis dignitore deputetur.

§ 14. — Unica quidem resolutio pro nullitate matrimonii emanata, si causa in Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, vel in Congregatione particulari deputata cognoscatur, et similiter in Palatii Nostri Auditorio, unica sententia super eadem nullitate pronunciata minime sufficiat ad tribuendam liberam conjugibus facultatem novas nuptias contrahendi, sed si causa in praefata Congregatione Cardinalium Tridentini Concilii interpretum introducta fuerit, rursus in eadem ad defensoris matrimonii instantiam reproponatur; si vero Congregationi particulari commissa fuerit, ad petitionem ejusdem defensoris altera etiam particularis Congregatio deputabitur; si vero in Palatii nostri Auditorio judicata sit, a praefato defensore appellatione interposita, ab aliis Auditoribus juxta ordinem in gyrum seu turnum definiatur; si autem causa universo tribunali commissa fuerit, ab omnibus Auditoribus rursus examinabitur, nolentes omnino, ut nullo in casu matrimonii vinculum dissolutum censeatur, nisi duo judicata vel resolutiones aut sententiae penitus similes et conformes, a quibus neque pars, neque defensor matrimonii crediderit appellandum, emanaverint; quod si secus factum fuerit, et novum initum matrimonium, Nostrae voluntatis hujusmodi transgressores poenis a Nobis, ut supra, statutis submittantur.

§ 15. — Et quoniam saepe apud Sedem Apostolicam preces porrigi solent pro dispensatione matrimonii rati et non consummati, quae ut plurimum pro voto consultivo ad Congregationem

Digitized by Google

S. R. E. Cardinalium Concilii interpretum, vel nonnunquam ad aliquam Congregationem particularem deputatam a Romanis Pontificibus pro tempore remitti solent, ut hujusmodi instantiae ordine ac rite procedant, volumus ac mandamus, ut supplex libellus Nobis vel Romano Pontifici pro tempore exhibeatur, in quo plena et accurata totius facti species contineatur, causaeque omnes in eo exprimantur, quae ad obtinendam petitam dispensationem conducere posse a supplicante censentur, ut Romanus Pontifex, eo lecto et mature considerato, secum deliberare possit, an petitionem rejiciat, vel ejus examen alicui ex dictis Congregationibus committat, a qua posteaquam suum votum consultivum editum fuerit, a Secretario ejusdem Congregationis totius negotii series exacte Romano Pontifici pro tempore referatur, qui pro sua prudentia iudicabit, an Congregationis resolutio sit approbanda, vel potius totius causae examen alteri Congregationi vel tribunali, prout eidem Pontifici videbitur, rursus committendum.

§ 16. — Demum volumus ac decernimus, easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime et inviolabiliter observari. Sicque et non aliter per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac eosdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos, et S. Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus verborum et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis irritantibusque et aliis decretis etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus in genere vel in specie, seu alias quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda,

Digitized by Google

aut aliqua alia exquisita forma in illis tradita observata eisdem praesentibus pro expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 17. — Volumus autem, ut praesentes literae in valvis Ecclesiae Lateranensis et Principis Apostolorum, nec non Cancellariae Apostolicae ac in acie Campi Florae de Urbe, ut moris est, publicentur et affigantur, sicque publicatae et affixae, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctent et afficiant, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent; quodque earumdem praesentium transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

§ 18. — Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, statuti, constitutionis, prohibitionis, revocationis, annullationis, declarationis, mandati ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud s. Mariam Majorem tertio nonas Novembris anno incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Pontificatus Nostri anno secundo.

D. CARD. PASSIONEUS.

Visa de Curia
N. Antonellus

X. Sub-Datarius.

Loco † Plumbi.

I. B. Eugenius.

Anno a Nativitate D. N. IESU CHRISTI MDCCXLI. Indictione quarta, die vero 29 *Novembris, Pontificatus autem SSmi in Christo Patris et D. N. D. BENEDICTI divina providentia PP. XIV anno secundo, supradicta constitutio affixa et publicata fuit ad valvas Basilicae Lateranensis et Principis Apostolorum, nec non Cancellariae Apostolicae, Curiae generalis in Monte Citatorio, in Acie Campi Florae, ac in aliis locis solitis et consuetis Urbis per me Ioannem Trifelli apost. Curs.*

Nicolaus Cappelli Mag. Curs.

Digitized by Google

II

Instructio edita die 22 Aug. 1840 *pro confectione processus in causis matrimonialibus.*

Cum moneat Glossa (*in cap. fin. De frig. et malef.*) in causis matrimonialibus omnem cautelam esse adhibendam propter periculum animarum, quod et docuit Sanchez (*de matrim. lib.* 7, *disp.* 107) et Card. Argenvilliers (*in dissert. matrimonii relat. inter vota Constantini P.* 5, *vol. ult., n.* 16) plura hinc a sacris canonibus sancita sunt, ut tutum ac rectum judicium efformari queat. Ad removendas vero fraudes, quae conjugum malitia vel collusione saepe oriebantur, s. m. Bened. XIV (in constit. *Dei miseratione*) processum conficiendum esse praecepit sub poena nullitatis omnium actorum, ut probationibus undequaque accuratissime cumulatis, in causis hujusmodi omnium gravissimis, in quibus agitur de sacramenti validitate vel nullitate, ac de dissolvendo vinculo matrimoniali, judices in proferendo judicio tuti conquiescere possent. At quia saepe in hoc difficillimo processu acta minus recte et apte ad veritatem eruendam conficiebantur, S. Congregatio saepius instructiones edidit, ac normam praescripsit, quam Episcopi sequerentur.

Cum itaque in hujusmodi causis non de jure alterutrius partis tantum, sed praecipue de sacramentali vinculo dissolvendo agatur, processus acta non ad instar aliorum judiciorum, praesertim civilium, sed juxta sacros canones, citatam s. m. Bened. XIV constitutionem, et praesentem instructionem erunt efformanda. Ea itaque non vernaculo sed latino sermone erunt conscribenda, exceptis tamen excipiendis, nimirum articulis, interrogatoriis, responsionibus ad ea, et peritorum relationibus; praesertim vero decreta et sententia, quae juxta priscos mores erit conficienda, latina lingua exarabuntur. Praeterea cum a sacro Conc. Trid. (*sess.* 24. *cap.* 20, *de ref.* § *ad haec*), ac etiam a s. m. Bened. XIV (in cit. constit. *Dei miseratione* § 4) causarum matrimonialium cognitio quibusvis judicibus inferioribus, non obstante quovis privilegio ac praescriptione, fuerit sublata, ac Episcoporum tantum examini et jurisdictioni reservata etiam prae Abbatibus vere *Nullius*, licet cardinalitia dignitate fulgentibus juxta S. Congregationis resolutiones, hinc tutius erit, ut nedum sententia proferatur, sed etiam acta processus per Episcopum vel per ecclesiasticam personam specialiter ab eo delegandam conficiantur.

Digitized by Google

Hisce praemissis, quoties aliquis ex coniugibus instantiam in scriptis porriget super nullitate matrimonii, Episcopus judicem, si velit, delegabit, deinde ipse vel judex delegatus citari mandabit defensorem matrimonii, quatenus in curia episcopali iam deputatus existat, sin minus, idoneum virum deputabit iis qualitatibus praestantem, quas superius memorata constitutio s. m. Benedicti XIV requirit, eumque citari mandabit. Defensoris matrimonii erit praefixa die accedere ad praestandum juramentum, se munus suum diligenter et incorrupte expleturum, et omnia voce ac scriptis deducturum, quae ad validitatem matrimonii sustinendam conferre poterunt. Praeterea hic defensor matrimonii *citandus erit ad quaelibet acta, ne vitio nullitatis ipsa tabescant* (1). Ipsi, qui pro sacramenti validitate stat, semper et quandocumque acta processus, etsi nondum publicati, erunt communicanda, semper et quandocumque ejus scripta erunt recipienda, ac novi termini eo flagitante erunt prorogandi, ut ea perficiat et exhibeat.

Praefinita die in citatione comparebit instans pro nullitate, et tunc defensor matrimonii tradet interrogatoria clausa et obsignata cancellario seu notario, aperienda, illo postulante, ex judicis decreto in actu examinis, super quibus interrogandus erit conjux instans pro nullitate. Iis ea addet etiam in actu examinis ex officio judex, quae ex responsionibus magis apta conspiciet ad veritatem eruendam sive in declarationem responsionum datarum, sive super novis circumstantiis resultantibus, quod erit intelligendum etiam de aliis interrogatoriis, super quibus ceteri omnes de re instructi erunt examinandi.

Cum itaque advenerit statuta dies, pars, nullitatem matrimonii allegans, comparebit, ut supra dictum, coram judice, adstante defensore matrimonii et cancellario. Judex deferet parti examinandae juramentum de veritate dicenda, et deinde reserabit interrogatoria exhibita, ut supra dictum est, a defensore matrimonii, eaque singulatim proponet, audiet responsiones, easque dictabit cancellario.

Interim dum pars erit examinanda, ipse cancellarius exscribet in processu primam interrogationem, et deinceps singulas ex ordine, post quas scribet responsiones a judice dictandas. Si quod interrogatorium, ut superius monitum est, addatur ex officio a judice vel a defensore matrimonii, cancellarius interrumpet ordinem progressivum, et adnotabit *interrogata ex officio ;* et scripta interrogatione et responsione, reassumet ordinem progressivum interrogationum exhibitarum a defensore matrimonii.

(1) Ex. cit. Const. § 7.

Digitized by Google

Si examen una sessione absolvi non poterit, judex illud suspendet, ac destinabit etiam diem et horam pro reassumptione et prosecutione iisdem modo ac forma facienda, ut supra dictum est. Absoluto examine, cancellarius leget clara et intelligibili voce responsiones datas, facta examinato facultate variandi et declarandi datas responsiones, prout ei libuerit. Tandem judex deferat juramentum eidem conjugi, se vera dixisse, atque nunquam ante publicationem processus se evulgaturum sive interrogationes propositas, sive responsiones datas. Deinde ipse subscribet, et si fuerit illiteratus per signum Cru†cis ; dein judex et defensor validitatis matrimonii apponet suam subscriptionem, et cancellarius de actu rogabit.

Poterit pars examini subjecta vel illico post examen, vel etiam deinceps antequam publicetur processus, si velit, articulos proponere, super quibus etiam, citato defensore matrimonii, erit examinandus alter conjux, et quatenus etiam ab hoc articuli proponantur, erit iterum citandus conjux, qui primus fuerat interrogatus, et adstante defensore matrimonii, super articulis ab altero propositis audietur.

Haec norma quae data fuit pro instantis examine servanda erit, congrua congruis referendo, in quovis alio examine.

Expleto examine illius conjugis qui actor fuit in promovenda nullitatis querela, sequitur examen alterius conjugis, quod erit conficiendum iisdem prorsus methodo ac lege, quae praescriptae fuerunt in praecedentibus paragraphis, ac sub iisdem interrogatoriis actori propositis, vel aliis additis, vel novis confectis prout defensor matrimonii in Domino censuerit.

Deinde procedendum erit ad examen *septimae manus*, hoc est septem propinquorum ex utroque latere ad formam textus in cap. *Litterae vestrae, De frig. et malef.* Ut id facilius exequi judex valeat, defensor matrimonii citabit partem actricem, ut indicet septem sibi sanguine vel affinitate conjunctos, si fieri possit, sin minus septem vicinos bonae famae. Singuli, audita prius lectura examinis, seu confessionis conjugis eos inducentis, erunt interrogandi, utrum perspectam habeant religionem et honestatem illius conjugis, ut propterea sibi verosimile sit, ac credant eum vera dixisse. Similiter instante defensore matrimonii, citandus erit alter conjux, ut etiam ipse indicet septem propinquos vel affines, iisque deficientibus, septem vicinos bonae famae, qui, ut supra dictum est, deponant; seorsim erunt hi quatuordecim conflantes septimam manum examini subjiciendi, designatis diebus et

Digitized by Google

horis, delato prius juramento singulis, defensor matrimonii interrogatoria clausa exhibebit, ut superius dictum est.

Liberum erit conjugibus testes bonae famae ac de re instructos inducere, qui omnes seorsim et methodo hactenus praescripta erunt examini subjiciendi.

Si alios etiam defensor matrimonii ex actis jam confectis deprehendet de re instructos, hos etiam citabit, ut examini subjiciantur. Si qui forsan absentes noscantur, qui commode ad civitatem accedere nequeant etiam ob distantiae sumptus, vel ad partis instantiam, vel, ea silente, ad instantiam defensoris matrimonii, erunt ab Episcopo illius dioecesis, in qua morantur, examinandi juxta interrogatoria ab eodem defensore conficienda, ac clausa et obsignata transmittenda, deputato ab eodem Episcopo altero idoneo viro, qui praestet requisitis in bulla saepius laudata s. m. Bened. XIV praescriptis, quique expleat munus defensoris validitatis matrimonii, et examini adsit.

Omnes vero testes, congrua congruis referendo, rogandi erunt, praesertim quando initum fuerit matrimonium: utrum inter conjuges mutui amoris et benevolentiae signa intercesserint; quamdiu in eadem domo vel civitate coabitaverint; utrum innotuerit, eos consummationi operam dedisse; an inde matrimonium consummatum censeretur; de causis consummationem impeditivis; de conquestionibus, quando et cum quibus factis, et cur nolint amplius in matrimonio permanere.

Si querela super impotentia versetur, interrogandi erunt periti physici, quos conjuges consuluerunt.

Praeterea, quatenus querela super nullitate ex iis sit ut solvi possit matrimonium si conjuges illud non consummarunt, tunc procedendum erit ad inspectionem corporis conjugum seorsim sequenti methodo perficiendam, instante praesertim defensore matrimonii.

Judex praefiget terminum tam utrique conjugi quam defensori matrimonii ad exhibendas notulas peritorum medicorum et chirurgorum confidentium et diffidentium pro utriusque conjugis inspectione, congrua congruis referendo.

Exhibitis notulis a partibus, judex eliget quinque peritos, tres scilicet medicos et duos chirurgos ex his in quibus partes consentiant, sin minus ex officio eos, qui tamen partibus non sint rationabiliter suspecti, deputabit; atque curabit, ut deputatio cadat super celebrioribus civitatis tum quoad scientiam tum quoad religionem et honestatem, atque his peritis facultatem dabit recognoscendi corpus viri, adhibitis *honestis mediis* ad explorandam

Digitized by Google

ipsius potentiam, nec non facultatem, quatenus non conveniant in prima inspectione, iterum accedendi. Atque in eodem decreto diem, horam et locum destinabit, in quibus periti accedent, ut inspectionem perficiant.

Designata die et hora, ad locum accedent judex, defensor matrimonii, cancellarius ac periti. Singuli ex peritis ac seorsim corpus viri inspicient ea qua fieri poterit decentia, et, factis experimentis quae juxta artem, *non tamen illicitis*, opportuna judicabunt, singuli scriptam emittent relationem.

In inspectione et relatione haec praecipue investiganda et referenda erunt.

An adsint signa physice certa impotentiae deducta ex conformatione partium, aut ex aliquo vitio quod apparere poterit. An adsint signa, quae moralem certitudinem inducant impotentiae, et quatenus existant, quae sit hujus impotentiae causa, utrum sit impotentia perpetua insanabilis ac praecedens matrimonium, an signa impotentiae sint dubia vel aequivoca.

Peracta relatione a singulis seorsim, defensor matrimonii exhibebit interrogatoria clausa, sigillata, super quibus fieri debet examen peritorum, sibique reservabit jus addendi alia interrogatoria, ac iterum ea ad examen revocandi. Si examen singulorum peritorum eadem die perfici nequiverit, judex aliam diem designabit, ut illud prosequatur. Uterque ex peritis tum ante examen juramentum praestabit de veritate dicenda, tum post examen juramento dicta confirmabit, sese propria manu subscribens, judex, defensor validitatis matrimonii et cancellarius se subscribent, qui actum rogabit.

Procedendum etiam erit ad inspectionem corporis mulieris. Judex, ut supra dictum est de peritis, tres saltem obstetrices deputabit, quae a duobus saltem peritis uno medico, et altero chirurgo, ut supra seligendis, sedulo erunt instruendae de recognoscendo visu et tactu in muliebrium inspectione. Statuta autem hujus inspectionis die, mulier erit traducenda ad domum honestae matronae pariter a judice deputandae pro infrascripta praestanda personali adsistentia, atque adstantibus semper tribus obstetricibus et matrona, immergenda erit in balneo aquae tepentis a peritis prius recognoscendo, quod sit aquae purae; quo in balneo per spatium saltem trium quadrantium horae unius permanere debebit; quo tempore transacto, adstantibus semper et praesentibus matrona et obstetricibus, statim, ne ullum spatium aut momentum temporis mulieri detur quo ad arctandum vas ullo medicamento aut aliqua fraude uti queat, ad ipsius corporis inspectionem a sin-

Digitized by Google

gulis seorsim deveniendum erit, adstante semper et praesente matrona; qua in re prospiciendum etiam, ut haec recognitio fiat tempore tantum diurno et in cubiculo luminoso, ut ex inspectione hujusmodi utrum mulier virgo sit, an violata et corrupta, adhibitis artis regulis, exactius deprehendatur.

Judex, defensor matrimonii et cancellarius cum peritis, ut supra, ad domum matronae accedent. Peracta hinc recognitione, seorsim singulae obstetrices referent de virginitatis aut corruptionis indiciis ab inspectione resultantibus, an certa et qualia supersint signa et argumenta intemerati aut corrupti claustri virginalis, et an ulla fraus ad virginitatem simulandam adhiberi potuerit. Deinde super his magis praecise deponent in responsionibus ad interrogatoria, quae clausa et obsignata exhibebit defensor validitatis matrimonii. Deinde formali examini erunt subjiciendi periti, quorum judicium erit exquirendum super relatis et depositis ab obstetricibus. Tandem examen subire debebit quoque matrona quoad praestitam toto balnei et recognitionis tempore adsistentiam, servatis, quoad examen, iis omnibus, quae superius dicta sunt, congrua tamen congruis referendo.

Quatenus defensori matrimonii nulla alia probatio exquirenda videatur, nullamque putet aliam judex pro sua diligentia assumendam, finis imponetur probationum collectioni et publicabitur processus, edito super hoc decreto a judice, factisque subscriptionibus ab eo, a defensore matrimonii et a cancellario. Haec habenda methodus. Quae in actis continentur nemini, nec ipsis quidem conjugibus eorumque defensoribus erunt communicanda ante processus publicationem, uno excepto defensore matrimonii, cui libera semper et quandocumque erit actorum inspectio et examen.

Locus deinde erit defensionibus. Liberum etiam erit defensori matrimonii post processus publicationem novas probationes exquirere, cum agat favore sacramenti, et numquam bina sententia nullitatis conformis transeat in rem judicatam, ac reassumi caussa possit etiam post initas novas nuptias a partibus juxta constitutionem saepius citatam, *Dei miseratione*.

Omnibus absolutis, et cum nil amplius deducendum censuerit defensor matrimonii, sententiam proferet Episcopus.

Si hac matrimonii nullitas decreta fuerit, debebit defensor matrimonii appellare juxta citatam constitutionem, nec poterunt conjuges ad alia vota transire nisi post obtentam alteram sententiam conformem super nullitate, sub poenis contra polygamos constitutis in citata constitutione, *Dei miseratione*. Deinde transmittenda erunt acta ab Episcopo ad judicem ad quem provocatum

Digitized by Google

fuit, in copia authentica, soluta per partem diligentiorem competenti mercede cancellario.

III.

Instructio sequenda in conficiendo processu super viri impotentia, et non secuta matrimonii consummatione, accedente Pontificis dispensatione ab accurata observantia praescriptionum Bullae Benedicti XIV. « Dei Miseratione. »

Judex ad hoc deputatus prae oculis habeat quod examina quaecumque illa erunt, fieri debent sub juramenti fide, et cancellarius curiae episcopalis, vel altera persona deleganda, interrogationes, responsa, et quaelibet acta scripto tradet, facta prius adnotatione mensis, diei, anni, loci, et personae judicis coram quo conficiuntur acta, nec non cujuslibet testis examinandi.

Testes singillatim audiantur, et in fine examinis se subscribant proprio nomine, vel cum signo crucis quatenus sint illiterati.

Primus ille conjux audiatur qui actor est in causa. Interrogationes judicis arbitrio, prudentiae, et sagacitati relinquuntur : attamen pro ejus commoditate sequentes traduntur, quibus aliae addantur prout melius in Domino judicaverit ad factorum veritatem magis magisque eruendam, nimirum :

A quanto tempore sese cognoverint sponsi ante matrimonium ; an parentum consensu, sponte, et mutua voluntate illud inierint; an in sequenti nocte in eadem domo, eodemque cubiculo, et toro cubaverint, officiisque conjugalibus ultro, libenterque operam dederint ; an matrimonium consummaverint; an ipse examinatus cognoscat, vel suspicetur causas propter quas consummare nequiverint, licet iteratis vicibus etiam in sequentibus noctibus ausi fuerint : an id contigerit ob nimiam angustiam cunni mulieris, vel ob immodicam sui penis crassitudinem, aut propter debilitatem, ita ut nulla, vel parvi momenti fuerit erectio ; an, quae, et quanto tempore adhibita fuerint medicamenta, et quinam fuerint effectus ; quamdiu simul vixerint, et condormierint ; quis primus alterum conjugem deseruit, et an etiam aliae causae accesserint : an et quibus parentibus, amicis, vel vicinis secreto manifestaverint quod matrimonium non fuerit consummatum, eosque singillatim nominet.

Digitized by Google

Haec vel similia etiam ab altero conjuge requirantur, ut an inter se apprime conveniant, dignoscatur:

Deinde testes qui ab ipsis conjugibus fuerint recensiti, seorsim examini subjiciantur. Prius vero eorumdem parentes audiantur, uti praesumptive magis informati; postea vero famuli, et viciniores. Si quis illorum obierit, vel longinquas regiones petierit, in actis innuendum erit. Interrogationes autem sequentes proponuntur sed immutandae pro rerum adjunctis.

An cognoscat conjuges de quibus sermo; an sciat utrum libenter mutuoque effectu sese copulaverint, condormierint, et matrimonium consummaverint; an sit instructus quibus de causis consummare nequiverint, et an, et quid ad illas amovendas experti fuerint; utrum et quae conquestio inter ipsos extiterit; quaenam sit fama tam apud se, quam apud alios de hac praetensa non consummatione.

Singulorum testium absoluto examine, duo saltem ex celebrioribus civitatis physici medicinam, et chirurgiam callentes seligantur, corpus viri inspecturi super ejus potentia ad coeundum cum muliere maxime virgine, nec ille physicus praetereundus qui forsan antea fuerit adhibitus ad viri incommoda medenda. Animadvertendum autem, ut mediis utantur licitis, et honestis, et perscrutandum praecipue utrum illius virilia sint juxta naturae leges accurate conformata; nimirum an penis naturalem habeat dimensionem, promptamque erectionem ad coeundum necessario duraturam; an aliquo morbo fuerit affectus, a quanto tempore, et cujusnam characteris; an fibrae compactae et consistentes, seu potius flaccidae, lassaeque sint; an testes sani, naturalisque magnitudinis, et utrum aliquo vitio laboraverint, vel adhuc laborent; quo in casu morbi caracterem, et causas investigabunt; an verus, vel recens, naturalis, vel acquisitus, et an curabilis, nec absque salutis periculo.

Quibus omnibus diligenter inspectis, singula sub juramento scripto tradent, et quid ipsi sentiant de viri impotentia an acquisita, vel ingenita, absoluta vel relativa tantum, ingenue fateantur, nullaque relicta ambigendi ratione.

Corpus insuper mulieris, sed maxime illius genitalia membra a duabus saltem obstetricibus in arte, et praxi peritioribus ac bonis moribus imbutis inspiciantur, adhibito prius mulieris balneo, si necessario praemittendum physici et ipsae judicaverint. Accurate observabunt signa integritatem mulieris constituentia, nimirum conformationem partium, juncturam, duritiem, rugositatem, et colorem; an hymen sit integrum, vel confractum in to-

Digitized by Google

tùm, vel in parte; hoc in casu an, et qua naturali causa, seu potius e congressu extranei corporis contigerit; an myrtiformes carunculae inveniantur, earumque magnitudinem, numerum, et conformationem, aliaque signa ab arte tradita integritatem, aut corruptionem mulieris constituentia sedulo inspiciant. Deinde unaquaeque seorsim singula quae repererint sub sacramento judici, et a cancellario scripto fideliter tradenda, distincte exponat, et quid ipsae sentiant de illius integritate declarent.

Earumdem depositiones praedictis physicis examinandae tradantur, ut decernant num mulier adhuc integra habenda sit, atque matrimonium non consummatum judicandum.

Verum si aliquod dubium adhuc explicandum supersit, opportunis ab ipsis physicis concinnatis interrogationibus, iterum obstetrices examinentur, et si nihilominus anceps peritorum judicium permanserit, corpus mulieris, ab ipsis inspiciatur, adstante vero matrona antiquae virtutis, nullique exceptioni obnoxia, et ab Ordinario designanda. Expleta inspectione judicium dabunt physici, singulasque proferent rationes quibus ipsorum sententia innititur.

Praetereunda tandem non erit investigatio super qualitate testium, audito eorumdem parocho, vel alia proba et apprime instructa persona, utrum ipsi sint bonis moribus imbuti, ac plenam mereantur fidem illorum depositiones.

Omnibus superius recensitis diligenter ab Ordinario collectis, illa ad S. Congregationem mittere festinabit decretorio ejus judicio subjicienda.

IV

Instructio ad Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos Rituum Orientalium in causis matrimonialibus adhibenda probata in Congr. Generali Emorum et Remorum PP. in rebus fidei Inquisitorum Generalium feria IV, die 20 Junii 1883.

Quemadmodum matrimonii foedus tamquam officium naturae proli educandae, aliisque maximi momenti bonis consequendis perpetuam et individuam vitae consuetudinem inter conjuges exigit, et eo sanctius tamquam Ecclesiae sacramentum indissolubile sit oportet, aiente Domino: *quod Deus coniunxit, homo non separet*; ita non minus, quando cum aliquo ex impedimentis quae dirimentia nuncupantur, initum, atque idcirco verum matrimonium non fuerit, a legitima Ecclesiae potestate, ad quam causae matrimoniales unice spectant, irritum ac nullum ut judi-

Digitized by Google

cetur seu declaretur, ipsa sacramenti dignitas, ratio justitiae, et animarum salus postulat.

Verum quanto studio quantaque solertia opus sit, ut in singulis casibus alicujus impedimenti dirimentis existentia solide comprobetur, experientia quotidiana testatur. Nam et nonnulla impedimenta sunt ipsa per sese probatu difficillima, et saepe contingit, ut facta ex quibus probationes erui debent, ita sint implexa, iisque circumstantiis involuta, ut difficillime eadem explicari, et de iisdem judicium proferri queat. Hinc est, quod Sancta Sedes pro ea sollicitudine, qua tanti sacramenti dignitati, administrationi iustitiae, et animarum saluti cautum semper voluit, numquam omisit, editis opportune sive constitutionibus Apostolicis sive instructionibus, regulas praescribere, quarum ope, in casibus etiam difficilioribus, veritas tuto detegi, et judicium recte ferri posset.

Experientia tamen compertum est, Patriarchas, Archiepiscopos, et Episcopos diversorum rituum orientalium ob speciales conditiones, in quibus eorum dioeceses versantur, non semper posse iisdem Apostolicis constitutionibus atque instructionibus quoad omnia sese conformare, nec proinde semper consequi plenam illam processuum et judiciorum legalitatem, quae tantopere desideranda esset in hujusmodi causis definiendis.

Quare ut, quantum fieri potest, sacrorum canonum praescriptiones in re tanti momenti religiose serventur et simul consulatur specialibus conditionibus, in quibus versantur tribunalia ecclesiastica penes orientales, Summus Pontifex specialem instructionem pro praedictis tribunalibus jussit exarari, quae ab iis omnibus, ad quos spectat, accuratae executioni mandetur.

PARS I. — TITULUS PRIMUS

De accusatione matrimonii.

1. Ut in tribunali ecclesiastico causa aliqua matrimonialis tractanda suscipiatur, necesse est ut contra matrimonium regularis et juridica accusatio praecesserit; quae nunquam erit admittenda, nisi proficiscatur a persona vel personis, quae communi jure habiles ad accusandum habeantur. Etenim in quibusdam impedimentis ipsi conjuges tantum uti accusatores admittuntur, in aliis qui sunt iisdem sanguine propinqui, vel etiam quilibet de populo; ac tandem ex officio etiam inquisitio fieri potest, et quandoque debet, quando praesertim contra alicujus matrimonii validitatem simplex denuntiatio facta fuerit, aut fama, fundamentum verita-

Digitized by Google

tis praeseferens, de alicujus impedimenti existentia divulgata sit.

2. Ista accusatio coram legitimo Ordinario ecclesiastico fieri debet, et quidem in scripto: si oretenus facta fuerit, judicialis reddenda erit juxta regulas communi iure traditas, scilicet efficiendo ut accusator eam repetat coram tribunali, et a cancellario in actis redigatur.

3. In ea, praeter accuratam facti expositionem, enarranda erunt omnia adjuncta necessaria, et omnia indicia concurrentia; indicandi et nominandi testes de re instructi, ut hoc modo fundamenta accusationis cognoscantur, et via tribunali sternatur veritati detegendae.

TITULUS SECUNDUS

De tribunali constituendo.

4. Accusatione sic recepta, munus moderatoris actorum Episcopus vel ipse sibi assumet, vel suum Vicarium Generalem, aut alium probum et expertum virum e clero ad illud delegabit. Similiter alium virum designabit, qui, cancellarii officio fungens, quidquid ad causam pertinet, in acta referat, ac nominatim interrogationes examinandis faciendas, eorumque responsiones scripto consignet.

5. Praeterea ipse Ordinarius omnino tenetur deputare alium virum ecclesiasticum, quatenus haberi possit, juris scientia et vitae probitate praeditum, qui matrimonii defensor existat. Eum vero suspendere vel removere, si justa causa adfuerit, et alium substituere iis qualitatibus ornatum Ordinario semper fas erit.

6. Praedictae deputationes et delegationes in scriptis ab Ordinario fiant, et earum authentica documenta vel saltem mentio in actis prostent.

7. Moderatoris actorum erit tribunal convocare, partes et testes citare, ut in judicium compareant; terminos dilationis concedere, quoties rationabiliter ab iis qui jus habent, petantur; edere decreta et ordinationes pro regulari et recta actorum compilatione. Quae omnia scripto erunt exaranda, et in actis ipsis recensenda.

8. Defensor matrimonii, antequam munus sibi commissum suscipiat, coram actorum moderatore juramentum praestabit tactis sanctis Evangeliis de munere suo diligenter et incorrupte adimplendo, spondens se omnia voce et scripto deducturum, quae ad validitatem matrimonii sustinendam conferre judicaverit. Hic matrimonii defensor a moderatore actorum citandus erit ad quae-

Digitized by Google

libet acta, ne vitio nullitatis concidant; eidem semper et quandocumque acta processus, etsi nondum publicati, erunt communicanda, semper et quandocumque ejus scripta recipienda, atque novi termini, eo flagitante, prorogandi, ut ea scripta perficiat atque exhibeat.

9. Quod si ob peculiares circumstantias matrimonii defensor singulis actis interesse nequiverit, absoluto processu, eadem ipsi tradantur, ut eas exarare queat animadversiones, quas tuendae matrimonii validitati necessarias judicaverit; si alia acta suggesserit, haec conficienda omnino erunt; si ex jam confectis deprehenderit alias adesse personas testimonio ferendo idoneas et opportunas nondum examinatas, has examini subjiciendas proponet.

TITULUS TERTIUS

De methodo sequenda in actis conficiendis.

10. Constituto tribunali, haec actorum conficiendorum ratio tenenda erit. Ab omnibus et singulis testimonium dicturis moderator actorum ante omnia juramentum exiget de veritate dicenda, et, si ita res postulet, etiam de secreto servando, praemissa congrua monitione de juramenti sanctitate, praesertim si examinandi rudes sint et ignari. Juramentum praestandum erit tactis sanctis Evangeliis, et in singulis examinibus eodem modo repetendum.

11. Qui examini subjiciendi sunt, seorsum semper audiantur. Porro cancellarius adnotabit diem, mensem, et annum cujuslibet examinis, nec non singulorum nomen, cognomen, aetatem, conditionem, statum, et patriam, et etiam quod juramentum revera praestiterint.

12. Post quodlibet examen, etiamsi eadem persona pluries illi subjicienda sit, cancellarius clara et intelligibili voce coram eadem legat interrogationes et responsiones, facta eidem facultate variandi, aut declarandi quidquid ei visum fuerit: deinde ipse examinatus subscribat, et si fuerit illitteratus, faciet hoc signum Cru ✝ cis; ac denique moderator actorum et defensor validitatis matrimonii apponent suam subscriptionem, et cancellarius de actu rogabit.

13. Si aliquando contingat examinandos apud exteras et forsan longinquas regiones versari, nec tribunali se sistere posse, a moderatore actorum accurata factorum et circumstantiarum, quorum cognitio et confirmatio requiritur, expositio erit facienda, quae, concinnatis opportunis interrogationibus, de sententia quoque defensoris matrimonii, et indicatis examinandorum nomini-

Digitized by Google

bus, ad Ordinarium loci, in quo commorantur, mittatur, ut ille sive per se, sive per suum Vicarium Generalem, sive per alium virum probum et expertum, e clero eligendum, eos examini subjiciat juxta datas interrogationes, requisito prius juramento de veritate dicenda, et caeteris servatis, quae supra praescripta sunt.

Si vero contigerit aliquem examini subjiciendum e vita migrasse, mortis documentum inter acta recenseatur.

14. Quoad singulos in judicium vocatos vel vocandos actorum moderator inquirere debebit probitatem et credibilitatem, et ad hoc curabit, ut ab eorum parochis, sin minus a personis fide dignis litterae testimoniales exhibeantur, quae etiam in actis erun referendae.

15. Inter examinandos primo loco venit ille, qui accusationem contra matrimonium movit. Ab isto exquirendum erit, ut clare distincteque exponat accusationis titulum; facta omnia fideliter et religiose enarret, eorumque probationes afferat; circumstantias omnes et indicia exponat, quae vel ex propria scientia cognoverit, vel ex aliorum relatione didicerit; et denique nominet testes, quos de re instructos sciverit, vel saltem reputaverit.

16. Secundo loco veniunt conjuges ipsi, qui semper, et seorsum audiri debent, ut unusquisque sua jura tueri, et rationes, deductiones, ac facta allata aut rejicere, aut explicare queat. Quaelibet pars examini subjecta poterit vel illico post examen, vel etiam deinceps, antequam processus claudatur, proponere, si velit, articulos, super quibus alter conjux sit examinandus; et quatenus etiam ab hoc articuli proponantur, erit iterum citandus conjux, qui primus fuerat examinatus, ut super articulis ab altero propositis audiatur. Juxta casuum diversitatem a conjugibus inquirendum erit, ut si qua documenta habeant ad suum matrimonium, vel ad conjugalem vitae consuetudinem spectantia, ea exhibeant, in acta recensenda. Quae documenta cujuscumque generis sint, et a quocumque exhibeantur, semper erunt recipienda; et cancellarius adnotare debebit diem, mensem, et annum, nec non nomen illius a quo exhibita fuerunt.

17. Si ambo conjuges concordes in depositionibus fuerint, moderator actorum et defensor matrimonii sedulo inspiciant, utrum inter eosdem collusio intercesserit. Hoc in casu singula argumenta contra eorum depositiones ex processu resultantia distincte iisdem objiciantur, ut fraude, si qua fuerit, detecta, veritas, quoad fieri possit, dilucide appareat.

18. Post conjuges citandi erunt testes inducti, servata eorum examinandorum ratione superius descripta, et exquisitis ab iis-

Digitized by Google

dem iis notitiis, de quibus instructi existimantur. Interrogationes singulis faciendae, prout accusationis titulus, aut allata factorum et circumstantiarum congeries, vel ipsa testium indoles atque capacitas requirere videatur, sagacitati atque prudentiae moderatoris actorum et defensoris vinculi relinquuntur, qui illas concinnare, augere, aut imminuere poterunt, dummodo tamen semper ea omnia inquirantur, quae ad rectum proferendum judicium aut necessaria aut opportuna censeantur.

19. Quae in actis continentur, nemini, ne ipsis quidem conjugibus eorumque defensoribus erunt communicanda ante processus publicationem, uno excepto matrimonii defensore, cui liberum erit semper et quandocumque acta inspicere et examinare.

20. Quatenus vero actorum moderatori aut defensori matrimonii nulla alia probatio requirenda videatur, finis imponatur probationum collectioni, et processus publicetur, edito hac super re decreto, ab ipso moderatore, a defensore matrimonii, et a cancellario subscribendo.

21. Publicato processu, locus fiet defensionibus, quas partes ad sua jura tuenda voluerint allegare, facta iisdem facultate adhibendi eos defensores, quos maluerint; imo praemonendae erunt de hoc jure, ut lata sententia, injustae contra eam incusationi aut reclamationi aditus praecludatur. Allegationes autem si ab iisdem oblatae fuerint, communicandae erunt defensori vinculi matrimonialis, ut eas expendere, et quatenus matrimonii validitatem impugnent, refutare valeat.

TITULUS QUARTUS

De sententiae prolatione et publicatione.

22. Omnibus, ut supra, peractis ad sententiam pronunciandam veniendum erit. Quod ut ab Ordinario seu ejus delegato rite fiat, in primis a defensore matrimonii exquiri debet declaratio, sibi nihil amplius deducendum aut inquirendum superesse; deinde integra causa duobus aut tribus viris peritis, si haberi possint, examinanda subjiciatur, et, nonnisi audito eorum voto, sententia proferatur.

Haec in scriptis erit exaranda, in eaque rationum momenta, quibus innititur, ex processu deprompta exponantur, succincte quidem, sed ita tamen, ne quidpiam essentiale omittatur. Sententia subscriptione judicis et secretarii, nec non sigillo curiae episcopalis munita partibus erit notificanda per curiae apparitorem,

Digitized by Google

relicto iisdem illius exemplari, de quo in scriqto fides erit facienda.

23. Judex si pro validitate matrimonii sententiam dixerit, et nemo ex conjugibus contra eam appellaverit, neque defensor matrimonii appellabit, et causa finita censeatur. E contra si matrimonium nullum fuisse decreverit, quamvis conjuges judicio praelati acquieverint, defensor matrimonii appellationem facere debebit, et novam sententiam ab alio tribunali postulare ; quam appellationem primus judex impedire nulla unquam ratione poterit. Interim nullatenus permittetur partibus novas nuptias inire.

Quamvis appellationi interponendae nulli fatales dies vinculi defensori statuti sint, curandum tamen, ut quantocius id fiat. Quod si defensor ipse hoc munus neglexerit, compelli ad id poterit vel a suo Episcopo, vel etiam ab illo, apud quem de jure appellatio esset facienda.

24. Inspecta speciali conditione dioecesum orientalium, ordo appellationis erit, prout sequitur. Si prima sententia a curia episcopali lata fuerit, appellatio fiet ad curiam patriarchalem ; si vero a curia patriarchali ea prodierit, appellabitur ad S. Sedem. Item ad eamdem S. Sedem appellatio erit semper facienda, quoties primae duae sententiae inter se conformes non fuerint, nisi partibus placuerit causam ad ipsam S. Sedem ab initio et immediate deferre.

TITULUS QUINTUS

De secunda instantia.

25. Facta appellatione, Episcopus seu Ordinarius, qui primam sententiam protulit, eam remittere debebit unam cum integro processu, caeterisque omnibus ad causam iterum judicandam pertinentibus ad tribunal, ad quod appellatum est.

26. Hoc autem omnia a primo tribunali peracta diligenter examinabit, atque ea omnia peraget, quae necessaria videbuntur, ut defectus suppleantur, dubia elucidentur, et errores corrigantur. Hunc in finem, praesente semper vinculi defensore in curia constituto vel specialiter delegato, conjuges examinabit, investigationes instituet circa documenta priori tribunali exhibita, testes, a quibus novas informationes hauriri possint, iterum audiet. Imo poterit etiam praescribere, ut novus processus ex integro conficiatur.

Verum quatenus validae desint rationes novum processum

Digitized by Google

exigendi, consultius erit, praesertim si personarum et locorum circumstantiae id suaserint, ut processu jam expleto utatur, indictis tamen ulterioribus investigationibus, quas necessarias judicaverit.

Quod si novum processum faciendum esse censuerit, methodus supra descripta servanda erit. Si vero aliqua tantum nova acta adjungenda, vel novi aliquid investigandum censuerit, semper tamen defensor matrimonii adesse debebit, vel saltem nova haec eidem communicanda erunt, ut pro munere suo ea expendere, et quatenus opus esse duxerit, proprias animadversiones illis opponere valeat.

27. Expleto examine primi processus, et imposito fine novis investigationibus, judex appellationis debebit exquirere a defensore matrimonii, utrum aliquid adhuc habeat deducendum aut inquirendum; et quatenus se nil amplius habere dixerit, auditis prius modo, quo supra declaratum est, aliquibus viris in scientia juris peritis, sententiam pronunciabit, omnia servando, quae pro tribunali primae instantiae praescripta fuerunt.

28. Quando utraque sententia conformis pro validitate conjugii pronuntiata sit, sciat tamen pars impugnans matrimonium, sibi adhuc omnino patere appellationem ad Apostolicam Sedem. Si porro in secunda aeque ac in prima sententia nullum ac irritum matrimonium judicatum fuerit, et ab ea pars vel defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum, in potestate et arbitrio conjugum sit novas nuptias contrahere, dummodo alicui eorum ob aliquod impedimentum vel legitimam causam id vetitum non sit. Potestas tamen post alteram sententiam conformem, ut supra, conjugibus facta intelligatur, salvo semper et firmo remanente jure seu privilegio causarum matrimonialium, quae ob cujuscumque temporis lapsum numquam transeunt in rem judicatam; sed si nova res, quae non deducta vel ignorata fuerit, detegatur, resumi possunt et rursus in judicialem controversiam revocari. Quodsi a secunda sententia super nullitate vel altera pars appellaverit, vel defensor matrimonii ei, salva conscientia, acquiescendum non putet, quia sibi vel manifeste injusta vel aliunde invalida videatur, re tota ad S. Sedem delata, interim firma remaneat utrique conjugi prohibitio ad alias transeundi nuptias.

Digitized by Google

PARS ALTERA. — TITULUS SEXTUS.

De regulis servandis in tractandis causis matrimonialibus in specie.

Praeter hactenus recensitas regulas in omnibus causis matrimonialibus generatim servandas, ut juridica illis stet validitas, quaedam etiam speciales prae oculis habendae sunt iuxta peculiarem impedimentorum naturam et indolem, quae judicio occasionem praebuerunt. Quare de his singulis, saltem quae frequentius occurrere solent, aliqua speciatim animadvertenda sunt.

ARTICULUS PRIMUS.

De impedimentis cognationis carnalis vel spiritualis, et affinitatis.

29. Si matrimonium impugnetur ob assertum impedimentum cognationis carnalis aut spiritualis, vel affinitatis, facile erit ejusdem existentiam detegere ope authenticorum documentorum. Etenim cognatio carnalis, et etiam affinitas quae ex praecedenti matrimonio processerit, dignoscuntur ex arbore genealogica utriusque familiae, conficienda ex regestis matrimoniorum, et ex libris etiam baptizatorum, in quibus notata esse debent nomina non modo conjugum et eorum qui baptizati sunt, sed horum etiam parentum. Similiter ex libris baptizatorum, et confirmatorum aperte eruitur cognatio spiritualis, quia in illis una cum eorum qui baptizati, vel confirmati fuerunt, nomina quoque recensita esse debent sive patrinorum sive matrinarum. Talia documenta in forma authentica ex dictis libris erunt haurienda opera parochorum vel curiae, una cum testimonio de eorum identitate cum respectivis particulis in libris extantibus; imo si a parocho testimonium datum fuerit, opus erit, ut ejusdem parochi obsignatio a curia episcopali authentica declaretur.

30. Quod si aliquod oriatur dubium circa documenta praedicta vel circa eorum veritatem, in judicium vocandi erunt, et juridice examinandi consanguinei, affines, propinqui, quibus origo eorum de quibus agitur, nota sit, aut nota esse possit, ut ex horum depositionibus gradus consanguinitatis vel affinitatis clarius valeat determinari. Non levi fundamento huic rei esse potest etiam publica fama, de qua ratio erit habenda; ejus tamen sedulo consideranda erit origo et rationes, quibus innititur. Caeterum judex semper prae oculis habeat, his quaestionibus dirimendis praecipuum fundamentum praebere documenta authentica, et numquam licere contra eadem judicare, nisi ex certis et evidentibus argu-

Digitized by Google

mentis constiterit ipsa vitiosa aut falsa esse. Ac proinde locorum Ordinarii sedulo curabunt, ut libri baptizatorum, confirmatorum, et matrimonio copulatorum, nec non defunctorum a parochis diligentissime exarentur, et accurate custodiantur.

ARTICULUS SECUNDUS.

De impedimento publicae honestatis.

31. Quoties aliquod matrimonium impugnatur ob impedimentum, quod publicae honestatis nominatur, in primis accurate statuendum erit, utrum illud originem duxerit ex matrimonio simpliciter rato, an ex sponsalibus.

In priori casu ad impedimentum adstruendum proferantur documenta matrimonii praecedentis celebrationem comprobantia, quae documenta facile suppeditabunt vel libri matrimoniorum a parocho servandi, si matrimonium coram Ecclesia fuerit celebratum; vel regesta existentia penes ministros haereticos sive schismaticos, si apud eos matrimonium contractum affirmetur. Quamvis documenta vel a sola civili potestate, vel ab haereticis aut schismaticis manantia, vim habere possint aliquando ad factum de matrimonio celebrato extrajudicialiter confirmandum, tamen judex catholicus, qui de existentia vel de non existentia impedimenti sententiam laturus erit, curabit ut in judicium compareant partes, testes qui matrimonii celebrationi interfuerunt, propinqui eorum, qui contraxerunt, nec non omnes quos sciverit de re instructos, ut omnia possint cognosci, quae ad factum rite judicandum conducere poterunt.

32. Quod si praedictum impedimentum ortum asseratur ex sponsalibus cum persona alteri parti consanguinea in gradu impedimentum constituente contractis, ad judicium proferendum duo erunt inquirenda, videlicet utrum revera asserta sponsalia locum habuerint; et utrum valida in sensu canonico haberi possint. Primum deducendum erit ex partium confessione, dummodo hae exceptiones minime patiantur, ex documentis si habeantur, ex testium fidem merentium depositionibus, nec non ex indiciis quae judex peritus et expertus deducere poterit ex circumstantiis, quae facta exposita aut praecesserunt aut subsecutae sunt. Ad secundum probandum, utrum videlicet asserta sponsalia valida fuerint in sensu canonico, plura erunt sedulo perpendenda. Ante omnia judex prae oculis habeat, quod ex usu et consuetudine fere in singulis locis speciales aliquae formae pro solemni sponsalium celebratione inductae reperiuntur, quae communiter et regulariter ab

Digitized by Google

omnibus servari solent. Itaque inquirendum erit, utrum istae formae fuerint, nec ne, servatae; si primum, praesumptio pro sponsalium valore aderit, contra quam nunquam erit judicandum, nisi ex certis et evidentibus argumentis sponsalia nulliter contracta fuisse constiterit; si secundum, inquirendum erit, qua de causa consuetae formae fuerint omissae, et utrum pro personarum, locorum, et consuetudinum circumstantiis sponsalia nihilominus valide fuerint contracta, eo quod utrinque voluntas sese obligandi vere intercesserit, atque ita ut ex jure impedimentum constituant. In hunc finem praeter alia quaerendum est, quibus verbis, vel factis sibi futurum matrimonium promiserint; utrum promissio ab utraque parte processerit; et si ab una tantum, utrum alia eam acceptaverit sive verbis, sive factis, sive signis aequivalentibus; utrum post datam promissionem praetensi sponsi reputaverint sese matrimonio contrahendo obligatos, an liberos. Erit quoque inquirendum de sponsorum conditione, utrum scilicet ea talis sit, ut praesumi non possit veram in ipsis voluntatem sese mutuo obligandi adfuisse.

33. Quatenus casus exigat, inquirendum etiam erit, qua aetate praetensi sponsi sibi invicem matrimonium promiserint. Etenim sponsalia ab infantibus, vel a majori cum infante contracta, ipso jure nulla sunt, et impedimentum publicae honestatis gignere non valent. Quare in hoc casu inquirendum erit de aetate legitima eorum, a quibus sponsalia fuerunt contracta, quod facile fiet petitis documentis ex libris baptizatorum atque ex testimonio parentum, sive aliorum, qui personas, de quibus agitur, cognoscunt. Si constiterit, in aetate adhuc infantili sponsalia inita fuisse, investigandum erit, utrum post septennium fuerint renovata, aut saltem ratificata.

34. Si vero, ut aliquando contingit, sponsalia fuerint a parentibus contracta, judex agnoscere curabit, cujusnam aetatis fuerint ipsi filii, quando eorum parentes eadem inierunt; quia si in aetate adhuc infantili fuissent, certum est contractum irritum fuisse; si vero vel impuberes vel puberes, contractus tunc solummodo validus esset, si filii expresse vel saltem tacite consenserint, aut postea sponsalia, eorum nomine a parentibus inita, ratificarint. Igitur inquirendum erit de modo, quo sponsalia fuerint contracta; de agendi ratione filiorum sive cum ea celebrarentur, sive cum cognoverunt, quid pro ipsis parentes egerint, utrum nempe aliquo modo factum admiserint, vel contra ipsum protestati fuerint, vel saltem ostenderint sese aegre ferre pactum praedictum. Ad hunc finem examinandi erunt, qui contractui adfuerunt, vel qui et contractum

Digitized by Google

et sponsorum voluntatem perspectam habere potuerunt ; ipsa quoque sponsorum agendi ratio tam inter se, quam erga parentes exploranda erit ; utrum tamquam sponsos sese habuerint, utrum de futuro matrimonio colloquuti, et quo amore sese mutuo prosequuti fuerint. Si constiterit, ambos aut alterum saltem matrimonio obstitisse et constanter parentum voluntati restitisse, contra sponsalium existentiam judicium poterit proferri. Si contra constiterit, vel parentibus non restitisse, vel media opportuna, in propria potestate posita, non adhibuisse ut matrimonium impedirent, et ut parentes a proposito removerent, ordinarie pro sponsalium et impedimenti existentia judicandum erit. Dicitur *ordinarie*, quia si pars, quae sponsalia impugnat, affirmaverit sibi defuisse libertatem parentibus contradicendi, eosdemque a proposito retrahendi, ratio istius assertae coactionis erit habenda.

ARTICULUS TERTIUS

De impedimento vis et metus.

35. Circa impedimentum quod vis et metus dicitur, ante omnia advertendum occurrit, neminem a jure admitti ad matrimonium ex hoc capite impugnandum, nisi qui violentiam et coactionem passus dicitur, rejici vero eum, qui per longum tempus in matrimonio vixerit, dummodo eidem libertas et opportunitas reclamandi non defuerit ; ita ut si liber jam a metu sua sponte in conjugali domo perstiterit, matrimonialia officia non detrectaverit, audiri amplius non debeat. Etenim qui liber a coactione metuve, facultate et opportunitate reclamandi non utitur, censetur consentire, et ratificare quod antea invitus atque adverso animo fecerat. Unde in primis erit inquirendum, utrum accusatio tempore, uti dicitur, utili facta sit ; et si hoc jam fluxerit, quaerendum erit, quanam de causa hoc acciderit, ut judicari possit, utrum accusatio admittenda an rejicienda sit. Secundo prae oculis habendum erit, solummodo metum gravem, qui nempe in virum constantem cadat, matrimonium dirimere, et consequenter ad hunc metum exquirendum omnes sive moderatoris actorum sive defensoris matrimonii investigationes esse dirigendas. Porro gravitas timoris oritur ex natura minarum, ex qualitate tum eorum a quibus illae proficiscuntur, tum eorum qui eas passi dicuntur. Ista tria itaque erunt praesertim investiganda.

36. Circa primum sedulo inquirendum, utrum qui de adhibita coactione accusantur, ita consueverint agere cum persona, quae coacta dicitur, ut gravem atque molestam eidem redderent do-

Digitized by Google

mesticam et familiarem cohabitationem; quaenam fuerint in specie molestiae eidem illatae; utrum verba gravi indignatione plena adhibita, intentata haereditatis privatio, ejectio e paterna domo, an addita etiam verbera.

Circa secundum considerandum est, utrum qui de illata vi metuve accusantur, patria potestate et auctoritate pollerent, an qui vim metumve passi sunt, nullatenus iisdem subjecti fuerint; quae ratio vis inferendae, magna ne ex matrimonio propriae domui utilitas aut decus obventurum? quae indoles vim inferentium, quae conditio, qui mores; qua ratione familiam regere consueverint; utrum ad iracundiam et violentiam ita essent proclives, ut facile quod minabantur, perficerent, et animo ita essent duro atque obstinato, ut a nemine sibi contradici aut consiliis suis impedimenta objici paterentur.

Quoad tertium ratio habenda erit primum sexus personae, quae violentiam passa dicitur; facilius enim animus puellae commovetur, quam viri; deinde aetatis, educationis, indolis, utrum nempe mitis ac timida fuerit, an fortis et constans; qua ratione in familia vivere consueverit, utrum sub custodia et vigilantia parentum, ita ut ab eorum imperio semper et in omnibus penderet, an aliqua libertate frueretur, ut et propria sensa exponere, et juxta propriam voluntatem operari potuerit; an parentes ita eam segregarint, ut omnis consilii expetendi facultas eidem adempta fuerit, nec cuiquam ejusdem alloquendae copiam tribuerint, nisi quos de matrimonio ineundo consilia praebere posse judicaverint.

37. Praeter ista inquirendum erit, utrum qui de illata vi conqueritur, aliquando relationem habuerit cum eo, cum quo postea contraxit; et utrum aliquando propositum habuerit cum eodem contrahendi. In casu affirmativo inquirendum, quas ob causas voluntatis mutatio contigerit; a quo tempore consilium fuerit mutatum, utrum nempe antequam parentes propriam voluntatem ostenderent, an postea; et utrum ex praecedenti relatione aliqua exorta sit suspicio contra decorem vel ipsius personae vel familiae, a qua parentes moveri potuerint ad matrimonium exigendum, tamquam remedium bonae famae recuperandae. Etiam investigandum, quid haec persona fecerit, ut a coactione parentum sese liberaret: utrum preces adhibuerit; utrum usa fuerit opera aliorum ad parentes a proposito dimovendos; utrum et quomodo propriam aversionem et contrarietatem in illud matrimonium significaverit; utrum et quomodo altera pars operam dederit, ut matrimonium revera concluderetur. Considerandum erit, utrum

Digitized by Google

quando contractus matrimonialis erat signandus, libenter et sine ulla protestatione id praestiterit; utrum aliqua fraus adhibita ad talem obsignationem obtinendam; quomodo sese gesserit, sive quando necessaria pro matrimonio parabantur, sive quando ad consensum promendum adducta fuit, sive quando post datum consensum festum nuptiale celebrabatur; utrum nempe his omnibus hilaris, prompte, et laeta adstiterit, an secus. Consideranda quoque ejus agendi ratio erga alteram partem, et erga ejusdem familiam; utrum nempe benevola et affectuosa; utrum libenter, et sine oppositione ad officia matrimonialia sese exhibuerit, an eisdem obstiterit, ea praesertim de causa quia matrimonium nullum putaverit, atque ut melius tueri posset propriam libertatem. Ad hoc postremum factum probandum, considerari debet, utrum hac de causa inter conjuges ipsos ortae sint lites et contentiones, utrum hoc factum manifestaverint, et quibus; a quo tempore post matrimonium istae quaerimoniae inceperint, et ex qua causa vel ratione; utrum ad tales lites et dissensiones tollendas adhibita fuerint consilia, hortationes, et in casu affirmativo, a quibus et quo exitu.

38. Ad praedicta cognoscenda in judicium vocandi erunt ambo conjuges, eorumque parentes, illi praesertim, qui de coactione adhibita accusantur, et opportune interrogandi de facto ipso, de modo, de animo, et de fine, ob quem ad vim adhibendam ducti fuerunt. Item vocandi propinqui et familiares violentiam accusantis, et interrogandi de omnibus, quae vel ad parentes, vel ad filios referuntur; utrum quidquam eorum, quae in actis habentur, viderint aut audiverint, quidve norint accidisse ad rem pertinens, sive antequam matrimonium celebraretur, sive tempore cohabitationis, sive post conjugum separationem, si haec locum habuerit. In hisce examinandis judex diligenter invigilet, utrum aliqua collusionis suspicandae causa subsit, et curet, ut quoad singulas personas parochorum testimonium obtineat de ipsarum probitate atque credibilitate. Post istos vocandi parochus vel alius sacerdos, qui matrimonio adstitit; illi, qui ejusdem celebrationi et festo nuptiali interfuerunt, ut referant praesertim de modo, quo persona contra matrimonium reclamans in illis circumstantiis se gesserit; aliae personae inductae, illae speciatim quae adhibitae fuerunt, vel ut consiliis et hortationibus reclamantem ad matrimonium inducerent, vel ut excitarent ad officia matrimonialia praestanda, ab iisque quaerendum, quid egerint, quibus argumentis usae, quidve consecutae fuerint.

39. Caeterum in hac re judex sciat, matrimonium esse per se

Digitized by Google

factum quoddam solemne et publicum, quod semper validum censeri debet, nisi evidentes rationes ejusdem nullitatem demonstraverint. Ideo curandum quidem omni studio atque diligentia, ut rationes istae colligantur, sed judicium contra matrimonium nunquam erit pronunciandum, nisi earum complexio omne prudens dubium de existentia impedimenti excludat.

ARTICULUS QUARTUS

De impedimento ligaminis.

40. Vinculum praecedentis matrimonii, quod ad posterius connubium impugnandum adducitur, repetendum asseritur vel ex matrimonio, catholico modo, a catholicis celebrato; vel ex connubio ab haereticis aut schismaticis juxta diversarum sectarum instituta contracto, et postea per sententiam talium tribunalium dissoluto; vel ex contractu inter infideles, qui postea rescissus, aut nullus fuerit declaratus. Diversorum istorum casuum possibilitas, aut etiam frequentia manifesta est, cum in regionibus orientalibus catholici commixti vivere cogantur cum haereticis, schismaticis, et infidelibus. Quaedam pro singulis casibus adnotanda sunt, quia diversis legibus reguntur.

41. Ad primum casum quod attinet, doctrina catholica est matrimonium baptizatorum rite celebratum et consummatum aliter solvi non posse, nisi per mortem unius conjugis; et ideo locum non esse ejusdem dissolutioni declarandae in judicio, nisi de morte alterutrius conjugis constiterit. Ut autem de hac constare dicatur, non sufficit rumor aut fama quaecumque, neque solae praesumptiones; sed requiritur certus de ea nuntius aut saltem concursus talium rationum, quae certo nuntio acquipollentes omne de illa dubium excludant. Ideo in hoc casu judex ante omnia exigere debebit, ut prioris matrimonii documentum authenticum proferatur, atque, si opus fuerit, alias probationes colliget, quae praedicti prioris matrimonii existentiam demonstrent; similiter exquiret documenta vel probationes de secundo matrimonio contracto; quae omnia documenta facile haberi poterunt ex libris matrimoniorum in parochiis asservatis. Post haec exigenda erunt a competentibus parochis authentica documenta de praetensa morte alterius conjugis, et in defectu poterunt eadem requiri ab auctoritate civili, si suos libros habuerit, in quibus adnotentur. Quae comparari debebunt cum documento secundum matrimonium comprobante, ut cognoscatur, utrum secundum hoc matrimonium contractum fuerint ante vel post prioris conju-

Digitized by Google

gis mortem ; atque ita judicetur, utrum secundum matrimonium validum, an nullum fuerit.

42. Quando ad mortem prioris conjugis probandam praesto non sunt neque esse possunt haec authentica documenta, aliis argumentis et aliis probationibus opus est, quae a judice sedulo erunt colligendae. In primis argumentum desumi potest ex depositione testium fidem merentium, si ipsi de visu mortem illius, de quo agitur, revera accidisse affirmaverint ; aut idem asseruerint ex auditu, dummodo non ex vaga aliqua relatione, sed a personis minime suspectis proprias informationes se hausisse testentur. Isti testes erunt interrogandi, utrum bene cognoverint, quem mortuum asserunt ; quo tempore, quo loco mors acciderit ; qua de causa ; ubi cadaver sepultum ; utrum adsint, et ubi commorentur alii, qui de hoc facto instructi sint aut esse possint. Ab illis vero, qui ex aliorum relatione deponunt, erit quoque inquirendum, a quibus tales hauserint notitias ; a quo tempore fama de morte vulgari coeperit ; et quid ipsi sentiant de probitate et credibilitate eorum, qui primitus de re ista sunt loquuti ; utrum isti peculiarem aliquam rationem habuerint aut habere potuerint, ut talem notitiam evulgarent. His cognitis, in judicium vocandi erunt testes inducti, et eodem modo examini subjiciendi, ut tandem aliquando vel ad testes de visu, vel ad certa documenta obtinenda perveniatur. Animadvertat judex, ne admittat eos, qui sponte ad examen accesserint, quia mendaces praesumuntur ; et si requisiti fuerint, quaerat ab eis, a quibusnam, ubi, quando, quomodo, coram quibus, et quoties fuerint requisiti ; utrum pro hoc testimonio ferendo fuerit ipsis aliquid datum, promissum, remissum, vel oblatum a personis interesse habentibus, vel ab aliis eorum nomine. Similiter advertat, non esse admittendos testes, qui personas, de quibus agitur, plene non cognoscant ; et consequenter extraneos non esse testes idoneos, nisi a longo tempore in loco fuerint, aut ex peculiaribus circumstantiis appareat eos cognitionem habere potuisse de iis, quae enarrant. Quod si testes sive de visu, sive de auditu haberi non poterunt, considerandae erunt circumstantiae omnes in facto concurrentes, et diligenter ponderandae, ut videatur, utrum ex illarum complexu exurgere possit moralis illa certitudo, quae necessaria est ut judicium proferatur. Porro circumstantiae istae praecipuae sunt : aetas personae, quae mortua dicitur, utrum senior, an iunior fuerit ; tempus ejusdem discessus a patria et familia, utrum longius an brevius ; locus, vel loca, ad quae se contulerit, utrum valitudini corporali noxia, an et quibus vicissitudinibus subjecta

Digitized by Google

